Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXII
C
14
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

COMMENTARIORUM
DE JURE REGNI
NEAPOLITANI
IN ORDINEM REDACTO

PARS PRIMA,

QUÆ EST DE JURE PUBLICO

AUTHORE

FRANCISCO RAPOLLA J.C.

VOL. I.

NEAPOLI, MDCCXLVI

Ex Typographia Joannis de Simone

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

XXII
C.
14

Digitized by Google

OPTIMO JUSTISSIMOQUE
PRINCIPI
CAROLO BORBONIO
NEAPOLIS, SICILIÆ, ET HYERUSALEM REGI,
HISPANIARUM INFANTI &c. &c.
DOMINO CLEMENTISSIMO

NON unam, REX JUSTISSIME, rationem habui, cur MAJESTATIS TUÆ auguſtum nomen huic Operi inſcriberem: nam & ad ſubditi officium pertinere cenſui, ut Principi, tanquam fructus præcipui culturæ, ac laboris,

Digitized by Google

offerantur ingenii monumenta; licet non omni ex parte optima, qualiacumque tamen, dummodo Authoris induſtria, ac diligentia non deſideretur. Dein, quam pulchrum, quam glorioſum, prodíre hoc Opus in publicum ſub auſpiciis ea ſtirpe progeniti Regis, ex qua anteactis retro ſæculis univerſa ambitu ſuo illuſtrata eſt Europa, & magis, magiſque nunc decoratur artibus non minus pacis, quam belli? Sed præcipue me movit Operis argumentum; quippe ad explicandas, & ad certum ordinem redigendas, vindicandaſque a vulgaribus erroribus illud eſt, Leges hujus Regni; quod non aliter veræ felicitatis metam ſperat attingere, quam ubi Juſtitia vires ſuas exerit; quæ ex ignorantia, & neglectu Legum quoties paulatim deficit, vix quædam vani nominis ſervat veſtigia inter homines prave callidos, & ambitioſos. Quod utique malum omni conatu avertendum eſt ſub te Principe juſtiſſimo. Et ſane quis non miretur, & ſummis laudibus non efferat MAJESTATEM TUAM, quæ in tanto fortunæ faſtigio, unde ſolent utplurimum mortales in tranſverſum agi, aliis ſe præbet ad exemplum pietatis, moderationis, manſuetudinis? Sed inter innumera animi tui ornamenta Juſtitia pecu-

lia-

liarem ſibi locum vindicat, qua ad jus bonumque, & ad ſummam æquitatem ſubditorum petitiones, & publicas, privataſque res totius Regni modis omnibus componere conaris. Quapropter ſi cunctis una, eademque mens conſtaret, innoxium tuæ vitæ genus, & mirabile ſpecimen virtutum omnium, ſubditis deberent eſſe ad bene, juſteque vivendum, & ſapientum præceptis, & ipſarum Legum ſanctionibus potiora. At quoniam ſic ferme omnes ætatem agunt, ut metu magis, quam ratione contineantur in officio; ideo in communi naturæ pravitate auxilio Legum opus eſt. Unde optimis Magiſtratibus, atque Edictis, vel ab initio Regnum formare ſtuduiſti, & diligenter ſtudes quotidie. Quod ne irritum fiat, civium unumquemque ſumma ope niti decet, ſive privatum, legum vinculis ſe obſtringendo, ſive publico alicui muneri addictum, earum vim confirmando aut per exequutionem, aut per interpretationem. Quod ad me attinet, expulſa tum loquendi, tum ratiocinandi barbarie, quæ jamdiu obtinuit in Juriſprudentia forenſi, pro virili conatus ſum facili ordine, ac methodo eas Leges explicare; unde poſſent adoleſcentes, deviis evitatis anfractibus, planum, & rectum iter

ſuſci-

Digitized by Google

ſuſcipere ad ſolidæ Juriſprudentiæ cognitionem. Qua in re, magni ſane momenti, ubi vires ingenii defuerunt, ſubſidio mihi diligentiam comparavi. Spero igitur fore, ut eadem benignitate, atque animi magnitudine, qua ſolitus es, Rex Clementissime, & ſumma intueri, & infima, tenue hoc munus ſis ſuſcepturus, ſi non dignum tanto Principe, ſaltem ut grati animi documentum, & quo majus offerri nequit ab hominibus mei ordinis. Quod ſi fuero aſſequutus, ſpes me pulcherrima fovebit, invidos, & male feriatos homines a maledictis adverſus me temperaturos, & ab iniquis vexationibus eos, qui, tamquam ſi ambitioni, atque ignorantiæ ſacramentum dixiſſent, ſibi, & imperitæ multitudini perſuadere ſatagunt, veræ Juriſprudentiæ ſtudium, & reliquarum bonarum artium diſciplinas, tum publicis muneribus obeundis, tum juri dicundo, minus aptos homines reddere; quaſi aptiores ſint iis rebus, & magis idonei, qui minus ratione, & judicio pollent, & qui a ſcientiis abhorrentes, aut parum, aut nihil ipſas Leges noſcere, atque interpretari ſciunt. Quod reliquum eſt, a Summo Numine, omnium moderatore, enixis precibus quotidie contendam, ut Populorum felicitati, &

Ju-

Juſtitiæ ornamento, diu te incolumem ſervet; unde ſeri Nepotes geſtorum tuorum exemplis addiſcent, optimos Principes, non ſibi, & ſuis, ſed maxime utilitati, & commodo totius humani generis naſci. Neap. Idibus Martii MDCCXLVI.

SACRÆ REGIÆ
MAJESTATIS TUÆ

Humillimus, & obſequentiſſimus ſubditus
Franciſcus Rapolla.

Digitized by Google

IN UNIVERSUM JUS
REGNI NEAPOLITANI
PROLEGOMENA.

JAM ſatis conſtat optime cum rebus humanis actum eſſe, ex quo publica civium voluntas ad ſuum unicuique tribuendum, legibus concredita fuit. Quamvis enim primæ juſti, injuſtique notiones, cuicumque vel hebetis ingenii in aperto ſint; nihilominus quæ nos tranſverſos agunt animorum affectiones ſæpiſſime illis ſunt impedimento. Adhæc non ſemel dubiæ, atque implicatæ factorum ſpecies, rerumque, & perſonarum circumſtantiæ prudentiorem requirunt mentem, quam quæ in vulgo adhæret; & propterea neceſſarium omnino fuit, ut ſapientioribus negotium daretur, per leges auctoritate publica munitas, confirmandi ea, quæ vel malitia, vel ignorantia conaretur evertere. Sed proh dolor! ut eſt infeliciſſima humanarum rerum conditio, non ſemel accidit, ut optime inſtituta, eventu reddantur inutilia: imo non ſemel malis, quibus occurrere debent, fiant perniciofiora. Quod de legibus tuto dicere poſſis, ubi morum corruptio extrema eſt, ſiquidem earum vires paulatim deficiunt partim ex abuſu, partim ex interpretatione perverſa, unde ingens materia ad fraudes, calumnias, calliditates. Præclare quidem Ariſtoteles ait, (*a*) deterrimam eſſe injuſtitiam, quæ inſtructa armis ſit: longe tamen deterior ea eſt, quæ ſpeciem quandam juris præſefert. At cum mala in civitatibus quotidie apparent minus ferenda, ſtatim ad vulgare remedium novarum legum recurritur; quod, eodem rerum ſtatu permanente, inutile evadit, & tan-

(a) Lib. 1. Polit. cap. 2.

tum deſervit novis fraudibus excogitandis, occupandiſque ingeniis, quæ utplurimum multitudine legum defatigantur, & confunduntur. Unde ſenſim homines illarum fiunt cavillatores, poſtmodum incurioſi, & demum contemtores. Hinc opportuna occaſio datur iis, qui cæteris doctiores, ſapientioreſque haberi volunt, in multitudinem, confuſionemque legum debaccandi, & mala exaggerandi, quibus quotidie aſficiuntur homines, dum pro ſuo conſervando, vel recuperando, ad leges, ad judicum ſubſellia confugere neceſſe habent; & propterea jam felicitati accenſetur quam longiſſime ab iis ætatem agere.

II. Hæc ſane incommoda neſcio an alibi majora appareant, quam in hoc Regno, in quo, præter ea, quæ ſunt communia cum cæteris nationibus, inter quas Romanæ leges, vel minus idoneam accipiunt interpretationem, vel male deducuntur ad uſum; ex tot, tamque variis publicarum rerum converſionibus, neceſſitas veluti quædam effecit, ut in dies novæ leges formarentur, quarum corpus mole ſua jam ſuperat Romanas; ut nihil dicam de difficultate, & confuſione, quæ maxima eſt, non tam ipſius rei natura, quam negligentia compoſitorum, & interpretum. Quapropter apud nos immenſitate legum mirum in modum laboratur; & vix, ac ne vix quidem, poſt diuturnas vigilias, laboreſque, imo & poſt longam conſuetudinem judicandi, & cauſas agendi, quid pro jure certo habendum ſit liquido conſtet. Quo factum, ut paulatim univerſa juris diſciplina male audiat; & qui cæteris acutioris, feliciorifque judicii ſeſe jactant, jam damnent eam, & abjiciant, utpotè rem natura ſua diſſonam, incertam, & innumeris difficultatibus involutam; omniaque ad Ingenium reducendo, quid juſtum, quid æquum ſit, magna confidentia ubique pronunciant, & decernunt, ſoluti ſacratiſſimarum legum vinculis, interpretationibuſque Juriſconſultorum, qui omni ætate ad eas illuſtrandas acceſſerunt. Qui autem

tem

Digitized by Google

ſtem legum addiſcendarum ſtudio tenentur, utplurimum a recto tramite aberrant; ſiquidem prævaluit jam non tantum in vulgo imperitorum, ſed in hominibus leviter eruditis hæc præjudicata opinio: juri Romano vix locum ſupereſſe ob ingentem molem legum noſtrarum, unde illius exacta cognitio ſupervacanea redditur, & otioſa. Hinc majori ex parte adoleſcentes obruti avaritia, & ambitione, delibatis primis Inſtitutionum elementis, & aliquando ne delibatis quidem, ſtatim confluunt in forum, ea perſuaſione ſecuri, ex ſolo uſu forenſi, & inter ipſas cauſarum actiones, Doctoris, Advocati, Juriſconſulti officium addiſci. Quo fit, ut poſt multa temporis, occupationiſque diſpendia, quoniam jus ipſum, & commune, & municipale a ſuis fontibus, & principiis perceptum non eſt, ſemper dubii ſint, & hæſitantes. Inter eos autem, qui majori pollent ingenio, & memoria, pro jure certo nihil aliud præſeferunt, quam rudem, & indigeſtam quandam molem legum, conſtitutionum, pragmaticarum, quas vel fando acceperunt, vel curſim legerunt; & frequentiores quaſdam ſpecies ex rebus judicatis protractas, eaſque paſſim, & ubique jactitant, parum aut nihil penſi habentes, utrum illa ſpecies ad rem faciat, an ſecus; & utrum denique argumentum, & illatio, quæ deducitur, vera ſit, & propria, an falſa, & a propoſito aliena. Qui vero foro addicti tardioris ſunt ingenii, & judicii minus exquiſiti, aliàs tamen ad agendum, & loquendum promti, inter aſſiduas, diuturnaſque moras forenſis palæſtræ, univerſam juris facultatem ad formulas, conceptioneſque verborum redigunt, quas ita mordicus tenendas exiſtimant, ut a Juriſprudentia, tanquam profani arcendi ſint earum ignari, atque imperiti. Imo hæc ſola cenſetur ſcientia litis recte introducendæ, ejuſque modo accelerandæ, modo prolatandæ; exceptionis, ſive ad rem, ſive extra rem proponendæ; & generaliter veræ artis àcquirendæ, unde deterior cauſa

melior evadat, vel contra. Igitur non mirum ſi res eo paulatim devenit, ut in foro doctior, peritiorque habeatur, qui ſtrophis, antiſtrophiſque forenſibus memoriæ mandandis, plus operæ impendit, quam qui præter ſolidam juriſprudentiam, ipſarum formularum, & actuum judicialium originem, vim, & effectum ex ipſis legibus cognoſcere cupit: nam ille quaquaverſus iis utitur, unde vulgo cenſetur ad rem aptus, & dum victor exiſtit in cauſa, creditur ex tali ſcientia id proveniſſe: hic vero naturam ipſarum rerum cognoſcens, dum importunis, ineptis, cavilloſis, alienis, ſive formulis, ſive exceptionibus, ſive dilationibus abſtinet, quoties causâ cadit, licet injuſta, vellicatur, reprehenditur, utpote doctoris artis imperitus, & forenſibus negotiis omnino ineptus. Quid plura? jactantur undique hæ voces, & plauſu excipiuntur: *a ſcribis, apparitoribus, accenſis, formam, conſuetudinem, & uſum lites tractandi, cauſas ad exitum perducendi, melius cognoſci, eorumque operâ tutius, & commodius addiſci, quam diuturna, aſſiduaque meditatione circa juſtitiam, æquitatem, genuinum, & proprium ipſarum legum ſenſum, interpretationeſque juriſconſultorum.* Quæ omnia facta ſunt otioſorum occupationes, & eorum, qui abjecti, contemtique in ſcholis, & academiis docendo, & diſputando tempus terunt.

III. Sed ne quis putet, me hic cenſoris munus aſſumere (quod ſane privato, & nullius auctoritatis homini inconveniens eſt, præſertim cum in rebus humanis impoſſibile pene ſit vitia, & abuſus ſummoveri) ea ratione ſuperiora a me dicta volo, ut unicuique perſuaſum ſit, quæcumque eveniunt mala, & incommoda in civili diſciplina, provenire tum ex neglectu legum, tum ex pravo uſu. Sed quoniam perverſa indoles noſtra fert, ut procedente tempore virtutes, & bene inſtituta Majorum paulatim decreſcant, & ad interitum perducantur; vitia e contrario

rio, & morum corruptelæ magis, magiſque augeſcant, & confirmentur: ideo quæ in juriſprudentia cernuntur mala, in dies majora videmus accipere incrementa; unde eſt verendum, ne paulatim reddatur omnino invalidum ſacratiſſimarum legum auxilium, & pro iis vis dominetur, fraudibus cooperta, & verborum involucris; & denique paucorum arbitrium, ambitio, avaritia, petulantia.

IV. Hæc ſæpius cogitanti mihi viſum eſt, non leve remedium fore, ſi haberent adoleſcentes, qui foro ſeſe addicunt, uno volumine explicatas leges hujus Regni; nam ex earum multitudine, & confuſione, ut modo diximus, provenit neglectus, & abuſus. Jus quidem Romanum qui cupit addiſcere, facile habet unde poſſit ad metam pervenire, tum in ipſis legum fontibus, tum in libris Interpretum, qui doctrina, & methodo facilem viam reddunt. At in jure noſtro, quocumque te convertes, nihil aliud invenies, quam eadem ſæpius ad nauſeam uſque repetita, contrarietates, repugnantias, inextricabiles difficultates, obſcuras, & aliquando pueriles Doctorum concertationes potius, quam interpretationes. Nec mirum; nam primo Compoſitores legum noſtrarum longe fuerunt inferiores tum ſapientia, tum prudentia civili Auctoribus Romani juris; & propterea non ſemel difficillimum eſt, genuinam, & propriam rationem in illis invenire, niſi ad mores, & conſuetudinem Nationis conſtitutum jus referatur; quod oſtendere non ſemper eſt certum, atque expeditum. Mitto ſententiarum gravitatem, & ſermonis elegantiam, quæ utplurimum deſideratur; & contra loquacitas abundat, quæ ſolet contextum verborum obſcurum reddere; unde non ſemel, quæ proprie fuerit mens legislatoris divinatur potius, quam explicatur. Deinde Romana lingua, etſi mutationem aliquam accepit poſt reipublicæ in principatum transformationem, tamen iiſdem regulis continebatur; & propterea facile eſt, voces earum-

Digitized by Google

rumque ſtructuram in Romanis legibus intelligere : At noſtræ magna ex parte compoſitæ fuere iis temporibus , in quibus quamplurimæ latinæ voces in barbarum ſignificatum , barbaræ contra in latinum translatæ fuerunt ; & propterea non leve incommodum , præſertim , quod eædem voces aliquando diverſimode acceptæ ſunt. Denique, quod majoris momenti eſt , mores Romani , tum publici , tum privati , licet immutati non parum eſſent ſub Imperatoribus , & per conſequens ſupremi Imperii poteſtas, magiſtratuum officium , facultas , & nomina ; nihilominus eadem forma juris reddendi , juſtitiæque adminiſtrandæ ; & generaliter eadem ferme mens , & ſpiritus Romanus in legibus permanſit , & ſervatus fuit. Et propterea cernitur leviſſima inter leges Pandectarum , & Codicis diſcrepantia , & in univerſum in tota Juſtiniani Compoſitione ; unde facile eſt , iiſdem principiis , & regulis aptare , atque explicare leges , licet authorum , temporumque varietate diſſitas . Quæ omnia longe aliter apud nos ſeſe habuerunt; etenim hujus Regni Provinciæ , poſtquam Romano Imperio ſubtractæ , in extraneorum Principum dominatum tranſierunt , qui diſpari genere , diſſimili lingua , diverſos mores , inſtituta , & conſuetudinem vivendi præſeſerebant , facile fuit , ut diſſona , incompoſita , & ſibi contraria induceretur Juriſprudentia . Quod manifeſtius apparebit , ſi ejus origines , proximaque originibus , vel leviter conſideremus .

V. Gothorum quidem Reges , qui primi , expulſis Erulis , ſtabilem ſedem in Italia poſuerunt , quamvis Romanarum legum authoritatem confirmaſſent , tamen fieri non potuit , ut aliquid novi juris , partim ex more , & conſuetudine Nationis , partim ex edictis (*a*) , quæ ad rem facere exiſtimabant , non induceretur ; & propterea ab his primis initiis varietatem aliquam Juriſprudentia accepit . Sequuti deinde ſunt Longobardi , quorum dominatus cum diutiſſi-

(a) Vid. Edict. Theodor. in oper. Caſſiod.

ſime, præſertim in hoc Regno, ſtetiſſet, quamplurimæ latæ fuerunt novæ leges, a Romanis utplurimum diſcrepantes. Et quamvis illi ſtatuiſſent, ut ſubditorum eſſet in arbitrio, utrum Romano, an Longobardico jure vellent vivere *(a)*, tamen ſemper prævalebant dominantis Nationis leges. Et hinc non levis confuſio, & concertatio inter antiquum, & novum Jus; præſertim quod iiſdem temporibus ortum habuerit, veteribus omnino incognita, feudalis Juriſprudentia, quæ ſuis principiis a Romana plurimum recedens, neceſſario introduxit novam, variamque formam, & diſputandi, & judicandi. Pulſis demum Longobardis, Normanni Provincias noſtras occuparunt, eaſque in novam Principatus formam redegerunt ſub Regni nomine; unde novæ legum rogationes, & per conſequens nova confuſio; præſertim quod Normannorum ætate jus Romanum, ſive noviter inventum fuit, ut vulgo placet, ſive majores vires accepit ob receptam in publicis academiis interpretationem, paulatim abrogavit Longobardicum; ſed non uſque adeo, ut hujus veſtigia aliqua non remanerent, ſaltem ex longa conſuetudine, & uſu.

(a) Vid. lib. II. Leg. Longob. tit. 58.

VI. Voluit ſane Fridericus II. Imperator juriſprudentiæ ſtudioſis prodeſſe, dum componendum curavit noſtrarum legum Codicem ſub nomine *Conſtitutionum Regni utriuſque Siciliæ*, quæ majori ex parte ipſummet Fridericum authorem habent. Sed non propterea difficultas, & confuſio ſublata fuit; nam præterquamquod in ea Compilatione ordinis, ac methodi nulla fuit cura, & diligentia, non deſunt earundem rerum repetitiones, inutiles præfationes, confirmationes, aut abrogationes Romani juris, aliquando male explicati, atque intellecti. Hinc non ſemper facile eſt in iis conſtitutionibus cognoſcere jus novum, jus Longobardicum conſuetudine receptum, & confirmatum, aut denique jus Romanum reſtitutum, vel abrogatum. His addendum eſt quod omnes ſer-

ferme qui ſequuti ſunt Doctores, & Interpretes plus incommodi, quam utilitatis in juriſprudentiam intulerunt; etenim quidam ex iis majorem operam navarunt Longobardicis, quidam majorem Romanis legibus percipiendis, unde vis utrarumque magis, minuſque extollebatur, vel deprimebatur: omnes tamen dum vellent ſive eas in concordiam adducere, ſive primas per poſtremas explicare, aut e diverſo, mirum in modum omnia miſcuerunt, & reddiderunt difficiliora. Adhæc noviſſimæ canonum, & decretalium Collectiones, quæ cœperant jam non minus academias, quam tribunalia tam clericorum, quam laicorum occupare, novam præbuerunt occaſionem difficultatis, & confuſionis in juriſprudentia; ſiquidem iidem Doctores juſtos fines Sacerdotii, & Imperii ignorando, paſſim & Divinum, & Humanum jus confundunt, autoritatemque utriuſque labefactant, & convellunt.

VII. Poſt Fridericum ſecundum, omnemque Svevorum ſtirpem, ad quam per Normannos pertinuerat Regnum; qui ſequuti ſunt Reges de familia Andegavenſi, magis, magiſque Jus noſtrum auxerunt, & onerarunt, nam quamplurimas novas leges ſanxerunt (quæ *Regni Capitula* adpellata ſunt) ſive in emendationem juris antiqui, & præſertim Svevorum Principum, quorum memoriæ infenſi, conabantur, quoad fieri poterat, leges, & inſtituta ſubvertere; ſive ob nova negotia, quæ quotidie ſuboriebantur, nominatim ad crimina coercenda, facta jam ex ſuperioribus bellorum tumultis graviora, & frequentiora; ſive ob ſtylum, & ordinem judiciorum ſtatuendum, certiſque regulis confirmandum, qui paulatim tum conſuetudine, & uſu, tum opinionibus pragmaticorum, tum minus recta Romanarum legum interpretatione, novam formam, novamque methodum acceperat. Hinc juris Compilatio ſub fine Regni Andegavenſium apud nos ortum habuit, cujus titulus *Ritus Magnæ Curiæ Vica-*

riæ

riæ, ubi omnia ferme quæ traduntur, ad eum ordinem pertinent. Ex iis ritibus praxis, ut noſtri dicunt, forenſis, quæ jam obtinuerat in Tribunalibus Regni, obtinetque adhuc magna ex parte, originem habet. Fatendum ſane eſt, in iiſdem multa extare, & rationi conſona, & a jure cum civili, tum canonico non aliena: ſed eodem tempore quædam occurrunt partim abſurda, partim ita confuſa, & obſcura, ut vix divinare poſſis quiſnam fuerit compoſitorum ſenſus. In hæc autem diligentius inquirenti mihi veriſimile viſum eſt, compoſitores, dum vellent omnia complecti uſu forenſi jam recepta, non ſemper quæ proponebant examinaſſe, eſſentne ſecundum legum regulas, & principia, an ſecus; pertinerentne ad faciliorem formam juris noſtri obtinendi in judicio, an potius ad eandem ſubvertendam, vel ſaltem impediendam. Interpretes, qui poſtea ſequuti ſunt eorundem rituum, cum paulatim novis opinionibus eos oneraſſent, cumque variæ novæ leges ad eandem rem pertinentes promulgatæ eſſent, præſertim ut aliquo remedio fraudibus, & cavillationibus, quæ quotidie in foro oriuntur, occurreretur; factum eſt, ut forenſis praxis apud nos confuſiſſima ſit, & magna ex parte diſſona, & incerta; adeout difficillime ad certum ordinem, & methodum ea redigi poſſit. Et quamvis multi ex Pragmaticis integra volumina ea de re edidiſſent; tamen eorum ſtudium, omiſſis initiis, rerumque origine non repetita, tantum fuit in colligendis, & concinnandis certis verborum formulis, quæ cum utplurimum nullius, aut ineptæ ſint ſignificationis, & præter arbitrium priorum inventorum, deſtituantur ratione, & authoritate legum; ideo ipſimet ſæpiſſime inter ſe non conveniunt, & ad quoddam memoriæ artificium juſtitiæ potiorem partem, quæ eſt in ſuo unicuique tribuendo, reduxerunt. Neceſſarius quidem eſt, haud inficior, certus aliquis agendi, & lites pertractandi ordo, ac methodus;

ejuſque ignorantia verſantibus in foro non eſt ferenda; nam & Romani mortalium cordatiſſimi nihil quidquam ſolemne agebant, ne dicam in judiciis, in omnibus ferme negotiis, tum publicis, tum privatis alicujus momenti, ſine certis formulis, verborumque delectu, quo animi paratiores eſſent, & rei gerendæ attentiores (*a*); verum nihil abſurdum apud eos proferebatur; nihil inutile; aut ineptæ ſignificationis: illud tantum dico, ſolidam cognitionem juris, & communis, & noſtri antea requiri, adhoc ut recte judicialis ordo apprehendatur, & eodem tempore ſciatur, unde conſuetudo, & uſus judicandi, cauſaſque agendi, unde formulæ jam introductæ originem duxerunt, & quando ſuum habent effectum, neceſſariumque uſum, quando ſecus, ne illæ conſiſtant (ut videre eſt inter turbam ſcribarum, apparitorum, vulgariumque forenſium) in ſolo memoriæ artificio abſque ullo, vel intellectus, vel rationis uſu. Ex quo inanibus, & ſuperfluis ſcripturis, longiſſimis, implicatiſque verborum ſtrophis, portentoſis, & immanibus actuum judicialium complicationibus, vulgo proceſſibus, aptis defatigando laborioſo cuicumque, & patientiſſimo, cauſæ utplurimum obruuntur, ne amplius finem, aut exitum invenire poſſint. Et, quod deterius eſt, non ſemel iis honeſti cives, & bonis moribus præditi, paciſque ſectatores, fortunis ſuis ſpoliantur a callidis, verſutis, factioſis: innocentes irretiuntur; nocentes contra, & potentiores inveniunt unde a legum vinculis ſeſe diſſolvant. Sed evectus ſum longius quam volebam: ad reliquas juris noſtri partes veniamus.

(a) Vid. Einecc. in orat. de juriſpr. formul.

VIII. Non admodum difficilis apud nos juriſprudentia eſſet, ſi his tantum legibus contineretur. Sed longe majus incrementum accepit ex quo ad Reges Aragonenſes Regnum pervenit, tum propter novorum Magiſtratuum, & Tribunalium creationem, tum propter negotia, quæ noviter exoriebantur, præſertim ex frequentibus feudorum conceſſionibus, unde Baronum

num authoritas aucta, & per conſequens publici dominii forma immutata fuit. Demum translato Regno ad Hiſpanos Reges, qui per ſuos Vicarios illud adminiſtrabant, quotidie novarum legum occaſiones ſeſe offerebant, ſive ad ſtatuendum novum regimen introductum, ſive ad juriſdictionem novorum Magiſtratuum definiendam; ſive denique ad jus antiquum partim abrogandum, partim inſtaurandum, & confirmandum, ea ſcilicet in parte, quæ jam deficiebat, non minus ex morum corruptione, quam ex fraudibus forenſibus. Et propterea ad ſtupendam molem corpus legum, quæ *Pragmaticarum* titulo denotantur, fuit coagmentatum. In iis multa extant utilia, ſed non minus explicatu difficilia, nominatim ubi ad uſum fori traducuntur, unde non levis fit labor jus addiſcere volentibus; ſiquidem pars præcipua Neapolitanæ juriſprudentiæ in pragmaticis ſanctionibus extat. Nec alio nomine, aliâve forma deinceps leges latæ ſunt, & hodie feruntur. Verum illæ vitio tautologiæ ubique ſcatent, ut mittamus inutiles præfationes, longaſque concluſiones, quæ majorem partem uniuſcujuſque ſanctionis occupant. Et propterea poſſet immane corpus pragmaticarum brevi volumine concludi, ſi inutilia demantur, & ſæpius repetita; ſemper tamen, & ubique, aut parum, aut nihil ſervata.

IX. Hæ ſunt præcipuæ noſtrarum legum partes. Sunt & aliæ minoris momenti, ſiquidem, vel speciales ſunt alicujus loci, ut *Conſuetudines Neapolitanæ*, & *Barenſes* authoritate Regia firmatæ, vel quæ *Privilegiorum*, & *Capitulorum* nomine comprehenduntur in proprio, & peculiari volumine. Sunt denique innumera apud nos uſu fori recepta, quæ licet propriè leges non ſint, parem tamen, aut non diſſimilem vim habent. Inter quæ primum locum ſibi vindicant *Ritus Regiæ Cameræ*, privata quidem authoritate ab Andrea de Iſernia collecti, ſed uſu, & conſuetudine judicandi in eadem Regia Camera confirmati. Quemad-

admodum & *Decreta* quædam ejuſdem Tribunalis, *generalia* vulgo dicta, utpote in certis quidem factorum ſpeciebus prolata, verumtamen generaliter obſervanda. Eodem ſenſu gallico vocabulo *Arreſta Cameræ* nominantur. In his tamen omnibus ordo, & methodus deſideratur; contra extant inutilia non pauca, multa abrogata, innumera repetita. Prætermitto ſpeciales quorundam locorum conſuetudines, quæ licet publicis literis conſignatæ, tamen partem juris Regni non faciunt, utpote authoritate Regia deſtitutæ, quæque obſtringunt tantum cives ejuſdem loci, & infinitum prope eſſet de his omnibus differere, cum nullæ ferme ſint in Regno Univerſitates, quæ peculiares quaſdam conſuetudines non habeant. Hoc idem dicendum de variis Regum *Diplomatibus*, quæ omni ferme tempore pro incidentibus negotiis expediri ſunt ſolita; nam & hæc infinita ſunt, & in publicum non edita, unde ad certam formam reduci non poſſunt. Nec Reges, aut eorum Vicarii ea mente illa confecerunt, ut univerſalis legis vim haberent, ſed tantum, ut negotium de quo agebatur, ad exitum perduceretur. Qua in re uti poſſumus exemplo juris Romani, & Canonici, ſiquidem reſcripta vel Imperatorum, vel Pontificum pro certis cauſis, & perſonis, non obtinent vim legis generalis, niſi nominatim ea ratione publicata ſint, vel in legum aliquam Collectionem conjecta (*a*). De his diplomatibus, ſive reſcriptis notabile eſt judicium Franciſci Duareni (*b*), quo & nos uti debemus in re præſenti: *addutebantur autem, & referebantur* (reſcripta), *ſicut hodie adduci ſolent res judicatæ in ſupremis Curiis, quæ etſi propter judicum authoritatem magni præjudicii ſint, non tamen vim legum habent*. Quæ regula a nobis tenenda eſt in deciſionibus, quas vocant noſtri, & quas tertio quoque verbo allegare ſolent, ſive in interpretatione juris controverſi, ſive in lite aliqua terminanda. Excipiuntur tantum illæ, quæ in

(a) Vid. l. un. §. quib. in fin. C. de nov. Cod. fac.

(b) Cap. 6. ad tit. C. de cond. indeb.

in Sacro Conſilio formatæ ſunt *in modum legis condendæ*, ut utar formula Pragmaticorum; tunc enim generaliter allegari ſolent tanquam univerſales leges. Etenim hoc Tribunal præſefert quodammodo authoritatem Prætorum, qui ſuis edictis, vel adjuvando, vel ſupplendo, vel corrigendo jure civili, non ſemel noviter ſtatuebant, quæ legibus, vel ſenatuſconſultis erant prætermiſſa.

X. Ex his, quas hactenus enumeravimus, partibus juris Regni ſatis patet, quam maxima illud involvatur confuſione, & difficultate. Quod magis, magiſque experiuntur qui ad ejus cognitionem propius accedunt. Verum hæc non magni eſſent momenti ad perdiſcendum, ſi Doctorum, & Interpretum diligentia suppleretur, quod in ipſarum legum collectione deeſt; nam ut ait prudenter Donellus (*a*) *a Principibus eſt authoritas juris, a peritis, & intelligentibus via, & recta ratio docendi*. Sed contra illi videntur quaſi in perniciem ordinis, ac methodi conjuraſſe, & veluti de induſtria omnia non ſuis locis collocare voluiſſe. Et præſertim novi Expoſitores, & Pragmatici, qui dum neceſſaria prætermittunt, ad inutilia & a propoſito aliena accedunt libenter, in unum, eundemque locum congerendo quidquid vel ex aliis ſcriptoribus, vel ex uſu didicerunt; majori reprehenſione digni, quam olim Albutius rhetor, qui ut ſcribit Seneca (*b*) in omni controverſia dicebat, non quidquid deberet, ſed quidquid poſſet. Hinc non mirum ſi immenſus prope ſit labor jus noſtrum addiſcere volentibus.

(a) Cap. pr. comment

(b) Præf. lib. 3. controverſ.

XI. Et quamvis Carolus Tapia ſub certis titulis diſponere curaſſet leges Regni, ſecundum ordinem Codicis Juſtiniani, ut ipſe ait in præfatione, iiſque antiquorum, & proprias addidiſſet interpretationes; tamen ejus opus nec cupidæ legum juventuti, nec emunctæ naris hominibus ſatisfacit. Primo quod ordo ipſe Juſtinianeæ collectionis, quem imitandum ſuſcepit, non uſquequaque ad docendum, addiſcendum-

dumque jus videtur aptus, prout accurate oſtendit idem Donellus (a); unde ſæpe ultima apparent prælata primis, media utriſque. Ex quo labor, & incommodum legentibus maximum affertur. Adhæc multoties, quod in uno titulo deeſt, ex alio eſt petendum; multoties contraria, & difficilia explicanda, & propterea ingenioſo interprete opus eſt, qui omnia methodice ſub uno veluti conſpectu proponat; ut nihil in ea materia ad rectam cognitionem deſit. In Tapiæ collectione non ſolum hæc omnia deſiderantur, ſed etiam peccatum eſt in eo, quod, cum opus privata authoritate ſit ſuſceptum, paſſim occurrunt in uno, eodemque titulo leges inter ſe pugnantes, & contrariæ; unde jus quod ibi proponitur ſit incertum legentibus, & cognitu difficillimum. Dein multoties leguntur tituli, qui continent materiam omnino alienam; unde ſæpius divinari oportet quo in loco hæc, vel illa conſtitutio inveniri poſſit. Sit exempli loco titulus primus, qui ſic habet: *De novo Philippi codice componendo*. Prout verba hic ſonant, ſtatim quis credet ibi inveniri aliquam legem Philippi III. Hiſpaniarum Regis, cujus ætate ille codex compoſitus, editusque fuit. Sed cum talis conſtitutio non extaret, vellet autem Tapia Juſtiniani imitatorem ſe præbere, qui in primo titulo de *novo Codice faciendo*, legem in eum finem rogavit; conſtitutionem attexuit Friderici II. quæ in libro conſtitutionum legitur ſub titulo *de legibus, & conſuetudinibus antiquatis*; ſed longe alienam a propoſito; nam quid commune eſt inter titulum *de novo Philippi codice componendo*, & conſtitutionem Friderici, qua hic Princeps mandavit, ut nullæ aliæ obſervarentur conſtitutiones, quam quæ in ſuo volumine extarent? Ejuſdem farinæ eſt ritus M. C. qui apponitur a Tapia ſub eodem primo titulo. Aliquando titulus in eo Codice iiſdem verbis conceptus legitur, ac in jure Romano, licet res contineat ſpecia-

(a) Loco cit.

cialiter noſtris legibus ſtatutas, & ad noſtros mores accommodatas. Hujus generis eſt titulus *de Officio Procuratoris Cæſaris*, qui dum ibi occurrit, admirationis occaſionem legenti præbet; quidnam commune habeat officium, quod olim ſub Romanis Principibus eorum procuratores exercebant in quibuſdam Imperii Provinciis, cum legibus Regni Neapolitani? At credidit Tapia eruditionis metam attingere, dum leges, quæ apud nos latæ ſunt ad ærarium, ſive ad cameram Regis pertinentes, ſub eo titulo collocaret; cum quale apud Romanos fuerit munus Procuratoris Cæſaris, tale in Regno ſit Regia Camera. Sed hæc ratio pro nihilo habenda eſt; nam primo non leve eſt diſcrimen inter utrumque munus, prout ſuo loco dicetur; deinde quid opus eſt priſcis nominibus deſignare novos Magiſtratus, nova officiorum genera, quæ jam & ſua origine, & uſu propria vocabula ſortita ſunt? Nec noſtros, credendum eſt, de latina lingua parum ſollicitos, faſtidii adeo delicatiſſimi fuiſſe, ut Petrum Bembum imitarentur, qui ne novo vocabulo *excommunicationis* uteretur, *interdictionem aquæ, & ignis* eam appellavit. Poſtremo ſi tanta in vocabulis ſeligendis religio Tapiam tenuit, cur titulos *de officio Sacri Conſilii, Magiſtri Juſtitiarii, Magiſtri Jurati &c.* non inſcripſit *de officio Præfecti prætorio, Præſidis, Proconſulis, Præfecti vigilum, de Curioſis, & ſtationariis*; cum inter hæc aliquam potuiſſet ſimilitudinem invenire? Titulus qui apponitur in eadem compilatione *de Senatuſconſulto Macedoniano* eodem vitio laborat, nam leges quæ ibi a Tapia collocantur omnino ſunt alienæ; illud enim S. C. tantum agit de mutuo, quod dari prohibetur filiisfamilias. At leges Regni tractant generaliter de ſolemnibus obſervandis in quocumque filiorumfamilias contractu; & propterea talis propria fuiſſet tituli inſcriptio: *Quomodo filiusfamilias contractus celebrare poſſit*. Etenim authores S. C. Macedoniani, prohibentes tantum mutuum, non ſolum ni-

nihil ſanxerunt, ſed ne cogitarunt quidem, quanam ratione filiifamilias ſcripturas obligationum conficere deberent, utrum cum Notario, an ſecus; & quæ clauſulæ adhibendæ eſſent. Quod ſpecialiter noſtris legibus proviſum eſt.

XII. Sed hæc omittamus, utpote leviora, & videamus breviter quid de ſuo præſtiterit Tapia. Primum omnium in ſingulis conſtitutionibus, capitulis, ritibus, pragmaticis, ſummas, quas vocant, præponit, raro ex aliis authoribus deſumtas, utplurimum a ſe confectas; more jam uſitato ab antiquis Romani juris interpretibus, prout videre eſt in vulgata editione Pandectarum, & Codicis. Nolim hanc rationem legum explicandarum uſquequaque improbari, cum nonnihil utilitatis ea contineat; licet ea de re Duarenus reprehendat Bartolum, cæteroſque ejuſdem ſcholæ Doctores, quod non ſemel ex ſpecie legis regulas conficiant nimis generales, & abſtractas, quæ erroribus occaſionem præbere ſolent. Neſcio autem cur Tapia voluerit novas ipſe ſummas conficere, cum jam extarent in vulgata editione conſtitutionum, operâ Lalli de Tuſcia, & Matthæi de Afflictis, qui majori ſtudio, & diligentia ad eas explicandas acceſſerunt. Præter ſummas apponit notas, & interpretationes antiquorum, & præſertim Andreæ de Iſernia; & demum proprias, quas ait, ſe compoſuiſſe tum aſſiduo labore, tum continuo uſu forenſi. Sed vereor ne tale opus plus confuſionis, quam utilitatis attulerit. Prætereo barbaram, & incomptam loquendi formam, commune vitium omnium pragmaticorum; unde dolendum ſane eſt, nulla unquam ætate leges noſtras in eo genere nactas eſſe, non dicam optimos, ſed ne tolerabiles quidem expoſitores: quid dicemus de Romanarum legum minus recta interpretatione, ex qua legibus Regni interpretandis falſæ aptantur regulæ, & axiomata; unde eodem tempore & commune, & municipale jus confundi-

ditur, & male explicatur? Quid de importuna, & faſtidioſa legum, doctorumque citatione, non ſemel extra rem, & inutili? Quid de tot locis communibus ſæpius repetitis, præſertim in principiis titulorum; & de brocardicis, ut dicunt, a materia alienis? Quid de authoritate rerum judicatarum, ſive deciſionum, quæ non ſemel inter ſe contrariæ in una, eademque facti ſpecie afferuntur; unde pro jure certo, controverſum, & tam actoris, quam rei partibus deſerviens proponitur? E diverſo prætermittuntur fere ſemper origines legum, atque occaſiones, ex quibus erui ſolet genuina earum ſententia. Prætermittitur quoque diſcrepantia, & cohærentia cum aliis legibus. Denique prætermittitur quidquid ſolidæ difficultatis extat, & quæ ſit propria dubitandi ratio. Quo fit ſæpiſſime, ut cupiens quis legis alicujus ſenſum percipere, etſi longiſſimum commentarium ſemel, iterumque percurrat, nihilominus poſt magnam temporis jacturam ludificetur. Hæc omnia non modo viam non aperiunt facilem, & expeditam ad cognitionem legum noſtrarum, in quo conſiſtit munus expoſitoris; ſed contra adeo præruptam reddunt, & difficilem, ut de exitu utplurimum deſperetur.

XIII. Quod attinet ad inſtitutum meum, decimus quintus jam annus agitur, ex quo ea mihi demandata fuit provincia, ut Inſtitutiones juris Regni componerem, eaſque in Regia academia docerem. Et quamvis adoleſcens dum foro me addixeram, municipalis juris, forenſiumque ſcriptorum libros volutare ſolitus fuiſſem; tamen ad illud opus dum ſerio me accinxi, obrutus pene ſui multiplicitate rerum, & confuſione; etenim novum, & omnibus intentatum iter ſuſcipiens, quo magis progrediebar, tanquam in vaſtiorem altitudinem mihi videbar procedere, & creſcere pene opus, quod prima quæque perficiendo minui exiſtimabam. Sed tandem obluctando, poſt multas vigilias, laboreſque, eas Inſtitutiones in par-

tes quatuor diviſas; ad metam perduxi; & per aliquot annos, non ſine ſtudioſæ juventutis utilitate, publice explicavi. At procedente tempore eadem maturius examinando, præſertim quod in voluminibus pragmaticorum frequentius verſari deberem, ob onus judicandi noviter mihi injunctum; ſæpiſſime in eas interpretationes incidi, & conſuetudines forenſes, quæ male videbantur ex legibus deductæ; ipſæque leges aliquando male intellectæ. Quæ omnia cum quotidie in ſchedis annotarem, tandem decrevi Inſtitutionibus addere, & uno volumine comprehendere, publicique juris facere. Verum a priori ordine recedendum exiſtimavi, cum cognoviſſem, legum noſtrarum majorem partem occupare ea, quæ ad ſtatum publicum pertinent. Et propterea commodius duxi, hos commentarios a tractatione juris publici inchoare. Nolo autem hic longa verborum congerie gloriam mihi captare, ſigillatim enumerando, quæ præſtiterim in opere natura ſua laborioſiſſimo; quoniam ea ex rebus ipſis apparebunt. Illud tantum pro certo haberi volo, me, nec tempori, nec labori defuiſſe, tum ut pro virili parte aliquid adjumenti afferrem leges Regni diſcere volentibus; tum ut omnibus perſuaſum eſſet, eas leges nec ratione deſtitutas eſſe, nec æquitate; & ex iis quod cujuſque eſt conſervari, & confirmari; modo recte intelligantur, ordine ac methodo explicentur, & a vulgaribus erroribus vindicentur.

PAR-

PARTIS PRIMÆ COMMENTARIORUM DE JURE REGNI NEAPOLITANI

LIBER I.

CAPUT I.

Univerſum Jus Regni dividitur in publicum, & privatum; & de publico inſtituitur primo loco tractatio.

QUONIAM non minus rationis viribus, quam ſapientum præceptis homines admonentur, ſe non ad proprium tantum commodum natos eſſe, verum etiam ad alienum, nempe cæterorum hominum, ut ſocietate, & conſortio, quo natura feruntur, poſſint libere uti; & tranquille, ne unuſquiſque cuncta ad ſe trahendo, & ſuas, & aliorum utilitates corrumpat: ideo ſtatim ac de legibus cœpit tractari, ſive de regulis, & præceptis formandis, quibus humanæ actiones ad juſtum, & rectum componerentur, cognitum eſt, quædam publice utilia eſſe, quædam privatim. Hinc publici, privatique juris diviſio cum ipſa humana ſocietate ortum habuiſſe videtur. Societas autem, & hominum communio, vel generaliter poteſt intelligi, vel ſpecialiter: generaliter complectitur omnes homines, qui eadem ratione cum ſint præditi, eundemque ſui authorem cognoſcant, licet terræ, aut maris longiſſimis ſpatiis disjuncti, videntur communi ſocietate humana, & conſortio uti. Quo ſenſu eleganter ait Juriſconſultus in *l. 3. D. de juſtit. & jur. cognationem quandam inter homines naturam conſtituiſſe*. Et propterea jura quædam publi-

blica, ſive omnium hominum communia, veluti tacito quodam conſenſu ſibi conſtituerunt. Hoc ſive naturale jus a ſola ratione profectum, ſive gentium dixeris, parum refert. Specialiter jus publicum denotat illud, quod ſingulæ nationes, vel civitates ad ſpecialem ſuam ſocietatem conſtituendam, conſervandamque confecerunt.

II. Prioris generis jus publicum ad inſtitutum noſtrum non pertinet, nam, præterquamquod a tot ſapientiſſimis viris ſumma cura, & diligentia illud tractatum, atque explicatum eſt, unde ſupervacaneum foret de eadem re diſſerere; in legibus Regni Neapolitani, quas exponendas, & in ordinem redigendas ſuſcepimus, quid opus erat confirmare, quæ communi hominum conſenſu jam ſunt recepta? vel ſi non ſunt, & adhuc in diſceptationem cadere poſſunt, inutile eſt ea definiri unius populi authoritate, cum cæteri rationem ſolam judicem expoſcant; ejuſque confirmandæ, vel explicandæ gratia adjungantur tantum, vel ſapientum, vel rerum geſtarum authoritates. Hinc ſuaves admodum ſunt veteres Doctores, & Pragmatici, qui ex quibuſdam librorum juris titulis, veluti *ad legem Rhodiam de jactu*, *de captivis*, *& poſtliminio reverſis*, *de re militari &c.* & ex quibuſdam municipalibus ſtatutis, vel ritibus, nulla alia imbuti, vel doctrina, vel ſcientia, libere accedunt ad quamcumque controverſiam terminandam, licet difficillimam, de jure publico. Ii vero audiendi non ſunt, & præſertim vir doctiſſimus Joannes Barbeyracius *in præfatione gallica ad Pufendorfium*, qui Romanos Juriſconſultos non admodum verſatos cenſent in juris publici ſcientia; idque conjiciunt ex eo, quod in libris Pandectarum pauciſſima, eaque per accidens aliquando, veſtigia illius occurrant: nam Triboniano, cæteriſque Compoſitoribus propoſitum tantum fuit ea colligere, quæ ad rem Romanam faciebant, eaſque leges proponere, quæ Imperii ſubditos obligarent. Cæterum quis unquam ſibi perſuadeat, ſumma illa Scævolæ, Papiniani, Ulpiani ingenia, & ſublimioris philoſophiæ præceptis imbuta, ignoraſſe, aut non pertractaſſe Jus illud, quod ſcire intereſt humani generis? & eo magis, quod in

tan-

tanto Imperio facillime tales controverſiæ oriebantur; nec poterat aliunde, quam ex ſcholis Juriſconſultorum earum cognitio acquiri.

III. Cum igitur propoſitum nobis eſſet univerſum Jus hujus Regni exponere, primo loco neceſſarium duximus a publico incipere; ſed quod ſpeciali modo ita appellatur; inde enim cives ſinguli præcipuam utilitatem aſſumunt; nam quæ perfecta obſervatur juſti norma in corpore univerſo, eadem ſenſim influit in partes ſingulas. Hinc ſapientiſſimos Legislatores maxima cura tenuit circa leges ad ſtatum publicum pertinentes; & perbeatæ civitates illæ apparent, in quibus ſtudium publicarum rerum privatis anteponitur; contra infeliciſsimæ ubi contrarium obtinet; nam ut eleganter ait Livius *publica prodendo, privata nequicquam ſervantur*. In hoc Regno, ſi diligenter immenſa noſtrarum legum volumina perſcrutamur, liquido apparebit, non minimam eorum partem occupare jus publicum; etenim ubi morum corruptio major eſt, ibi major quoque cernitur publicarum rerum confuſio, & inverſio. Et propterea omni ferme tempore opus fuit, novis remediis per leges publicis incommodis ſubvenire. Quæ ſpectant ad jus privatum, ſeu quod directe, & principaliter ſingulorum civium cauſa comparatum eſt, ſecundo loco proponemus.

IV. Hæc ſane methodus ex parte cernitur in compoſitione librorum Juris Juſtinianei, ut in primis titulis Pandectarum, & Codicis. Dixi ex parte, nam multa ad jus publicum pertinentia ſparſim ibi leguntur, & aliquando non ſuis locis appoſita, plerumque tamen in poſtremis libris ejuſdem Codicis, & confuſim in volumine Novellarum. In collectione legum Regni apud Tapiam major apparet confuſio; unde non levis labor erit omnia, & ſingula propriis ſedibus collocare, & diſponere, facilique methodo explicare. Nec movemur quod Juſtinianus in ſuis Inſtitutionibus tractationem juris publici omiſerit, contentus tantum de jure privato agere; nam Imperator cum ibi proponere vellet prima veluti legum cunabula, ut ipſe ait, adoleſcentibus, exiſtimavit publicum jus tanquam difficilius omittere.

Quod

Quod ſecus ſe habet ſecundum præſens inſtitutum noſtrum; nam leges Regni dum exponimus, credendum eſt, ad hæc legenda non accedere, niſi qui primis rudimentis jam ſunt exculti; & propterea iis non erit publici juris explicatio difficilis. Deinde cum nonnulla ſint in Inſtitutionibus Juſtinianeis reprehendenda, præcipuum videtur mihi, quod Jus publicum ſit omiſſum; nam quæ poteſt eſſe ejus tanta difficultas, ut ſtudioſorum captum ſuperet, non video, quoties ſingula quæque perſpicue traduntur, & methodice.

V. Jus publicum ſpecialiter acceptum Ulpianus in *l.* 1. §. 2. *D. de juſt. & jur.* definit illud, quod conſiſtit in *Sacris*, in *Sacerdotibus*, in *Magiſtratibus*. Sed jus ſacrum aliquando diſtinguitur a publico, & tertium genus conſtituit; unde Auſonius *idyl.* 15. in XII. tabulis hæc proponit diſtincta.

Jus triplex, tabulæ quod ter ſanxere quaternæ;
Sacrum, privatum, populique commune quod uſquam eſt.

Idem & Quintilianus fecit *lib.* 2. *cap.* 4. vide Hotom. Balduin. Gyphan. in §. *ult. inſtitut. de juſt. & jur.* At ſi proprie loqui volumus, nihil magis ad ſtatum publicum pertinet, quam rerum ſacrarum cura, & adminiſtratio; unde opus non eſt diverſum genus ſtatuere. Superior definitio Ulpiani anguſtior eſt, quam ut omnes partes contineat, nam præter ſuperiora, jure publico continentur, quæ de legibus, de vectigalibus, de viis publicis, de academiis, de re militari, de annona &c. ſtatuuntur. Et in ſumma jure publico continentur omnia, quæ *ſunt propria civitatis, atque imperii*, ut loquitur Cicero *lib.* 1. *de Orat.* ſive omnia, quæ ad univerſam civitatem, & imperium conſervandum ſpectant. Se ne diutius dialecticorum more in his diſtinctionibus immoremur, age veniamus ad rerum ipſarum explicationem.

CA-

Digitized by Google

CAPUT II.

De jure ſacro, ſive quod pertinet ad Religionem, & ad res ſacras conſervandas.

NON deerunt fortaſſis ex imperitorum turba nonnulli, qui mirentur, me ad explicationem legum Regni accedentem initium ſumere a jure ſacro, & a rebus ad Religionem pertinentibus, cum ſatis conſtet, hæc propria eſſe juris eccleſiaſtici, authoritatemque ſumere, non a civili, ſed ab eccleſiaſtica poteſtate, quæ ab illa apud nos chriſtianos omnino diſtincta eſt: *Duæ ſunt perſonæ*, inquit *c. 40. 2. qu. 7. quibus Mundus iſte regitur, Regalis videlicet, & Sacerdotalis; ſicuti Reges præſunt in cauſis ſæculi, ita Sacerdotes in cauſis Dei*. Verum ſcire oportet, cum de jure ſacro hic a me inſtituitur diſputatio, tantum ea proponi, quæ leges noſtræ ſtatuunt ad confirmationem eccleſiaſticæ poteſtatis, & ad tuenda ea, quæ jam conſtituta ſunt; ſive per Verbum Dei, ſive per canonicas ſanctiones, ut Religio in ſuo ſtatu permaneat, & incolumis conſervetur.

II. Et ſane, ex quo primum ſummi Numinis benignitate veritas fidei affulſit cordibus populorum, ſub Romano imperio exiſtentium, ipſique Imperatores ad eandem gratiam vocati fuere, conveniens, imo neceſſarium apparuit, ut inter præcipuas Principis ſollicitudines defenſio adnumeraretur, & conſervatio Religionis. *Debes incunctanter advertere* (ſic ſcribit Imperatori S. Leo Pontifex *epiſt.* 81.) *Regiam poteſtatem tibi non ſolum ad Mundi regimen, ſed etiam maxime ad Eccleſiæ præſidium eſſe collatam, ut auſus nefarios comprimendo, & quæ bene ſtatuta ſunt defendas, & veram pacem iis, quæ ſunt turbata reſtituas*. Hinc innumeras in Codice, tum Theodoſii, tum Juſtiniani, necnon in libris Novellarum legimus ſanctiones chriſtianorum Principum, ad jus ſacrum ſpectantes; non quia illi poteſtatem ſpiritualem ſibi aſſumerent, aut interverterent, ſed quia ſa-

ſatis ſuperque cognoſcebant, *res humanas aliter tutas eſſe non poſſe* (ſic loquitur idem Pontifex *epiſt.* 33.) *niſi quæ ad divinam confeſſionem pertinent, & Regia, & Sacerdotalis defendat authoritas*. Unde leges promulgarunt, tum ad conſervandam fidem, ſive ſecundum jus Divinum, ſive Conciliorum definitiones; tum ad privilegia, immunitates, exemtiones Eccleſiarum ſpectantes, ut ſcilicet per eas facilius res ſacræ adminiſtrarentur, & divinus cultus decentius perageretur. Eo pertinent tituli, de *Summa Trinitate, & fide catholica*; *de ſacroſanctis Eccleſiis*; *de Epiſcopis, & Clericis*; *de Epiſcopali audientia &c.*

III. In hoc Regno, qui Principes rerum potiti ſunt; cum a reliquis chriſtiani orbis pietate, & ſollicitudine non vincerentur, etiam voluerunt ſuas ferre leges Religioni, & ſtatui eccleſiaſtico conducentes; quas jus ſacrum dicere poſſumus, nempe ratione ſubjecti, quia rebus ſacris confirmandis deſerviunt. Et hanc duximus eſſe præcipuam partem juris publici; nam nullæ leges publicæ utilitati magis proficiunt, aut magis publicum ſtatum confirmant, mutuumque amorem, & tranquillitatem inter cives fovent; quam quæ veram, & rectam religionem defendunt. Sed quoniam homines non ſemel ſive nimio diſputandi ſtudio, ſive propriæ authoritatis ampliandæ, aberrant a legitimo tramite; ideo innumeræ extiterunt controverſiæ apud nos circa veros, & juſtos Sacerdotii, & Imperii confines; quas fateor, me in hoc opere non una de cauſa omittere. Primo, quia hæc non poſſunt tractari ſine periculo offenſionis, unde ſcriptores earundem rerum in varias reprehenſiones incurrunt; nam alii propter ignorantiam falluntur; alii propter malitiam, dum favore partium ad ſcribendum potius accedunt, & ut gratiam captent, quam ut veritatem inquirant, & proponant. Secundo, quia quæ ad hanc materiam pertinent, magna ex parte continentur apud nos ineditis quibuſdam ſcripturis, & erui ſolent a nonnullis factorum ſpeciebus, quæ jus certum inducere non poſſunt; nam alias uno, alias diverſo modo judicatum eſt, & obtinuit, prout ipſis Regibus, qui variis temporibus

im-

Digitized by Google

imperarunt, eorumque Miniſtris plus, minuſve eccleſiaſticorum ſtatui favere, aut refragari placuit: & propterea importunum eſſet, ut nulla publica authoritate vellet quis his de rebus ſcribere, & diſputare. Tertio demum, quia quamplurima, quæ olim in dubium revocabantur, unde quotidianæ concertationes inter eccleſiaſticos, & regios judices exoriebantur, jam compoſita ſunt per noviſſimum pactionis inſtrumentum, quod vulgo dicimus *Concordatum*, initum inter Sedem Apoſtolicam, & Regem noſtrum; & propterea inutile foret de iis amplius diſputare, & argumenta congerere in utramque partem; quemadmodum apud Gallos inutiles, & ſupervacuæ jam factæ ſunt diſputationes pro defendenda, vel impugnanda celeberrima Pragmatica Sanctione lata ſub Regno Caroli VII. poſt Concordatum inter Leonem X. & Franciſcum I. Dum autem accedo ad explicanda ea, quæ jam legibus noſtris expreſſa ſunt, aut uſu jam recepta, & ab ipſis Eccleſiaſticis tacito quodam conſenſu approbata, profiteor, me nolle alterius juri quidquam detrahere; ſiquidem in animo mihi eſt, eodem tempore, & chriſtiani, & civis officium adimplere.

IV. Prima, & præcipua inter curas Principis eſſe debet Religionis conſervatio, ſcilicet dare operam, ne illa aliquid detrimenti capiat. Hoc ſane efficiebant chriſtiani Imperatores, dum ſuis edictis confirmabant, quæ circa fidem in Conciliis generalibus ſtatuebantur, & dum ſectas hæreticorum prohibebant, eoſque plectebant variis pœnis. Vide exempla in Codice Juſtiniani, & Theodoſii *ſub titulis de Summa Trinitate, & Fide Catholica, & de Hæreticis.* Idem apud nos præſtitit primo Fridericus II. in conſtitut. *inconſutilem tit. de Hæreticis*, ubi ſeveriſſimis pœnis damnat omnes hæreticos, qui ea ætate graſſabantur, & generali nomine dicebantur Patareni, quaſi ad patiendum parati, ut ait conſtitutio; ſive potius a Patara, ſive Patera Lyciæ Urbe; unde originem duxerunt, imbuti erroribus Manichæorum, vid. Spond. *ad ann.* 1189. Voluit igitur Fridericus, ut cum quis per Judicem eccleſiaſticum ſit de hæreſi convictus, ſi non reſipiſcat, & errores abji-

ciat,

ciat, tradatur curiæ ſæculari puniendus mortis pœna poſt bonorum publicationem; quia tale crimen, & publicum fecit Imperator, & læſæ Majeſtatis.

V. Solent hic politicorum nonnulli, qui religiones cujuſcumque generis in ſtatu civili tolerandas defendunt, hujuſmodi leges improbare; & abutuntur Tertulliani verbis epiſt. ad Scapulam: *Non eſt Religionis cogere Religionem, quæ ſponte ſuſcipi debet, non vi, non armis, cum & hoſtiæ ab anima libente expoſtulentur*. Sed hæc verba intelligenda ſunt, quoties ad infideles, & exteras nationes propaganda eſt chriſtiana fides; quæ, more uſitato ab Apoſtolis, Apoſtolicisque viris, prædicatione, & perſuaſione niti debet, non armis. At ubi in aliqua Provincia, & Regno religio jam recepta eſt, & inveterato uſu tali ratione, ac methodo confirmata, nonne piaculum eſt deteſtabile, ſingulis civibus permittere quidlibet circa fidem credere, ſcribere, aut prædicare? Fides ex monitu D. Pauli *prima ad Chorinthios cap. 2.* non debet eſſe in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei; & propterea circa articulos credendi, quæ in Scripturis expreſſa ſunt, & confirmata authoritate legitima per Eccleſiam, nobis debent eſſe pro regula firmiſſima, non quod huic, vel illi placuit ſibi, aut reliquis perſuadere. Ipſimet veteres Romani, licet falſæ religionis imbuti principiis, admodum ſolliciti erant, ne externis ſacris, & cœremoniis publica religio contaminaretur; præſertim quod ſoleant aliquando homines perverſi divinum Numen ſceleribus prætendere, vid. Livium *decad. 4. lib. 9.* Mitto ſeditiones, & turbas, quas excitare ſolent novæ opiniones, & hæreſes, prout ex hiſtoriis affatim docemur. Quapropter optimi cujuſque Principis eſt talia evitare, propriiſque remediis evertere.

VI. In conſtitutione Friderici quædam notanda ſunt tum circa pœnam, tum circa modum procedendi contra hæreticos. Circa pœnam, in legibus Imperatorum orientalium, quæ extant in Codice Theodoſii, raro ſtatuitur ultimum ſupplicium, niſi contra certos hæreticos ſumma perfidia, & contumacia notatos, & ubi tumultus, & ſeditiones excitantur;

ſed

ſed utplurimum mulcta, exilium, bonorum publicatio imponitur. At Fridericus indiſtincte voluit contra hæreticos pertinaces mortis pœnam infligi. Quod fortaſſis ea tempeſtate conveniens viſum fuit ad ſedandas novas hæreſes, quæ quotidie exoriebantur, *nam maleficiorum ſupplicia exacerbantur*, inquit *lex 16. in fin. D. de pœnis*, *quoties multis perſonis graſſantibus exemplo opus eſt*. Et hoc ſane ſuadent poſtrema verba conſtitutionis, nam jubetur, ut Patareni vivi comburantur, & additur, ut id fiat in conſpectu populi, quo reliqui deterreantur. Cæterum ex pia mente Eccleſiæ nimia ſeveritas hac in re removenda eſt, præcipue ubi crimen non eſt adeo frequens. Id nos docere voluit D. Auguſtinus *epiſt.* 100. ſcribens Donato Africæ Proconſuli, qui ſeverius hæreticos punire ſolebat, dum ait: *Corrigi eos cupimus, non necari . . . . nec ſuppliciis, quibus digni ſunt, exerceri. Sic igitur eorum peccata compeſce, ut ſint quos pœniteat peccaſſe*. Quod autem Fridericus ſtatuit circa publicationem bonorum, & inquiſitionem poſt mortem hæretici, ex jure Romano eſt, vid. *l.* 4. *Cod. de hæreticis*. Unde cum tale crimen hac in re compararetur læſæ Majeſtati, vulgo placuit Doctoribus, Majeſtatem dividere in divinam, & humanam; & propterea hæreſim appellant crimen læſæ Majeſtatis divinæ. Sed hoc genus loquendi non probatur Antonio Matthæo *de criminibus tit. ad legem Juliam Majeſt.*

VII. Sed accedamus ad partem alteram conſtitutionis, quæ verſatur circa modum procedendi contra hæreticos. Hac in re non tantum placuit Imperatori crimen hæreſeos publicum facere, ut ſcilicet omnibus daretur facultas accuſandi, quod & ſtatutum fuit *in dicta l.* 4. verum etiam inquirendi contra reos ſpeciale munus injunxit ſuis officialibus. Nihil etiam novi hic ſtatuit Fridericus, nam ex quo publicarum accuſationum uſus intermiſſus eſt propter calumniantium multitudinem, inquiſitio contra maleficos frequentior cœpit eſſe, ut malis hominibus civitates carerent, vid. *l.* 13. *D. de offic. Præſid.* & *l.* 4. §. 2. *D. ad leg. Jul. pecul.* Voluit antiquitus Theodoſius Magnus *in leg.* 9. *Cod. Theod.*

de hæretic. inquiſitores conſtituere ad eruendos hæreticos. Verum, ut ibi notat Gothofredus, id tantum fuit contra Doctores eorum, & Anteſignanos, qui prædicationibus, & exſecrabilibus ſuperſtitionibus populos ſeducebant, & commovebant. Sed cum cognoſcere de hæreſi eccleſiaſticum judicium ſit, ſiquidem ad Eccleſiam pertinet decernere, ac definire, quid circa fidem credendum, quid abjiciendum ſit; ideo jubet Fridericus, ut inquiſitione notati, a viris eccleſiaſticis, & Prælatis examinentur; hi enim judicare poterunt, utrum inquiſitus ſit hæreticus, an ſecus. Cæterum, ut inquiſitio fiat ab ipſis eccleſiaſticis, apud nos jamdiu receptum eſt ſecundum canones, & Pontificum decreta. Sed non ideo minus ad ſæculare judicium pertinet in hæreticos inquirere, præſertim ubi turbæ, & ſeditiones commoventur; nam hæreſis, quatenus contraria eſt fidei, defertur, aut inquiritur ab Eccleſia; quatenus populos turbat, & ſcandalum producit, ſubeſt Principum juriſdictioni; ad quos pertinet publica tranquillitas, & concordia civium.

VIII. Cum autem ſæculo decimotertio ineunte plures hæreticorum ſectæ, præſertim Albigenſium, graſſarentur, placuit Innocentio III. munus inquirendi contra hæreticos ſpecialibus perſonis demandare. Quod & ſequentes Pontifices imitati ſunt, & confirmavit idem Fridericus II. per conſtitutiones Imperiales, ut apud Goldaſtum videre eſt *tom.* 1. *pag.* 76. *& infra*. Sed hoc in quibuſdam chriſtiani orbis provinciis receptum fuit, in quibuſdam permanſit antiquus uſus; prout eſt in hoc Regno, in quo, præter inveteratam conſuetudinem ſpeciale privilegium habemus (vid. *tom.* 2. *privileg. Regni pag.* 230.) ut ſoli ordinarii locorum Epiſcopi ſint Inquiſitores contra hæreticos. Nolim autem quemquam exiſtimare, majores noſtros minus ſollicitos fuiſſe de rebus fidei, aut refractarios ſe oſtendere voluiſſe contra Sedis Apoſtolicæ authoritatem; nam ſatis conſtat, quanto ſtudio, & diligentia apud nos Catholica fides ſit obſervata, & qua veneratione Romana Eccleſia in hoc Regno habita ſit, &, ut par eſt, hodie habeatur. Sed ideo ordinariam, & antiquam procedendi methodum contra hæreticos re-

retinendam placuit, quia ex moribus corruptiſſimis, calumniæ, falſæque atteſtationes non levem timoris occaſionem honeſtis viris præbuerunt. Idque vel ex eo conjicere poſſumus, quod nullibi tot rogatæ ſint, tamque ſeveræ leges contra calumniantes, & falſos teſtes (vid. *pragm.* 4. *de falſis*) quam in hoc Regno. Cum igitur ſpecialis inquiſitionis delegatio contineat nonnulla, ab ordinario judiciorum criminalium curſu diſcrepantia, ideo convenientius moribus noſtris viſum eſt, judicium ordinarium retineri. Quod & ipſi prudentiſſimi Romani Pontifices ſatis ſuperque cognoverunt; ſciebant enim, non ſemper eaſdem leges, licet juſtiſſimas, iiſdem temporibus, & perſonis convenire. Hinc legimus apud Chioccarellium *tom.* 8. *actuum inedit. juriſd.* Julium III. Pontificem anno 1544. per conſtitutionem, ſive bullam Cardinali Pacecco, qui tunc temporis in hoc Regno Caroli V. Imperatoris vices obibat, commiſiſſe, ne deinceps in fiſcum redigerentur bona eorum, qui de hæreſi ſuſpicionem præbuerant; & ut confiſcationes jam factæ reſcinderentur; proſpexerat enim ſapientiſſimus Pontifex, extraordinariam, & abruptam procedendi in cauſis fidei rationem, apud nos populares agitationes produxiſſe, calumniis & quorundam malignitatibus facilem viam aperuiſſe: contra, ordinariam, & legitimam methodum tolerari, imo ab omnibus ſanæ mentis Chriſtianis exoptari. Quod ſi ad externa confugere volumus exempla, utique non deerunt. Refert quidem Vaneſpen *part.* 3. *jur. Eccl. tit.* 4. *cap.* 2. *num.* 33. in Belgio, ne falſis, & calumnioſis accuſationibus, & denunciationibus daretur occaſio, ſanctiſſimum Pontificem Innocentium XII. anno 1694. Epiſcopis ejus Provinciæ diligenter injunxiſſe, ut nulla ratione quiſquam circa res fidei vaga accuſatione, & invidioſis vocabulis traduceretur, & exagitaretur; nec repelleretur ab officiis, muniis, beneficiis, gradibus, aut quocumque miniſterio eccleſiaſtico, niſi ſervato juris ordine.

IX. Hæreticis comparantur Apoſtatæ, hoc eſt qui rei ſunt deſertæ, atque violatæ chriſtianæ Religionis, ait *l.* 3. *C. T. de apoſt.* Hinc idem Fridericus in *conſt. apoſtatantes*

eos

cos inſequitur *ultione*, ſcilicet punit mortis pœna, ut communiter explicant noſtri, ſecundum canones, vid. *Gloſſ. in cap. contra de hæreticis in 6.* Sed malim verba Friderici aptare ad leges Imperiales; ex quibus apoſtatæ fiunt inteſtabiles, & bona amittunt, quæ vindicantur Fiſco: vid. Gothofr. *in paratit.*

X. Non ſolum Reges noſtri ſui muneris exiſtimarunt proprium hæreticos expellere, & novorum dogmatum inventores, ne ſubditi circa fidem contaminarentur; ſed etiam cavere voluerunt, ne judaicis ſuperſtitionibus imbuerentur. Hinc viſum fuit Friderico I. Aragonenſi per privilegium confirmare, quod ab antiquo in hac civitate erat receptum, ut Judæi apud nos non permanerent, niſi per dies tres; quo tempore non deberent incedere, niſi cum certo ſigno veſtibus affixo; ut ab aliis dignoſcerentur, vid. *capit. Friderici inter privileg. Regni n. 53.* At Ferdinandus Catholicus permiſit, illos commorari in quacumque civitate, ſive oppido hujus Regni, dummodo ſignum panni rubri coloris haberent in pectore *pragm. 1. de Judæis in antiq. edit.* Idem confirmavit Carolus V. in *pragm. 2. eod. tit.* & addit, ut certa ſedes, & ſeparata habitatio eis aſſignaretur, hac ratione, *quia eorum converſatio cum Chriſtianis, atque commixtio periculoſa cenſetur.* Ob eandem rationem Turcæ apud nos exiſtentes jubentur in *pragm. 1. & 2. de commercio inter Turcas, & alios ſacro fonte ablutos*, certa inſignia habere in veſtibus, & capillis, ut a cæteris dignoſcantur, & ne eorum conſortio noviter ad fidem converſi contaminentur.

XI. Verum cum decreviſſet idem Carolus V. Judæos a Regno expellere, ut ipſemet ait in *cit. pragm. 2.* ideo poſtmodum omnino regiones noſtras illi reliquerunt, unde multos per annos nulli apud nos fuerunt Hebræi; donec generali edicto Regis noſtri libera facultas iis conceſſa ſit hic degendi, & cujuſcumque generis negotiationes exercendi. Quod non alia de cauſa factum puto, quam ut gens ſui natura ſagax, & induſtria poſſet negotiationibus, & libero commercio, quo plurimum pollet in reliquis

Eu-

Europæ provinciis, mercaturam apud nos, ferme jacentem, promovere, atque ampliare. Quod vero attinet ad ſuſpicionem pro religione, id utique verendum non eſt, nam, præterquam quod nihil publice iis facere permittitur, apud nos cum ſint tot doctiſſimi Theologi, & ſacræ doctrinæ promulgatores, ſperare magis licet, quod non ſemel experientia docuit, eos, relictis erroribus, ad veritatem perventuros. Qua de cauſa & in ipſa urbe Roma, quæ caput eſt Religionis chriſtianæ, libere permanent, ſuiſque negotiis incumbunt. Adhæc non minimum momentum habet, quod primi chriſtiani Imperatores Conſtantinus, Theodoſius &c. licet pro Religione admodum eſſent ſolliciti, nihilominus Hebræos non ſolum tolerarunt in provinciis Imperii, ſed etiam certis privilegiis ornarunt; eo tamen modo, ut Chriſtianis, & univerſæ Religioni detrimentum nullum afferretur, vid. leges in *tit. Cod. Theod. & Juſtin. de Judæis, Cœlicolis, & Samaritanis*.

CAPUT III.

De ſacroſanctis Eccleſiis, earumque juribus, ac privilegiis.

ECCLESIÆ vocabulum, quod græca origine eſt, convocationem ſignificare, non ſemel a doctis viris adnotatatum eſt. Cum autem Chriſtiani ſpeciali quodam Dei beneficio convocati ſint ad eandem fidem, & myſteria credendi, unde ſic ait D. Paulus 1. *ad Corinth. cap.* 1. *Fidelis Deus, per quem vocati eſtis in ſocietatem filii ejus Jeſu Chriſti*: ideo vel a primis temporibus eorum cœtui, ſive univerſitati, quæ nunc late per orbem diffuſa eſt, tale nomen datum fuit. Accipitur frequentius pro æde ſacra, cultui divino peragendo deſtinata. Quam duplicem ſignificationem nominis ſic expreſſit D. Auguſtinus *quæſt.* 57. in Levit. *Eccleſia dicitur locus, quo Eccleſia congregatur; nam Eccleſia homines ſunt . . . . . hoc tamen vocari etiam ipſam domum orationum Apoſtolus teſtis eſt*, ubi ait: *nunquid*

quid domos non habetis . . . . . . an Eccleſiam Dei contemnitis? & hoc quotidianus loquendi uſus obtinuit, ut in Eccleſiam confugere non dicitur, niſi qui ad locum ipſum, parieteſque prodierit, quibus Eccleſiæ congregatio continetur. Aliquando Eccleſiæ nomine intelliguntur ipſi Religionis Antiſtites, quique inferiores Miniſtri ſunt ad res divinas recte peragendas, utpote conſtituti in gradu eminentiori inter Chriſtianos. Hinc factum eſt, ut ipſum ſacramentum, ex quo digniores eliguntur ad miniſterium ſacrorum, ſpecialiter dictum ſit Ordo; ſcilicet, quod eo inſigniti in ordine celſiori collocati exiſtant. Denique Eccleſia non ſemel denotat ſpeciales Parœcias, ſive Diœceſes, quibus peculiares Chriſtianorum cœtus comprehenduntur, a cæteris ſeparati non fide, aut myſteriis credendi, ſed tantum cura, & juriſdictione Prælatorum. Quo ſenſu dicimus Eccleſiam Neapolitanam, Mediolanenſem &c.

II. Ut igitur ad inſtitutum noſtrum deveniamus, defenſio, & præſidium Eccleſiæ, quod ſupra diximus ad chriſtianos Principes pertinere, non ſolum intelligitur de univerſo Chriſtianorum cœtu, unde eorum unuſquiſque tenetur pro virili parte hoſtes chriſtiani nominis repellere, & punire eos, qui veritatem Religionis intervertunt; ſed etiam de ſpeciali ejus parte, prout ſunt Miniſtri rerum ſacrarum, & ipſæ ſacræ ædes; ad hoc ut cæremoniæ, & omnia, quæ Religionis ſunt propria, rite, & decenter perficiantur. Hinc ſtatim ac Romani Imperatores Chriſti fidem amplexi ſunt, multas ediderunt conſtitutiones, partim ut confirmarent Eccleſiaſticorum, ipſarumque Eccleſiarum jura; partim ut privilegiis, & exemtionibus, miniſteria ſacra, & cura divini cultus facilior redderetur, & decentior. His veſtigiis inſiſtentes Reges noſtri nonnullas ediderunt leges eodem pertinentes, quæ breviter in hoc capite explicandæ ſunt.

III. Primum omnium ſeſe offert *cap. univerſis*, in quo Carolus I. Andegavenſis voluit reſtitui omnia jura, & libertates competentes univerſis Regni Eccleſiis, quæ, ut ipſe ait, *oppreſſæ fuerunt per implicationes, & nequitiam ty-*

tyrannorum. Hic proculdubio Rex loquitur de Principibus e Svevorum familia, præſertim Friderico II. & Manfredo, qui cum non leviter Sedi Apoſtolicæ fuiſſent infenſi, eccleſiaſticos odio proſequuti fuerunt, unde eorum, & Eccleſiarum jura, prout ſeſe occaſio dabat, conabantur imminuere, vel abrogare. Non diſſimilem olim tulit legem Valentinianus III., quam habemus in *C. T. de epiſc. & cler. l.* 47. nam reſtituit omnia privilegia Eccleſiarum, quæ ſuſtulerat *tyrannus*, ſcilicet Joannes quidam, qui mortuo Imperatore Honorio anno 423. Imperium occupaverat vid. Gothofr. *in comm.* Eodem pertinet *lex privilegia* 12. *Cod. de ſacroſ. Eccleſ.* & celebre edictum Friderici II. quod edidit favore Eccleſiarum eo tempore, quo nondum fovens diſſidia cum Romanis Pontificibus, ab Honorio III. Imperator inauguratus fuit, illudque legitur *lib. 2. feud. tit. de ſtatut. & conſuetud. contra libert. Eccleſiæ* §. 1. ex quo a Doctoribus deſumta eſt *auth. caſſa*, *& irrita*, *&* ſubjecta *cit. l. privilegia*.

IV. Sed quoniam libertatum eccleſiaſticarum in *cit. cap.* Caroli I. mentio fit, eaque vocabula non ſemel occurrunt, præſertim in libris pragmaticorum, qui utplurimum illis abutuntur; ideo non abs re me facturum puto, ſi breviter propria ſignificatio explicetur. Cum Eccleſia regimen ſuum a divina inſtitutione acceperit in iis quæ ad ſtatum Religionis pertinent; propterea cum libere, & nullis impedimentis interpoſitis exercet per ſuos Miniſtros omnia ea, quæ divinis legibus præcipiuntur in cauſis ſpiritualibus, dicitur libertate ſua uti: contra, eandem perturbari, ac amitti, quoties aliquid exterius opponitur. Quam ſignificationem demonſtrant illa verba epiſtolæ Felicis III. ad Zenonem Auguſtum, cujus pars refertur a Gratiano in *can.* 3. *diſt.* 10. *Quod vobis ſine ulla dubitatione ſit utile, ſi Eccleſiam Catholicam veſtri tempore Principatus ſinatis uti legibus ſuis, nec libertati ejus quemquam permittatis obſiſtere*. Hæc ſane libertas competit Eccleſiæ jure ſuo, neque ullo opus habet privilegio; & Principes ſæculares non debent eam impedire, ſed potius tenentur ſua authoritate

adjuvare, & promovere. Verum temporibus Caroli I. & multo ante invaluerat jam uſus loquendi, ut pro libertate Eccleſiæ intelligeretur privilegium, & exemtio aliqua, ut videre eſt in capitularibus Regum Francorum, & in formulis Marculfi, in quibus exemtiones Monaſteriorum appellantur libertates eorundem. Quapropter cum *in cit. cap. univerſis* dicat Rex *reſtituantur debita, juriſdictiones ſolitæ, & libertates*, proculdubio intelligit privilegia, & exemtiones; nam jus proprium Eccleſiæ, quod ei competit ratione ſtatus ſpiritualis, jam ſatis expreſſum erat prioribus verbis, & ſequentibus.

V. Ex his facile intelligimus, quam longe a vero aberrant vulgares Pragmatici, qui in omni ferme controverſia, in qua Eccleſia, aut quæcumque Eccleſiaſtica perſona in partes venit, quoties omni alio argumento deſtituuntur, ſtatim confugiunt ad univerſale axioma: *hoc eſt favore libertatis Eccleſiæ; favendum libertati Eccleſiæ*. Vel e diverſo: *eſt contra libertatem eccleſiaſticam &c.* Etenim ubi agitur de re mere temporali, quid opus eſt proclamare ad libertatem, qua uti debet Eccleſia in cauſis Dei? Quod ſi volumus pro libertate eccleſiaſtica intelligere privilegium, aut immunitatem conceſſam, nonne certiſſimum eſt, ea non debere excedere caſus expreſſos? nam quod eſt contra rationem juris non eſt producendum ad conſequentias *l.* 14. *D. de legibus*; unde non poſſumus privilegium ampliare, eoque uti in re dubia contra jus ordinarium, & receptum. Abutuntur hic Doctores vocabulis, & errant ſub falſa ſpecie Religionis, nam ſi favendum eſt Eccleſiæ, favendum potius eſt univerſo chriſtianorum corpori, quod generalem conſtituit Eccleſiam, quam parti tantum. Et certiſſimæ Religionis noſtræ dictant regulæ, æquam pro omnibus chriſtianis charitatem habendam, nec dum volumus uni nimium favere, debemus alteri damnum afferre. Quod ſane confirmat ſententia noviſſime expreſſa in *Concord. cap.* 1. per Summum Pontificem Benedictum XIV. non minus pietate, quam doctrina inſignem, qui patrem ſe gerens æque omnium chriſtianorum, ſatis ſuperque cogno-

gno-

gnovit, ob nimis amplam privilegiorum, & immunitatum erga eccleſiaſticos interpretationem, laicos miſerum in modum propter ſolutiones publicorum onerum quotidie premi, atque onerari, dum oneribus ſemper in eodem ſtatu exiſtentibus, contra laicorum bona decreſcunt, & eccleſiaſticorum augentur. Unde ſapientiſſimus Pontifex ad æquitatem rem voluit redigere, & propterea oſtendit, falſiſſimam fuiſſe Doctorum noſtrorum regulam, qui in controverſiis pro tributorum, & collectarum exactione, tertio quoque verbo illud pronunciant: *eſt favore Eccleſiæ: eſt contra libertatem eccleſiaſticam*.

VI. Quod ſtatuerat Carolus I. confirmavit deinde ejus filius Carolus II. in *cap. item ſtatuimus quod privilegia*; nam voluit illæſa ſervari omnia privilegia, & jura Eccleſiis, & eccleſiaſticis perſonis conceſſa a catholicis, & antiquis Regibus Siciliæ; nempe Rogerio, & Gulielmo I. & II. qui multum Eccleſiis faverunt, unde eorum conceſſiones, & immunitates adhuc hodie multis in locis obtinent. Sed cum partim bellorum perturbationibus, partim non uſu, quædam privilegia a dictis Regibus jam conceſſa non obſervabantur, adeout Eccleſiæ temporibus Caroli II. in eorum poſſeſſione non erant; ideo in calce conſtitutionis cautum eſt, *ut de iis fiet eis ſine difficultate juſtitia in Curia competenti*. Hoc eſt, quoties Eccleſiæ in poſſeſſione privilegii alicujus, quod dicunt conceſſum a Regibus, non reperiuntur, debent adire judicem competentem, qui cognita veritate conceſſionis, eis poſſeſſionem attribuet.

VII. Solent hic Doctores quærere, quiſnam ex ſententia hujus conſtitutionis intelligatur judex competens. Carolus Tapia in *tit. jur. Regni de ſacroſanctis Eccleſ.* ſic ſcribit: *Et erit ſecundum ſubjectam materiam intelligendum, ut ſi de re mere ſpirituali agatur, judex competens ſit judex eccleſiaſticus, ſin vero de re temporali, forum rei ſequetur. Quæ declaranda erunt juxta notata per Bartolum, & alios &c.* Hæc verba perſpicue demonſtrant morem Interpretum noſtrorum in explicandis legibus Regni, nam cum toti ſint in coacervandis diſtinctionibus, & doctrinis Bartoli,

li, Baldi, aliorumque, parum, aut nihil curant de genuina legis ſententia inveſtiganda. Eſt ſane veriſſimum, & extra omnem controverſiam, de re mere ſpirituali judicem competentem eſſe judicem eccleſiaſticum; de re temporali forum rei ſequendum; ſed quid hoc ad conſtitutionem Caroli II. in qua agitur tantum de privilegiis per Reges conceſſis Eccleſiæ? Illud efficit ſua diſtinctione Tapia, ut dum vult Eccleſiis favere, nempe cavendo, ne pro re mere ſpirituali Regalis juriſdictio interponatur, ipſimet Eccleſiæ authoritati præjudicium afferat; nam ſi Caroli conſtitutio de privilegio loquitur, abſurdum eſt, eam accipere de rebus mere ſpiritualibus, quarum authoritas, & juriſdictio pertinet jure ſuo ad Eccleſiam, neque in iis ullo opus habet Regali privilegio. Adhæc ſi loquitur conſtitutio de privilegiis, in quorum poſſeſſione fortaſsis Eccleſiæ non reperiuntur, non video, cur de rebus ſpiritualibus intelligenda ſit, cum earum exercitium, & adminiſtratio nunquam cenſeatur interrupta; & ſi fuerit, vis potius erit, & injuſta occupatio, unde ſupervacaneum erit ad privilegia recurrere.

VIII. Senſus igitur conſtitutionis Caroli hic eſt, ut cum privilegia, & immunitates Eccleſiis conceſſæ poſsint eſſe diverſi generis, unde circa eas controverſiæ pertinere debeant ad judices diverſos; ideo quoties dubium erit circa conceſsionem, judex competens adeatur, prout cauſa ipſa expoſtulat, *E. G.* ſi erit controverſia circa immunitatem a vectigalibus, Judex, qui iis præeſt, erit competens, & eodem modo de aliis. Nec movemur ex eo, quod in Eccleſias, Eccleſiaſticaſque perſonas nulla competat laicis juriſdictio; ſiquidem hoc verum eſt quoties agitur de jure ordinario, non de privilegio, quod provenit ex mera liberalitate, & beneficio concedentis; & propterea ad eum tantum pertinet de illius viribus, & interpretatione cognoſcere; & multo magis quoties dubitatio ineſt, utrum privilegium conceſſum ſit, an ſecus, quod proculdubio nemo ſcire poterit, niſi ille, qui conceſsit. Et hoc pro regula certi juris proponit Innocentius III. *in cap. cum veniſſent 12. de privilegiis*, loquens de pri-

privilegiis Apoſtolicæ Sedis. *Cum enim ſuper privilegiis Sedis Apoſtolicæ cauſa vertitur, nolumus de ipſis per alios judicare*. Vide *l. Neratius* 191. *in fin. D. de regulis jur.* Huc quoque pertinet illa ratio, quod privilegia Eccleſiis conceſſa ſi fuerint vel *temeritate violata, vel diſſimulatione neglecta*, ut ſunt verba *l.* 34. *Cod. de Epiſc.* unde poſſeſſio interrumpi ſolet, tunc violatores a Principe puniuntur, ut ſtatuit eadem lex; & propterea non poteſt talis cognitio, niſi ad judices ſpectare, qui ab ipſo Principe ſunt conſtituti.

IX. Quænam autem ſint privilegia Eccleſiis, & eccleſiaſticis perſonis per leges Regni conceſſa, deinceps videndum eſt. Sed primo breviter proponamus, quid iiſdem legibus ſtatutum ſit circa jura ad Eccleſias ſpectantia ratione ſui ſtatus, & in quibus leges ſæculares Principum nihil aliud effecerunt, quam promovere, adjuvare, & ad effectum perducere, quod partim lex Divina, partim eccleſiaſtica jam ſtatuerat. Inter hæc primum locum obtinent Decimæ, de quibus videamus.

CAPUT IV.

De decimis.

NON eſt hic noſtrum examinare, aut definire, quo jure præſtandæ ſint decimæ paſtoribus, & miniſtris eccleſiaſticis, & quæ fuerit illarum origo; cum ſatis ſuperque ea res pertractata ſit, & diſcuſſa a doctiſſimis Theologis, & Canoniſtis; præſertim quod ad inſtitutum noſtrum ea nihil pertineant, nam interpretari ſolum debemus leges Regias, quæ jus decimarum jam introductum, & conſuetudine confirmatum adjuvant. Hinc iterum errat Carolus Tapia *in loc. ſupra cit.* nam dum quærit de curia competenti circa poſſeſſionem privilegii alicujus conceſſi Eccleſiæ ait: *quod tamen intelligendum eſt ſecundum formam traditam in cap. Regni volumus, quod eſt 92. & in cap. item ſtatuimus 93. & in cap. item ſtatuimus, quod Clerici 94.* In his capitulis, ſive conſtitutionibus, ut mox dicemus, impo-

Digitized by Google

ponitur, & jubetur, ut ſolvantur decimæ jam conſuetæ; & propterea non agitur de ullo privilegio, ſed tantum Reges authoritate ſua cogunt ſubditos ad ſolutionem decimarum, quæ de jure debita eſt. Igitur citatus author, dum credit eccleſiaſticis favere, refragatur potius, nam præſupponit decimas deberi ex Principum ſæcularium privilegio.

II. Quamvis decimæ in perſonales, prædiales, & mixtas dividantur; tamen earum ſolutio, & præſtatio ad mores, atque uſum receptum referenda eſt; nam perſonales ubique ferme abolitæ ſunt, prædiales, & mixtæ ſolum de fructibus naturalibus exiguntur, imo aliquibus in locis omnino non exiguntur, aut tantum ex parte. Unde communis eſt inter Canoniſtas, & Theologos recepta ſententia *ex cap.* 20. *&* 32. *de decimis*, obligationem, & ſolutionem decimarum pendere a conſuetudine. Hæc tamen probanda eſt ab eo, qui dicit ſe non teneri ad decimas ſolvendas, nam obligatio de jure eſt favore miniſtri eccleſiaſtici, vid. Zipæum *conſult.* 4. *de decimis*. Conſuetudo autem, quæ eximit laicos ab obligatione decimarum, aut in totum, aut ex parte, non eſt irrationabilis, aut injuſta; nam ſi nihil aliud haberent Epiſcopi, aut Parochi, unde ſe alerent, obligatio decimarum eſſet abſolute neceſſaria, & de jure naturali ex ſententia *D. Thomæ* 2. 2. *qu.* 87. cum naturaliter debeat quis ex fructu ſuorum laborum ſuſtentari: ſed cum ex *l.* 4. *C. T. de epiſc.* authoritate Conſtantini Magni, *qui primus*, ut ait *l.* 1. *Cod. de natur. lib. veneranda chriſtianorum fide Romanum munivit imperium*, ſublata fuiſſet omnis prohibitio, & permiſſum generaliter, ut liceret unicuique bona quæcumque in teſtamento relinquere Eccleſiis; factum eſt, ut redditus congrui, imo ſuperabundantes exiſterent, unde alimentis miniſtrorum conſuleretur. Et propterea viſum non eſt injuſtum, ſi chriſtiani paulatim alleviarentur ab onere decimarum, cum ex eorundem liberalitate ſatis ſuperque Eccleſiis proviſum eſſet.

III. Et hoc ſane multo magis affirmandum eſt in Regno noſtro. In aliquibus chriſtiani orbis Provinciis, cum
val-

valde eccleſiaſticorum facultates creſcerent, unde publico patrimonio non leve damnum afferebatur, viſum fuit conveniens, aliquo remedio novis acquiſitionibus occurrere. Apud Gallos, & Batavos inductum fuit jus *amortizationis*, ſcilicet ut bona immobilia non poſsint pervenire in *manus mortuas* (intellige Eccleſias, Monaſteria &c. quæ cum prohibeantur legibus eccleſiaſticis bona alienare, cenſentur tanquam manus mortuæ, quæ non poſſunt reddere, quod tenent, vid. Petrum Pechium *in tract. de amortizatione bonorum*) niſi prævio aſſenſu Principis, qui non ſolet aſſentiri, niſi certo cenſu ſuper re impoſito, cum obligatione ſolvendi publica onera. Non deſunt Provinciæ, ubi prohibentur omnino novæ acquiſitiones Eccleſiis. At apud nos, licet olim ſtatuiſſet Fridericus II. in conſtit. *prædeceſſorum noſtrorum*, ut bona immobilia ſubjecta cenſui publico non transferrentur inter vivos in Eccleſias, & loca religioſa; in ultimis voluntatibus vero ut iiſdem relicta infra annum venderentur proximioribus defuncti, aut laicis quibuſcumque: tamen ea conſtitutio nunquam uſu ſervata fuit; nam vel ab ætate Friderici, & deinceps Eccleſiarum bona in immenſum creverunt. Et quamvis eadem de re non ſemel preces a Decurionibus hujus civitatis apud Reges eſſent porrectæ; tamen nunquam fuerunt effectum ſortitæ, vid. *compilat. privileg. & capit. Regni fol.* 191. *&* 242. Hoc ſane non aliunde provenit, quam ex pietate, & propenſione noſtrorum civium erga Eccleſias, & eccleſiaſticos; non quod offenderetur eorum libertas, prout vulgaribus veſtigiis inſiſtens Tapia loquitur *in comment. ad cit. conſt.* ſed quod exiſtimarunt ea ratione commodius eccleſiaſtica munia obiri poſſe. Et propterea non videtur iniquum, ut modo diximus, obligatione decimarum, aut in totum, aut ex parte liberari eos, qui tam profuſe Eccleſias, & omnia loca pia ditarunt.

IV. Sed age veniamus ad conſtitutiones Principum circa decimas. Cum in minori ætate degeret Fridericus II. facile fuit, ut ob diſſidia, & civiles diſcordias publicæ res perturbarentur, & nominatim ſacræ; unde decimarum conſue-

ſuetæ exactiones impediebantur. Hinc ad Regni adminiſtrationem perveniens Imperator ſtatuit *in conſtit. quanto cæteris*, ut decimæ, quæ ſolitæ erant præſtari locorum Prælatis, & venerabilibus locis tempore Gulielmi II. deinceps præſtarentur integræ; ideſt eadem ratione, ac tunc præſtabantur. Et addit, quia ad Principem ſpectat Eccleſiarum jura ſervare, & augere. Idem ferme confirmavit Carolus II. Andegavenſis tribus conſtitutionibus, quæ leguntur inter capitula Regni *nu.* 92. 93. *&* 187. In hoc poſtremo cap. quod incipit *& quia nuper*, animadverſione dignum eſt, ea ætate etiam decimas perſolvi ſolitas ex quibuſdam regiis vectigalibus; unde imponitur Secretis (ſic dicebantur tunc temporis quidam Regii officiales theſaurorum inventionibus, & aliis muneribus fiſcalibus incumbentes, vid. *conſtit. præſenti lege*, *& conſtit. dohanæ de ſecretis*) ut ſtatis temporibus decimas exolvant, non expectato novo Regis mandato quotannis, ut fieri ſolebat: quod ſi ſecus factum fuerit, in pœnam ab eiſdem duplum præſtetur, & reficiantur expenſæ; idque Juſtitiariis committitur, qui tunc erant Magiſtratus ordinarii in Provinciis.

V. Ex hac conſtitutione colligitur, legum noſtrarum mentem fuiſſe, ut judices ordinarii locorum omnimodo procurent ſolutionem decimarum. Et propterea ſatis ſuperque hac in parte proviſum cenſetur eccleſiis, & eccleſiaſticis, ne ad alia remedia poteſtatis ſpiritualis abſque neceſſitate perveniatur. Non inficias quidem eo, poſtquam in eccleſia neceſſariæ, non amplius voluntariæ factæ ſunt decimæ, poſſe Prælatos pro iis exigendis excommunicationis uti ſententia. Verum id debet eſſe in ſubſidium, ſcilicet quoties nulla alia ratione poteſt eccleſia jus ſuum conſequi. Et hoc ſane innuere voluit juriſconſultiſſimus Pontifex Alexander III. *in cap.* 5. *de decimis* ſcribens Archiepiſcopo Cantuarienſi circa eos, qui detrectabant ſolutionem decimarum his verbis: *Si opus fuerit, ſub excommunicationis diſtrictione compellere*; ſcilicet ſi ob neceſſitatem id fieri oporteat. At quænam erit neceſſitas, ubi facillime a quocumque ordinario Judice poſſunt renitentes com-

compelli ad decimarum ſolutionem ? Adhæc Prælatos , & Miniſtros Eccleſiæ , qui facile utuntur excommunicationis ſententia , & non ſemel pro re temporali minimi momenti, animadvertere oportet , Tridentinam Synodum *ſeſſ. 25. de reform. cap.* 3. ſic eos docere : *Quamvis excommunicationis gladius nervus ſit eccleſiaſticæ diſciplinæ , & ad continendos in officio populos valde ſalutaris ; ſobrie tamen magnaque circumſpectione exercendus eſt : cum experientia doceat , ſi temere , aut levibus ex cauſis incutiatur , magis contemni , quam formidari , & perniciem potius parere , quam ſalutem.* Et infra mandat eadem Synodus , ut ſe abſtineant Epiſcopi ab excommunicatione , quando in cauſis civilibus fieri poteſt exequutio realis , vel perſonalis . In legibus Regni non ſolum tale remedium imponitur , ſed & pœna , ut modo diximus ; propterea excommunicatio eſſet ſuperflua , & ab Eccleſiæ mente aliena . His adde , quod ſuperiores conſtitutiones Caroli II. quas confecerat , dum patris ſui in hoc Regno vices obibat , confirmatæ fuerunt ab Honorio IV. Pontifice , prout legitur in *pragm. 2. de Cleric. ſive Diacon. &c.* unde ſequitur , optimam , & æquitati conſonam viſam fuiſſe Pontifici rationem , in dictis conſtitutionibus propoſitam pro decimis conſequendis .

VI. Illud non omnino extra rem notandum eſt in fine præſentis tituli : cum leges noſtræ tanta cura , & ſtudio Parochis faverint , ad quos potiſsimum decimarum exactio pertinet , iidem haud gravate exequi debent , quæ pro utilitate publica injunguntur in *pragm. unic. de Parochis* , ſcilicet , ut Parochi libros omni diligentia conficiant , in quibus , prout neceſſitas quotidie exigit , deſcribantur nomina eorum , qui recenter nati baptizantur , adhoc ut in poſterum ætas uniuſcujuſque civis certo ſciri poſſit . Quod equidem & de conſuetudine in Eccleſia eſt receptum , & pertinet non minus ad ſtatum civilem , quam eccleſiaſticum .

CAPUT V.

De immunitatibus Eccleſiarum.

QUAMVIS Eccleſia, prout diximus in *cap.* 3. ſignificare poſſit, & ædem ſacram, & miniſtros ejuſdem ſervitio addictos; tamen cum agitur de privilegiis, & immunitatibus, diſtinguenda eſt ipſa Eccleſia ab eccleſiaſticis; nam quædam ex iis conceduntur ſpecialiter locis ſacris, tum ut ibi res divinæ commodius, decentiuſque peragantur, tum ob quandam venerationem, qua eadem haberi debent inter Chriſtianos. In hoc capitulo de Eccleſiis, in ſequenti de ipſis eccleſiaſticis perſonis dicemus.

II. In legibus noſtris nihil peculiare extat circa curam magiſtratuum ſæcularium ad tuendam pacem, & tranquillitatem in Eccleſiis, præſertim dum ſacra peraguntur: attamen veriſimile eſt, Reges noſtros crediſſe, ſatis ſuperque ea de re proſpectum jure communi. Extat in *Cod. Theodoſii l.* 31. *tit. de Epiſc.* & eadem repetitur in *Cod. Juſtin. eod. tit. l.* 10. qua Imperatores Arcadius, & Honorius capitali pœna eos puniri jubent, qui irruentes in Eccleſias turbant divinum cultum, aut ſacerdotibus, & miniſtris injuriam inferunt. Hæc conſtitutio, præter ſpecialem, illam quoque generalem rationem habet, quia ad Principem ſpectat ea omnia removere, quæ in Eccleſiis miniſteria religionis impediunt, aut turbant. Et ob eandem rationem, ni fallor, primis chriſtianis Imperatoribus placuit concedere Eccleſiis privilegium aſyli, ſive immunitatem localem, ut Canoniſtæ loquuntur; ne ſcilicet rei confugientes ad Eccleſias inviti extraherentur; id enim cum rixas, tumultus, & aliquando populares ſeditiones excitare ſoleret, unde ſacræ cœremoniæ, & preces Chriſtianorum interrumpebantur, viſum fuit conveniens, ob loci venerationem, ſuperſedere ab omni violentia. Et ob hanc eandem rationem celebre edictum Theodoſii junioris de immunitate Eccleſiarum confectum fuiſſe, notat doctiſſimus Gothofredus in *l.* 4. *C. T. de his qui ad Ec-*

Eccleſias confugiunt. Quod evincunt illa verba *cit. l. 4. Denuntiantes vobis omnibus, ut in ſacroſanctis Eccleſiis, & in aliis quidem venerabilibus locis, in quibus cum pace, & quiete vota competit celebrari, abſtineatis ab omni ſeditione &c.* Non defuerunt & alii Imperatores, qui generali ſanctione privilegium hujus immunitatis dederunt Eccleſiis vid. *l. 2. Cod. eod.*

III. Reges Neapolitani hoc idem privilegium confirmarunt, & præſertim Carolus II. Andegavenſis in *cap. item ſtatuimus* 95. ubi ſic ait: *Item ſtatuimus, quod Eccleſiæ in toto Regno gaudeant privilegio, eis per jura communia indulto; ſcilicet quod rei, qui ad Eccleſias confugiunt, abinde non extrahantur inviti, niſi in caſibus a jure permiſſis.* Hoc ipſum reperitur in *prag. 1. §. 4. de Clericis, ſeu Diac. &c.* Verba illa, *niſi in caſibus a jure permiſſis*, referuntur non minus ad jus civile, quam canonicum; nam jure civili multis in cauſis privilegium aſyli ceſſat, vid. *ll. in d. tit. C. Theod. & Juſtin. & Novell.* 17. §. 7. Jus vero canonicum non tantum idem privilegium confirmavit, ſed & multas alias ſpecies excepit, præſertim in delictis gravioribus; etenim ſemper alienum fuit a mente Eccleſiæ facinoroſos homines tueri, & criminibus occaſionem præbere; quicquid in contrarium affirmare audent nonnulli male feriati ſcriptores, & Sedi Apoſtolicæ infenſi: *Eccleſia Dei*, inquit Lucius III., in *cap. 5. de immunit. Eccleſ. ſecundum Evangelicam veritatem domus orationis eſſe debet, non ſpelunca latronum*. Quæ verba ſatis oſtendunt, nunquam voluiſſe Pontifices ſceleratorum defenſionem ſuſcipere; ſed tantum cavere, ne in quibuſdam levioribus delictis, occaſione reorum perſequendorum, pax, & tranquillitas turbaretur, quæ præſertim in domo Dei adeſſe debet. Et propterea eodem tempore, dum honorem, & reverentiam conſervari volebant Eccleſiis, averſabantur occaſiones delinquendi. Quod manifeſte demonſtrat celebre, & prudens reſcriptum Innocentii III. in *cap. 6. eod. tit.* in cujus calce ſic concludit: *Tu ergo, fili chariſſime*, (Scotiæ Regi reſcribit) *cum in Regno tuo aliquid horum contingerit, juxta præmiſ-*

miſſam diſtinctionem, ſic procedere ſtudeas, quod Eccleſiarum honor, & immunitas ſervetur illæſa, & malignandi facultas pravæ voluntatis hominibus auferatur.

IV. Sed quamvis Sacerdotalis, & Regalis poteſtas eodem reſpexerint; nihilominus utraque ad ſe pertinere cenſuit cognitionem criminis, ex quo jus aſyli obtineret, vel ſecus: & propterea non ſemel graves extiterunt concertationes, præſertim poſt Bullam Gregorii XIV. quæ incipit, *cum alias nonnulli*. Adhæc Doctorum commentarii, & tractatus magis, magiſque foverunt diſſidia, dum unuſquiſque ſtudio partium ſcribere conabatur. Inter eos noſtri Pragmatici eminent, qui leges Regni explicando, dum volunt Regale jus tueri, ſuis diſputationibus nihil aliud efficiunt, quam tranſcribere vulgares opiniones, iiſque ubi credunt lites dirimere, augent potius, & confirmant, ut præ cæteris videre eſt apud Tapiam *jur. Regni lib.* 1. *tit. de his, qui ad Eccleſiam confugiunt*. Verum quid Eccleſiæ dignitati, quid publicæ tranquillitati expediat, omnino negligunt, ac prætermittunt. Quæ omnia diuturnis, graviſſimiſque contentionibus in Regno occaſionem dederunt, vid. Chioccarell. *tom.* 17. *tit. de immunit. Eccleſ.* Tandem in æquam, & omnibus profuturam concordiam placuit devenire tum Regi noſtro, tum Pontifici, qui poſthabitis Doctorum diſputationibus, & non ſemel falſis doctrinis, voluit proſpicere non minus Eccleſiæ dignitati, quam communi ſecuritati; nam præ reliquis conſideravit prudentiſſime, in hoc Regno homines facinoroſos, & ſceleſtos immunitatis jure abuti, ejuſque occaſione ad homicidia præſertim impelli ſolitos. Etenim ob ſummam religionem noſtratium, præcipue in hac Civitate, cum ædes ſacræ tot tantæque extructæ eſſent, & quotidie extruantur, ut breviſſimis ſpatiis unæ diſtent ab aliis, perverſi facile adiguntur ad maleficia, ſcientes non procul adeſſe confugium. His adde, quod per interpretationes, ampliationeſque Doctorum, ſpatia, quæ ſuperſunt inter unum aſylum, & alterum, perexigua, aut nulla facta ſunt. Igitur non levis præſumtio erat, apud nos crimina perpatrari immunitatis occaſione; quo ca-

ſu

ſii eam ceſſare generaliter decernunt canones, vid. *capit. ult. eod. tit.* Et hoc experientia rerum magiſtra demonſtrat; nam ex quo vulgo innotuit, confugientes ad Eccleſiam extrahi poſſe, enormia delicta, ſi non omnino, tamen magna ex parte ceſſarunt.

V. Quoniam circa locum confugii aſſiduis quæſtionibus occaſio dabatur; ideo ex *Concordato cap.* 2. excipiuntur a jure immunitatis Eccleſiæ rurales, ſcilicet extra urbem conſtitutæ, in quibus Euchariſtia non conſervatur; dummodo non ſint Parochiales, aut ad curam animarum deſtinatæ. Excipiuntur etiam privata oratoria, vulgo cappellæ, in quibuſcumque locis exiſtentes. Excipiuntur *campanilia* ab ipſis Eccleſiis ſeparata. Excipiuntur Eccleſiæ dirutæ, & derelictæ; ſicuti etiam horti, & viridaria Eccleſiarum, quæ parietibus non includuntur. Quod ipſum quoque dicendum in Monaſteriis, aliiſque locis religioſis. Excipiuntur denique domus, & tabernæ cujuſcumque generis, licet parietibus Eccleſiarum, aut Monaſteriorum ſint affixæ, dummodo intra *clauſuras* ipſas non comprehendantur. Domus autem Parochis deſtinatæ, aliiſque perſonis ad curam Eccleſiarum pertinentibus, quoties ab iiſdem detinentur, & aditum habent ad Eccleſiam, non excipiuntur a privilegio aſyli. Spatium autem, quo continetur confugium, non extenditur ultra atrium Eccleſiæ, quoties muris, porticibuſque ſit circumdatum, ſcalas, portaſque ſitas tam a fronte, quam a latere.

VI. Criminoſi, qui ab immunitatis privilegio arcentur, hi in eodem *Concordato* numerantur. Primo incendiarii, ideſt quorum dolo malo, & dedita opera incendium factum fuerit, ſive ipſi ſua manu ſtupam tædaſve intulerint, ſive per alios id fieri curaverint, aut opem, auxiliumve dederint. Hoc tamen intelligitur quoties Eccleſia, aut quicunque ſacer, religioſuſve locus, aut domus ad habitandum apta non minus in urbe, quam ruri, ſicuti etiam tuguria domorum inſtar extructa, incendium paſſa ſint. Quod ipſum dicendum de grege, vineis, ſatis, & prædiis quibuſcumque cultis, & frugiferis. II. Plagiarii, hoc eſt qui a no-

noſtris vulgo dicuntur *Recaptatores*, ii nempe, qui per vim, aut dolum, aliquem de loco ad locum transferunt, nec liberant, niſi pecunia accepta. Quod crimen patrum noſtrorum ætate frequentiſſimum erat in hoc Regno. Idem dicendum de iis, qui ſive per nuncios, ſive per literas pecuniam expoſcunt, minis incutiendo metum, ſive mortis, ſive incendii. III. Qui ſcienter, & dolo malo, & animo nocendi conficiunt, vendunt, aut præbent venenum, licet quocunque caſu effectus non ſit ſequutus. IV. Qui mandant, mandatumque ſuſcipiunt de homicidio, ſive aſſaſſinio, ut noſtri communiter dicunt; ſicuti etiam qui opem, conſiliumque præbent, licet mors non fuerit ſequuta, dummodo perventum ſit ad actum proximum, ſcilicet ad vulnus. Hic autem temperare mihi vix poſſum, quin breviter admoneam, quam erronea ſint, & ab omni ratione aliena quorundam Pragmaticorum principia, quibus ad pertractandas quæſtiones circa immunitatem localem ipſi utuntur. Inter eos primas tenet Donatus Antonius de Marinis, qui hac in re probabilium opinionum aſſertorem acerrimum ſe oſtendens, tanquam ſi enormiſſimorum criminum patrocinium ſuſcepiſſet, vel leviſſimis, & aliquando remotis argumentis contentus, quaquaverſus ſtudet immunitatem ampliare. Hic author *lib.* I. *reſol. cap.* 171. controverſiam proponens, an mediator aſſaſſinii gaudere debeat immunitate Eccleſiæ; & reſpuens ſententiam Doctorum negantium, amplectitur contrariam his verbis, equidem notabilibus: *ſed certe contraria ſententia tenenda eſt, nimirum aſſaſſinii mediatorem Eccleſiaſticæ protectionis beneficio non eſſe indignum &c.* Quaſi dum Eccleſia, immunitatis jus auferendo, ſtudet tam horrendum crimen removere, vult admittere ad ſuam protectionem eos, qui præcipuam cauſam tanto ſceleri dederunt. Hoc ſane non eſt mentem, & ſententiam legum intelligere, ſed magis cavillari, & verba captare. Illud etiam majus momentum habet, quod idem Doctor, dum opponit ſuæ ſententiæ *pragm.* 2. *de aſſaſſinio*, qua apud nos ſtatutum eſt, ut mediatores aſſaſſinii eadem pœna teneantur ac mandans, & mandatarius, unde ſatis apparet ex le-

legibus noſtris controverſiæ jam propoſitæ amplius locum non eſſe; ipſe proponit hanc rationem ſane lepidam pro difficultate removenda: *quia poteſt Princeps, quoad pœnam ſuis ſubditis imponendam, delicto qualitatem addere, ac declarare aſſaſſinum, qui non eſt aſſaſſinus; ſed quoad eccleſiaſticam immunitatem, in aliquo Eccleſiæ juribus præjudicare non poteſt*. Sed bone Deus! quis unquam fando audivit, Eccleſiæ juribus præjudicium afferri, cum pro avertendo teterrimo facinore, prout eſt aſſaſſinium, leges ſæculares puniri volunt pœna mortis eos, qui tanto crimini præcipuam occaſionem dederunt? His adde, quod leges eccleſiaſticæ, dum excludunt ab immunitate aſſaſſinium, quale ſit tale crimen, & quibus caſibus committatur, declarandum relinquunt legibus laicorum; & pro reo ejuſdem criminis habent eum, qui talis habetur jure publico. Etenim ſi originem vocabuli volumus inſpicere, Aſſaſſini olim dicebantur, prout ex Paulo Æmilio notat Duarenus *diſput. anniv. lib. 2. cap. 12.* quidam ex Perſide profecti, qui recepta Mahumetis perſuaſione, ejuſque erroribus imbuti, amicitiæ, & familiaritatis obtentu, ſeſe chriſtianis immiſcebant, ut aliquem ex eis poſſent callide, & proditorie occidere; nam ſibi perſuaſerant, cœleſtem immortalitatem adipiſci per necem hoſtium ſuæ religionis. Sed poſtmodum tale nomen datum eſt ſuſcipientibus mandatum ad occidendum; & Eccleſia, dum utitur eo vocabulo, ſeſe accomodat ad conſuetudinem loquendi, & ad ipſas leges laicorum, ut videre eſt in celebri conſtitutione Innocentii IV. ex Concilio Lugdunenſi, relata in *cap. 1. de homicid. in 6.* cujus verba evidentiſſime oſtendunt, quam impenſe ſemper curaverit Eccleſia tam horrendum crimen penitus exterminare; tantum abeſt, ut eccleſiaſticæ protectionis beneficio, ut loquitur de Marinis, cenſeantur digni ejuſdem mediatores. Poſtremo, ſi omnia alia deficerent argumenta, quod exprimitur in præſenti *Concordato* ſolum ſufficeret ad demonſtrandam mentem Eccleſiæ; nam ibi expreſſe removentur ab immunitate, qui opem, conſiliumque præbent in aſſaſſinio, inter quos mediatores proculdubio habentur præcipui. Sed amplius in his quæſtio-

ſtionibus immorari me piget; unde ad propoſitam diſputationem revertamur.

VII. V. Immunitate privantur latrones, & graſſatores viarum publicarum, & vicinalium; licet ſemel tantum ejuſmodi crimen commiſerint, nec perſonis ullo modo, ſed rebus tantum damnum intulerint. VI. Privantur qui falſis, & adulterinis clavibus, aliiſque inſtrumentis portas domorum, aut tabernarum ſive officinarum aperuerint; vel eaſdem effregerint, aut combuſſerint; vel per tecta, aut feneſtras intraverint; dummodo eſtimatio rerum furto ablatarum ſit ejuſmodi, unde communi, aut municipali jure reus pœnam mortis mereatur. Sed quænam ſit hæc pœna legibus noſtris ſtatuta, exponemus ſuo loco. VII. Privantur qui miniſtrorum curiæ falſo nomine utentes, domos ingrediuntur, ibique aut furtum committunt, aut vim mulieribus inferunt. VIII. Qui falſas conficiunt ſcripturas, ex quibus pecuniæ depoſitæ in menſis argentariorum apparent, & nos vulgo dicimus *fides crediti*; ſive falſa conficiunt mandata, unde ex iiſdem menſis depoſitas pecunias exigunt contra publicam fidem. IX. Privantur mercatores, qui dolo malo decoxerunt, pecuniam celando in fraudem creditorum. X. Quæſtores, ſive qui pecuniæ publicæ exigendæ præficiuntur, & in hac Civitate appellatur Theſaurarius Regius, in Provinciis Perceptores, etiam privantur immunitate, quoties in pecunia jam exacta tale furtum committunt, ut ſit locus pœnæ ordinariæ. Eodem modo privantur qui in menſis argentariorum præficiuntur pecuniæ, aut pignoribus conſervandis; ſicuti etiam qui præficiuntur locis piis inſtitutis pro eleemoſyna elargienda inter pauperes. Et poſtremo eadem ratione privantur qui in ſingulis Univerſitatibus Regni ſolent pecuniam publicam conſervare. XI. Privantur rei læſæ Majeſtatis in primo, & ſecundo capite. Sed in poſtrema ſpecie comprehenduntur ſolum ii, qui realem injuriam, non verbalem tantum intulerunt Principis miniſtris, juriſdictionem exercentibus; unde excipiuntur officiales Baronum. XII. Privantur qui per vim extrahunt, ſive extrahendos committunt ad Eccleſiam con-

confugientes. XIII. Privantur qui in Eccleſiis homicidia, mutilationes membrorum, aut quodcumque aliud delictum committunt, quod de jure communi meretur pœnam ſanguinis, aut triremium. Quod idem dicendum de iis, qui egredientes ab Eccleſiis, ad quas confugerant pro immunitate, eadem perpatraverint crimina. Poſtremo abutentes confugio, privantur eo, quoties authoritate Epiſcopi tranſlati in aliam eccleſiam, nec etiam ſe abſtinent a maleficio. Et ne Epiſcopi opus habeant talem facultatem ſemper, ubi caſus evenerit, impetrare a Pontifice, Pontifex eandem iis concedit una tantum vice pro omnibus. Et ut quæcumque omnino removeatur occaſio delinquendi in eccleſiis, prudentiſſime in *Concordato* cautum eſt, ut Epiſcopi, aut quicunque alii exercentes eccleſiaſticam juriſdictionem, debeant a confugientibus arma auferre, implorantes, ſi opus fuerit, auxilium ſæcularis Curiæ. At ſi hæc inſtet pro eadem re apud ordinarium eccleſiaſticum, hic debeat licentiam impartire, ut arma auferantur, cum interventu tamen perſonæ eccleſiaſticæ. Quod ſi ille renitens fuerit, poterit ſua tantum authoritate id facere judex laicus. Arma tamen quacunque ratione auferantur a confugientibus, danda ſunt laico Magiſtratui, ut ab eodem conſerventur.

VIII. Ad removendas autem veteres altercationes, quas ſupra diximus apud nos oriri ſolitas inter eccleſiaſticos, laicoſque judices pro cognitione criminis excepti ab immunitate, ſic ſtatutum eſt in *Concordato*: Dum reus alicujus delicti, quod creditur ab immunitate exceptum, reperitur in loco immuni, debet Epiſcopus, vel ejus Vicarius, aut quicunque alius ſuperioris vicem gerens, requiſitus a judice laico, licentiam concedere pro illius extractione, dummodo interveniat perſona eccleſiaſtica deſignata ab eodem Epiſcopo. Tenetur autem judex laicus in ſcriptis præſtare juratoriam cautionem de retinendo reo nomine eccleſiæ, promittens ejus reſtitutionem, quoties decretum fuerit, illum immunitate comprehendi. Quod ſi non reſtituatur, poterit Epiſcopus pœnis canonicis uti. Licentia autem ſi fuerit ab eccleſiaſtico denegata, poterit laicus iiſdem conditionibus

G pro-

proprio jure, propriaque authoritate reum extrahere, dummodo clamores, & ſcandala evitentur. Tenetur laicus judex, extracto reo, intra ſpatium quatuor menſium actus judiciales conficere, pro cognitione delicti, illoſque curiæ epiſcopali tranſmittere, a qua intra ſpatium unius menſis decernendum eſt, utrum reus gaudeat, an ſecus jure confugii. Quod ſi intra dictum ſpatium quatuor menſium judiciales actus non exhibeantur a laico, poterit Epiſcopus reſtitutionem rei ad eccleſiam petere, ſecundum formam juratoriæ cautionis jam præſtitæ. Epiſcopus vero ſi intra terminum præfixum nihil declaraverit circa crimen, ſtatim & ipſo facto, cognitio devolvitur ad Tribunal, quod Mixtum in eodem *Concordato* appellatur, ubi judices præſunt partim a Pontifice, partim a Rege conſtituti. Hæc ſunt majoris momenti, quæ circa jus aſyli in hoc Regno noviſſime ſtatuta ſunt; eaque ſi ad exequutionem perducantur, remota omni propenſione cavillandi, & vanas, inutileſque difficultates ſtruendi, affatim ſufficient tum ad facinoroſos homines puniendos, & crimina avertenda, tum ad decorem dignitatemque eccleſiæ conſervandam.

CAPUT VI.

De immunitate reali Eccleſiarum.

HACTENUS de privilegio, ſive immunitate eccleſiarum, quæ localis dicitur, videndum de altera, quæ appellatur realis, ſcilicet quod rebus eccleſiæ conceditur.

II. Quamvis antiquo Romanorum jure, neque univerſitates, neque collegia hæredes inſtitui poſſent, ea ratione, quia teſtatoris conſilium circa omnes & ſingulos certum non erat, nec poterant univerſi cernere hæreditatem, aut pro hærede gerere, ut ait Ulpianus in *fragm. tit.* 22. §. 5. ubi vid. Schulting. *in not.* nihilominus paulatim hæ juris ſubtilitates ſublatæ ſunt, & inductum, ut incertitudo hæredis non officeret ſupremæ hominum voluntati, vid. §. *ſed nec ejuſmodi* 27. *inſt. de legatis*. Collegia tamen hæreditates capere non po-

poterant, niſi ſpeciali privilegio ſubnixa eſſent, *l.* 8. *Cod. de hæred. inſtit.* prout ſub paganis Principibus non erant eccleſiæ, ſive collegia Chriſtianorum, quæ illi averſabantur, & perſequutionibus diſperdere conabantur. Et propterea illicita erant, utpote deſtituta authoritate Senatus, vel Imperatoris, vid. *l.* 3. §. 1. *D. de collegiis*, *& corpor. illicit.* Hinc peti non poſſe legatum univerſitati, ſive collegio Judæorum relictum, tanquam illicito, reſcripſit Imperator Antoninus in *l.* 1. *Cod. de Judæis*. Et veriſimile eſt, hoc reſcripto Chriſtianos fuiſſe comprehenſos, quos, utpote a Judæis oriundos, paſſim Romani cum illis confundebant.

III. Hæc tamen omnia pietas Chriſtianorum, poſtquam pax iis ſupervenit, Conſtantino Magno Imperium adepto, abrogare cœpit, profuſiſſime eccleſias ditando. Et ne qua amplius ſupereſſet dubitandi occaſio, voluit idem Imperator generali ſanctione permittere, ut liceret unicuique in ultima voluntate, bonorum quod optaret, eccleſiis Catholicis relinquere; *l.* 1. *Cod. de ſacroſ. eccl.* Verum ejuſmodi bona in pios uſos translata, adhuc remanebant ſub dominio publico, ſive eminenti, nempe Principis, & propterea tributis erant obnoxia; donec placuit eidem Conſtantino, illa a talibus oneribus eximere, & immunia facere; *l.* 1. *C. T. de annon. & tribut.* Conſtantius autem ejus filius tale privilegium reſtrinxit ad extraordinarias penſitationes; nam hic Princeps noluit confirmare generalem immunitatem Eccleſiis indultam in Concilio Ariminenſi, licet alias Arrianorum ſectæ ſtudens, ejuſdem Concilii acta approbaſſet; vid. *l.* 15. *C. T. de Epiſc.* Hoc ipſum confirmavit Honorius in *l.* 40. *eod. tit.* ubi quæ ſint extraordinaria munera deſcribit, præſertim quæ appellantur ſordida; ut eſt titulus in *eod. Cod. Theodoſ. de extraordinariis, ſive ſordidis muneribus*, interque ea eſt pontium, & viarum inſtructio. At non defuerunt alii Imperatores, qui etiam his extraordinariis muneribus eccleſias ſubjecerunt; vid. *l.* 10. *cit. tit. C. T. & l.* 7. *Cod. de ſacroſ. eccleſ. & novell.* 131. Denique omni reali immunitate, etiam ab oneribus extraordinariis, tempore Theodoſii Imperatoris deſtitutæ videntur fuiſſe eccleſiæ, ut no-

Digitized by Google

tat Gothofredus in *comm. ad l. 33. C. T. de annon. & tribut.* Quod idem obſervatum ætate Juſtiniani non male colligitur ex *novell. 37. & 43.*

IV. Ex ſuperioribus infertur, non ſemper unam, eandemque fuiſſe circa immunitatem, de qua agimus, legum indulgentiam, ſed modo majorem, modo minorem, modo nullam. In hoc tamen Regno, cum ſpeciales leges eodem pertinentes non habeamus, veriſimile eſt, privilegia hujus immunitatis aucta, vel diminuta fuiſſe, prout Reges plus, minuſve eccleſiarum favori ſtudebant. Crediderim ſane ab ætate Regum Andegavenſium pleniſſimam immunitatem rebus eccleſiarum conceſſam, prout ad hæc uſque tempora factum eſt; nam Principes ejus familiæ, utpote Sedi Apoſtolicæ addicti, voluerunt potius canonicis ſanctionibus parere, quam novas circa realem immunitatem leges condere. Habemus quidem *cap. item ſtatuimus* 98. Caroli II. Andegavenſis ad ejus generis immunitatem pertinens; ſed illud proprie agit de bonis eccleſiaſticorum.

V. Cum dicimus bona eccleſiaſtica, ea duplici modo accipi poſſunt, vel immediate ad eccleſias pertinentia, vel clericis pro ſuo miniſterio ſpecialiter attributa. Primis temporibus proventus ex rebus eccleſiaſticis in commune redigebantur, & in partes dividebantur quatuor, quarum una Epiſcopi erat, altera clericorum, tertia pauperum, quarta impendebatur in ædificationem templi *can. 23. 25.* & deinceps 12. *quæſt.* 2. Sed hæc paulatim in deſuetudinem abierunt, & ſingulis miniſtris certæ portiones, quoad viverent, fuerunt aſſignatæ; unde ortum habuit beneficiorum diſtributio. Quæ tamen ipſarum rerum naturam non immutavit, nam transferuntur cum ſuis juribus, & privilegiis in clericos, a quibus poſſidentur nomine eccleſiæ. Hinc beneficium definitur: *Res eccleſiaſtica, quæ ſacerdoti, vel clerico ob ſacrum miniſterium utenda conceditur.* Igitur dum de immunitate reali tractatur, non ſunt diſtinguenda bona, quæ immediate poſſidentur per ipſas eccleſias, ab iis, quæ eccleſiarum quoque licet ſint, poſſidentur tamen beneficiorum nomine per eccleſiaſticos; & utraque iiſdem privilegiis fruuntur.

VI. Prin-

VI. Principes ſæculares bonis propriis clericorum ſua quoque conceſſerunt privilegia. Conſtantinus Magnus conceſſit clericis immunitatem ab extraordinariis oneribus, *l. 14. Cod. Theodoſ. de Epiſc.* Conſtantius, & Conſtans eam amplîarunt ad tributa, collationes, & penſitationes fiſcales, ſeu cenſus: imo, & ad negotiationes clericorum, quæ tunc temporis permittebantur, ut commodius poſſent illi pauperibus ſubvenire, vid. *l.* 8. 10. & 14. *cit. tit.* Sed hæc ab eodem Imperatore Conſtantio immutata ſunt in *l. 15. eod. tit.* Unde hoc jus non ſemper eodem modo permanſit, præſertim poſt Conciliorum, & Pontificum ſtatuta ſuper eadem re. In Provinciis hujus Regni cum legum Imperatorum Orientalium vis diu ſtetiſſet, non erit fortaſſis a vero alienum aſſerere, circa hujus immunitatis ſpeciem non leves oriri ſolitas contentiones; quæ occaſionem dederunt Carolo II. Andegavenſi capitulum modo citatum pro lege generali in toto Regno promulgare, cujus hæc ſunt verba: *Item ſtatuimus, quod Clerici, qui clericaliter vivunt non cogantur communicare cum aliis in collectis, & exactionibus aliis quibuſcumque; nec pro bonis eccleſiaſticis, nec pro patrimonialibus de portionibus eos legitime contingentibus.* At quis crederet? hæc eadem conſtitutio, licet clara admodum, & perſpicua, novis, & diuturnis quæſtionibus occaſionem dedit, quæ vigerent adhuc, niſi ſumma providentia per *Concordatum*, de quo mox, iis fuiſſet finis impoſitus. Sed videamus breviter, quænam fuerint ambiguitatum, & diſſidiorum rationes.

VII. Primo quæſitum eſt a Doctoribus noſtris, quid ſignificent illa verba conſtitutionis *clericaliter vivere*. Sed quoniam hæc quæſtio ad immunitatem quoque perſonalem ſpectat, ideo eam opportunius pertractabimus in *cap. ſequenti*. II. an bona noviter a clericis acquiſita, veluti per donationem, aut emtionem, eadem immunitate comprehendantur. Hæc quæſtio ortum profecto habuit a nimio immunitatis ampliandæ ſtudio, nam ſi diligenter verba legis conſideraſſent interpretes, tot inutilibus diſputationibus careremus. Dum antiquas chriſtianorum Principum leges inſpici-

cimus, clare patet, eas nullam dediſſe immunitatem circa ſolutionem oneris realis, quod ratione bonorum imponebatur, & proprie dicebatur *Capitatio*, ſive cenſus capitationis. Perperam hoc vocabulum, quod legitur in *l.* 11. *Cod. de Epiſc. & cleric.* & paſſim occurrit in *C.T. tit. de cenſu*, accipitur vulgo de penſitatione, quæ præſtabatur ab unoquoque capite, hoc eſt perſona, ſive homine; nam ut animadvertit doctiſſ. Gothofr. *in paratitl. ad cit. tit.* quemadmodum in re pecuniaria, & fœnebri caput eſt id, cujus nomine fœnus præſtatur, diciturque ſors; ita in re tributaria, capita ſunt poſſeſſiones, & quaſi ſortes, quarum nomine tributa penduntur, ſeu canon infertur, atque exinde capitatio, quæ capitum nomine, ſeu pro modo ſortium præſtari debebat, ſive pro modo jugerum. Unde in eodem *tit. capita*, *& juga* ſociantur, ſicuti, & *capitatio*, & *jugatio*. Igitur, quod attinet ad rem noſtram, ab hac capitatione immunes non erant clericorum bona cujuſcumque generis; nam in *cit. l.* 11. jubet Arcadius Imperator, ne clerici aliunde aſſumantur, quam a propriis locis uniuſcujuſque Eccleſiæ; & rationem eam reddit; *ut unuſquiſque propriæ capitationis onus, ac ſarcinam recognoſcat*.

VIII. Cum autem immunitas realis eccleſiæ, clericorumque bonis conceſſa eſſet, diſtinctio facta eſt tum legibus Principum ſæcularium, tum ſacris canonibus, inter antiquas, & novas acquiſitiones; nam illæ, utpote eccleſiarum, & miniſtrorum ſuſtentationi comparatæ, ab omni onere reali, ab omni cenſu, & capitatione fuerunt omnino immunes; hæ vero ſecus. Hoc probat evidenter *capitulum* 1. *de cenſibus* quod deſumptum eſt ex *can.* 50. Concilii Vormaticenſis celebrati anno 868. ſub Adriano II. cujus verba hæc ſunt: *Sancitum eſt, ut unicuique eccleſiæ unus Manſus integer abſque alio ſervitio attribuatur. Et præsbyteri in eis conſtituti non de decimis, non de oblationibus fidelium, non de domibus, neque de præſcripto manſo aliquod ſervitium faciant, præter eccleſiaſticum. Et ſi amplius aliquid habuerint, inde ſenioribus ſuis debitum ſervitium impendant*. Quid ea ætate *manſus* ſignificabat explicat Cujacius *lib.* 1. *feud.*

feud. tit. 1. §. *ſi quis de manſo uno*, Gonzalez *in cit. capit.* 1. & Cancius in *Gloſſario*. Erat *manſus* fundus certorum jugerum, unde quis ſe, & familiam ſuam tueri ſatis commode poterat; & comprehendebantur etiam animalia, & mancipia operi ruſtico deſtinata; & quia ibi patresfamilias habere ſolebant habitationes quoque, a manendo fortaſſis *manſus* barbare dicebatur. Cum autem *manſus* aliquis eccleſiæ in dotem aſſignabatur, vel presbytero eccleſiæ deſervienti, tunc dicebatur *manſus* eccleſiaſticus, & erat immunis ab omnibus oneribus. Senſus igitur verborum canonis ſatis perſpicuus eſt, ſcilicet, ut *manſus* aſſignatus, vel pro ſuſtentatione eccleſiæ, vel ſacerdotis, a quocumque onere ſit exemtus; cætera autem bona obnoxia ſint oneribus, quibus antea tenebantur. Nec movemur, quod in canone dicatur *ſervitium*, ſiquidem hoc vocabulum iiſdem temporibus ſæpiſſime accipiebatur pro onere reali, & aliquando annua penſitatione, quod præſtabatur ratione prædii, vid. exempla apud eund. Cancium verb. *ſervitium*. Quod ſtatuitur in *cit. can.*, habetur etiam in legibus chriſtianorum Principum, & nominatim in capitularibus Caroli Magni, ubi *lib.* 1. *cap.* 83. ſic legitur: *Sancitum eſt, ut unicuique eccleſiæ unus manſus integer abſque ullo ſervitio attribuatur*.

IX. Hæc diu obſervata fuiſſe tum in Italia, tum in cæteris Provinciis Chriſtiani orbis credendum eſt, uſque ad ætatem Alexandri III. nam hic Pontifex in *can.* 19. Concilii Lateranenſis voluit reprimere abuſum jam introductum per quoſdam adminiſtratores univerſitatum, qui conſules, vel rectores tunc dicebantur; hi enim extraordinariis, & inſolitis oneribus eccleſiarum, & clericorum bona aſſidue gravare tentabant, unde ab iis ſolis, quod publice erat impendendum, exigebatur; idque nimis durum cenſebatur, & iniquum. Hanc fuiſſe mentem Pontificis, & hunc canonis ſenſum verba ipſa ſatis oſtendunt, quæ ſic ſe habent, prout referuntur in *cap.* 4. *de immunitate eccleſiarum*: *iſti vero onera ſua fere univerſa imponunt eccleſiis, tot angariis eas affligunt . . . . . . ſive enim foſſata* (intellige loca munita, ſive pro caſtris muniendis facta), *ſeu expeditiones, ſeu alia quæ-*

quælibet ſibi arbitrentur agenda, de bonis eccleſiarum, & clericorum, & pauperum chriſtianis uſibus deputatis, cuncta volunt fere compleri &c. Id ipſum ferme confirmavit Innocentius III. in *cap. 7. eod. tit.* Unde patet quam manifeſto ſint in errore interpretes, inter quos & Vaneſpen *part. 2. tit. 35. cap. 2.* dum exiſtimant, citatas decretales immunitatem indefinite tribuere voluiſſe omnibus bonis eccleſiaſticis, & clericorum; nam Pontificum mens fuit tantum occurrere velle iniquitati, atque inſolentiæ conſulum & rectorum, qui ad bona eccleſiaſtica omnia publica onera referre volebant. Eandem ferme occaſionem habuit decretum Alexandri IV. in *capit. 1. de immunit. Eccl. in 6.* nam ut patet ex verbis Pontificis, eo tempore in Gallia rectores univerſitatum non tantum immodicas collectas imponere ſtudebant rebus eccleſiæ, & clericorum, ſed etiam eos cogere ad ea bona alienanda in laicos, ſive *ad ponenda extra manum ſuam acquiſita*, ut ait decretum. Unde Pontifex eam licentiam voluit cohibere.

X. Sed dubium deinceps extitit circa bona patrimonialia clericorum. Antiquitus quidem nulla fuit hac de re controverſia, nam omnes clerici cum certo titulo, ſive beneficio, & miniſterio eccleſiæ, cui addicebantur, ordinandi erant; unde in *can. 6.* Concilii Calcedonenſis decernitur, invalidam, atque irritam eſſe ordinationem factam ſine certo titulo. Et propterea primis eccleſiæ ſæculis ordinatio, beneficium, & per conſequens miniſterium eccleſiaſticum, uno, eodemque tempore conferebatur. Sed cum tale inſtitutum paulatim diſſolveretur, & circa ſæculum duodecimum ordinationes ſimplices, hoc eſt ſine titulo invaleſcerent, voluit Alexander III. in *can. 5.* Concilii Lateranenſis, cujus verba extant in *cap. 4. de præbendis, & dignitatibus*, Epiſcopos eas peragentes coercere hac pœna, ut donec titulus eccleſiæ vacaret, cui clericus addici poſſet, propriis ſumtibus eum alere tenerentur; niſi forte talis quis ordinaretur, *qui de ſua, vel paterna hereditate ſubſidium vitæ poſſet habere*. Quæ poſtrema verba canonis occaſionem dederunt novæ diſciplinæ introducendæ, nempe ordinationis ad titulum patrimonii;

licet

licet talis non ſuerit mens Pontificis, cui tantum placuit æquitatem exercere erga Epiſcopos, nempe ut non tenerentur alimenta præbere clerico diviti. Hinc poſtmodum in uſu fuit, ut dupliciter clericis ordinandis proſpiceretur pro decenti ſuſtentatione, vel ex certis redditibus bonorum Eccleſiæ, vel bonorum proprii patrimonii. Quæſitum igitur eſt, an bona hujuſmodi, quæ clericus, vel ipſe ſibi, vel pater, vel quivis alius ei aſſignet pro patrimonio, exemta ſint a publicis oneribus. Et quamvis revera non ſint eccleſiaſtica, nam pertinent ad clericum proprio, & privato jure; nihilominus cum deſerviant ſuſtentationi ejuſdem, & ſucceſſerint in locum bonorum eccleſiaſticorum, quæ antiquitus neceſſario aſſignanda erant in qualibet ordinatione; ideo ratio expoſtulat, ut dicamus ea immunia eſſe. Et fortaſſis cum ætate Caroli II. Andegavenſis jam frequentari cœpiſſet ordinatio ad titulum patrimonii; ut omnis deinceps removeretur dubitatio, voluit Rex in fine *cit. capit.* illa verba apponere: *nec pro patrimonialibus, de portionibus eis legitime contingentibus*; quæ videntur de patrimoniis clericorum accipienda, non de reliquis bonis eiſdem quæſitis, quæ cum non ſint eccleſiaſtica, neque aſſignata pro competenti ſuſtentatione ad obeundum miniſterium eccleſiæ, non eſt cur debeant eximi a publicis oneribus. Quod ſi volumus privilegium immunitatis ampliare, ſuperiora verba intelligi quoque poterunt de patrimonio, quod acquiritur clerico per ſucceſſionem legitimam, quæ nempe ei defertur, vel ex teſtamento parentum, vel ab inteſtato; & ea proprie eſt portio legitime contingens, ut loquitur conſtitutio; nam dum pater, vel mater inſtituit filium hæredem, talis hæreditas dici quoque poterit legitima, quia teſtamentariæ hæreditates lege confirmantur, ut animadvertit Ulpianus in *l. lege 130. de verb. ſignif.* Quæ vero ab inteſtato ſunt hæreditates, ſpecialiter dicuntur legitimæ, quia in iis lex tantum operatur abſque ullo miniſterio hominis. Et propterea hæ portiones, ex privilegio dicti capituli, erunt etiam immunes. At cum clericus ſua induſtria, ſuaque pecunia prædium aliquod noviter acquirit, jam antea publicis oneribus

H ob-

obnoxium, quænam erit juſta ratio exemtionis ? non eſt illud utique res eccleſiaſtica, nam poſſidetur proprio, privatoque jure; non eſt patrimonium aſſignatum loco beneficii; non eſt legitima portio hæreditaria, quam etiam voluerunt leges noſtræ immunem facere. Igitur quo colore immunitas expoſtulabitur?

XI. Non ignoro, quamplurimos ex noſtris Pragmaticis in contrariam ſententiam diſcedere, & nominatim de Marinis *lib. 1. reſol. cap.* 47. qui propoſitis dubitandi rationibus aut male, aut nihil reſpondet. Sed ut cætera omittamus argumenta, quod ſtatuitur in *l. ult. Cod. de exactorib. tribut. lib.* 10. tale eſt, ut ſine manifeſta cavillatione congrue reſponderi nequeat. Summa ejus legis hæc proponitur a Bartolo: *ſi domus imperialis, vel eccleſia res tributarias licite emerit, & tributa non ſolverit; ea res ei auſertur, & civitati aſſignabitur, ut integra tributa ſolvantur*. Et ſane adeo juſta, & neceſſaria viſa fuit Imperatori Theodoſio exactio tributorum, ſive ut nos dicimus, collectarum, quæ fiebat a ſingulis civitatibus imperii pro ſolutione publicorum onerum, ut noluerit a tali obligatione, neque ipſam domum imperialem, neque eccleſiam eximere. At quanto magis erit juſtiſſima, ubi clericus prædium noviter acquirit proprio privatoque jure? Confugit hic de Marinis in re tanti momenti, & ubi agitur de paucorum commodo, cum immodico detrimento multorum, ad inanes ſcholaſticorum diſtinctiones; nam ait, onus collectarum reale non eſſe, ſed mixtum, quod nempe imponitur perſonis pro rebus, & propterea ſi perſonæ non ſunt ſubditæ, neceſſario cenſentur exemtæ; & mutatione perſonarum mutatur qualitas inhærens rebus. Congerit ad hæc probanda tum leges Romanas, ut plurimum a propoſito alienas, tum variorum authorum teſtimonia. Sed creſceret in immenſum oratio, ſi omnia ſigillatim hic examinare velimus; contenti tantum erimus originem erroris, vulgariſque diſtinctionis patefacere.

XII. Cum civium unuſquiſque teneatur ad ea onera, quæ neceſſario ſubeunda ſunt ad ſtatum publicum conſervandum

dum; ideo romani Prudentes hujuſmodi onera, quæ & munera appellabant, in tres ſpecies diviſerunt, in perſonalia; patrimonialia, ſive realia, & mixta. Prioris generis exempla referuntur in *l.ult. D.de muner. & honor.* videlicet quoties perſona tantum oneratur ſine ullo detrimento patrimonii, veluti, cum quis eligitur ad exactionem publicæ pecuniæ, ad aquæductus cuſtodiendos &c. ejuſdemque generis ſunt tutela, & cura, quæ inter publica munera numerantur, *inſtit. de excuſat. tut.* §. 1. nam pertinet ad ſtatum publicum, ut pupilli, minorumque res diligenter adminiſtrentur. Patrimoniorum vero ſunt munera, quæ indicuntur patrimoniis, ſive bonis: ejus generis ſunt ordinariæ præſtationes tributorum, atque extraordinariæ. Exempla vide paſſim in titulo *Pandect. & Cod. de muner. & honor.* Denique munera mixta ea dicit eſſe Juriſconſultus in *cit. leg. ult.* §. *mixta*, quæ partim afficiunt perſonam, partim patrimonium; veluti cum quis onus publicum perſonale ſuſtinere cogitur ſimul cum aliquo detrimento patrimonii; & exemplum ibi ponitur, quoties ex more alicujus civitatis cogitur quis annonam exigere, & ſuſtinere damna deſertorum prædiorum, ſcilicet, ut ſolvere teneatur de proprio, ſi fortaſſis domini prædia dereliquerunt, ne tributa perſolverent: & tales olim erant *Decaproti*, hoc eſt *Decemprimi*, ut nominantur in *l.* 2. *C. T. de quæſtionibus*, ſive Decemviri, qui ex ordine Decurionum eligebantur pro exactionibus tributorum. Aliquando ad idem munus aſſumebantur viginti ex Decurionibus, qui in eadem *l. ult.* appellantur *Icoſaproti*. Ex his omnibus clare intelligitur quænam ſint munera, ſive onera mixta. At eo ſenſu, quo utitur de Marinis, nunquam in libris noſtris legitur onus mixtum; nam ſi imponitur ratione rei, prout olim erat apud Romanos, & hodie apud nos eſt, diciturquè collecta, vulgo *Cataſtum*, ſequitur rem ipſam ad quemcumque poſſeſſorem translatam: ſin autem imponitur ratione perſonæ, tunc inſpicietur qualitas, ætas &c. ipſius perſonæ. Verum utitur de Marinis authoritate gloſſæ, & Bartoli, qui ex *l. 6.* §. *ult. D. eod. tit. de muner. & honor.* aſſerunt, quædam eſſe onera, quæ imponuntur rebus

H 2 ra-

ratione perſonarum, & ob id appellantur mixta. At quod proponit Ulpianus in *cit. leg.* 6. ſubvertit ſententiam de Marinis, tantum abeſt, ut eam probet; ſiquidem primo ait, munera, quæ patrimoniis injunguntur, talia eſſe, ut nec ætas excuſet, nec numerus liberorum, nec alia prærogativa, quæ ſolet a perſonalibus muneribus excuſare. Quæ verba ſola ſufficerent ad dirimendam controverſiam noſtram; etenim ſi collecta in Regno imponitur ratione patrimonii; & prout patrimonium eſt majus, vel minus, illa decernitur, conſequens eſt, ut prærogativa perſonæ excuſationem ab ea nullam præbeat. Sequitur deinde Juriſconſultus: *Munera, quæ patrimoniis indicuntur duplicia ſunt, nam quædam poſſeſſoribus injunguntur, ſive municipes ſunt, ſive non ſunt; quædam nonniſi municipibus, vel incolis.* Prioris generis exempla ait eſſe intributiones, ſive contributiones, hoc eſt tributa, vid. *l. ager* 27. *in fin. D. de verbor. ſignif.* quæ ex prædiis deſumebantur, & propterea tale onus non poterat afficere, niſi poſſeſſores, quia cenſebatur prædiis annexum; & quamvis illud proprie vectigal erat, nam ſtante Republica dicebantur populi vectigales, qui ſolvebant cenſum ſoli; ſtipendiarii, vel tributarii, qui ſolvebant cenſum capitis, vid. *Brumann. de vectig. pop. Rom. cap.* 1. tamen poſtea ea vocabula confuſa ſunt, & uſus obtinuit, ut tributum pro cenſu ſoli acciperetur, quod Cujacius animadvertit 7. *obſerv.* 3. Sed quoniam ætate Ulpiani non ſolum exigebantur ordinaria tributa a ſingulis prædiis, verum etiam extraordinaria prout neceſſitas expoſtulabat, & tales erant indictiones belli tempore, ſive angariæ, equi, muli, veredi &c. ideo juriſconſultus in calce ejuſdem legis ait, ejuſmodi patrimoniorum munera non ab aliis præſtari, quam a municipibus, vel incolis: optima ſane ratione, quia ſuperiores extraordinariæ indictiones afficere debent habitatores cujuſque loci, qui ibi prædia poſſident; & propterea exteri erant exemti, quia iiſdem oneribus tenentur in loco habitationis. Cum hæc ſententia Ulpiani tam recta ſit, & perſpicua, nihil omnino facit ad propoſitam quæſtionem; nam ex ea poterit tantum deduci, cleri-

ricos prædia poſſidentes extra ſuum domicilium, non teneri ad extraordinarias indictiones: at quomodo excuſabuntur ab ordinariis tributis, a quibus, ait idem Ulpianus, nullum perſonæ privilegium excuſare poſſe, cum ſit onus reale, & intrinſecum? Nec obſtat, quod ætate de Marinis nulla aderat lex generalis, ex qua collectarum onus impoſitum eſſet in toto Regno; ſiquidem jamdiu apud nos ſtatutum fuit, ut a ſingulis univerſitatibus certi redditus quotannis inferrentur in ærarium Principis; ipſæ autem univerſitates ad ſuam curam tranſtulerunt modum eoſdem redditus exigendi; nam quædam exigunt cenſum capitis, vulgo *teſtaticum*, quædam ſoli, vulgo *cataſtum*; & propterea quæ imponunt cenſum ſoli, imponunt onus reale, quod utique certum eſt, & per conſequens transfertur in poſſeſſorem. Sed quid pluribus immoramur? cum expreſſam habeamus legem Ferdinandi I. Aragonenſis, quæ eſt *pragm. 3. de Cleric. ſeu Diacon. &c.* ibi enim cavetur, ut cum bona ſingulorum civium certæ penſioni ſuppoſita eſſent, ex quo Alphonſus I. conventione habita cum univerſitatibus Regni quotannis certam pecuniæ ſummam ab iis exigebat, fraudibus via ſtrueretur, dum ea bona in manus mortuas transferebantur: cavetur, inquam, ut deinceps ea bona quæ ſemel certo onere deſignata ſunt ſemper illud exolvant, licet eccleſiaſtici ſint poſſeſſores. Idem ferme clarius decernitur in *prag. 2. circa fin. eod. tit.*

XIII. Sed proponamus breviter, quæ circa realem immunitatem noviſſime ſtatuta ſunt in *Concordato*. Primum omnium in eo animadvertitur, laicos, & præſertim tenuioris fortunæ homines, quique vix diurnis laboribus victum ſibi quærere poſſunt, oneribus non ferendis gravari, ſive ratione vectigalium, ſive cenſus capitis; idque ex eo, quod exemta cum ſint immenſa eccleſiaſticorum bona, & in manus mortuas translata, publica onera in illos ſolos transfundantur. Quod ſane ab omni æquitate alienum viſum fuit tum ſummo Pontifici, tum Regi noſtro, quoniam privilegia nunquam debent cæterorum damno cedere. Et fortaſſis eandem rationem præſetulerunt, qua olim uſus fuit Juſtinia-

nianus in *novell.* 43. ubi hæc ſpecies tractatur: Deſtinaverant olim majori eccleſiæ urbis Conſtantinopoleos Imperatores Conſtantinus, & Anaſtaſius mille, & centum tabernas, ſive officinas, ut ex earum redditibus funerum ſumtus faceret; eaſque immunes reddiderunt a tributis. Idem privilegium confirmavit Juſtinianus; ſtatuit tamen, alias officinas ejuſdem urbis immunes non eſſe debere, licet ad eccleſiam, vel ad alias domos pietati dedicatas, vel ad viros illuſtres, vel ad domum Imperialem pertinerent; & rationem reddidit his verbis: *neque ſuſtinemus aliorum onus ad alios deferri, aut tam immitem proponere formulam, ut quotidie vectigalia augeantur &c.* Quod ſane apud nos evenit, nam publica, & privata onera in Regni univerſitatibus non diminuuntur, imo creſcunt; contra laicorum bona, quæ ſola iis gravantur, continuo decreſcunt incidendo in manus mortuas, unde neceſſario ſuper bonis laicalibus onera augenda ſunt. Et propterea æquiſſime in prædicto *Concordato* cavetur, ut in univerſali bonorum totius Regni deſcriptione, ſive *Cataſto*, etiam bona eccleſiaſtica apponantur, ad hoc ut ex iis ſolvatur medietas tributi, quæ a laicis præſtari debet, detractis antea oneribus iiſdem rebus annexis. Excipiuntur tamen bona clericis aſſignata pro titulo patrimonii; & ne qua fraus intervenire poſſit, ſtatuitur, ut exemtio bonorum patrimonialium incipiat a die, quo clerici ad ſubdiaconatus ordinem aſcendunt. Quæ autem ab iis poſſidentur proprio, privatoque jure, nullo privilegio gaudeant immunitatis. Excipiuntur etiam bona pertinentia ad parochias, ad ſeminaria, necnon, ad hoſpitalia. At bona, quæ noviter poſt confectionem inventarii acquirentur ab eccleſiis, vel a quibuſcumque eccleſiaſticis collegiis, ſubjecta erunt integris oneribus publicis ſolvendis, eodem modo, ac ſi a laicis poſſiderentur. Demum ſtatuitur certa norma, ne amplius abuſus creſceret, qui jam invaluerat in Regno circa immunitates, quæ clericis concedebantur a vectigali in univerſitatibus exigi ſolito ſuper tritico, aliiſque rebus ad victum neceſſariis. Quæ omnia cum in *Concordato* clare, & ſpecifice expreſſa ſint, ideo huc tranſcribere omittimus.

CA-

CAPUT VII.

De immunitate perſonali, ſive de privilegiis ad perſonas eccleſiaſticas pertinentibus.

QUONIAM perſonæ eccleſiaſticæ miniſterio religionis addictæ ſunt, ideo ſemper æquum viſum fuit inter Chriſtianos, eas eximere ab ordinario cæterorum jure, & propriis privilegiis decorare, cum & gentiles ipſi idem feciſſe conſtet, vid. Cæſar. *lib. 6. de bell. Gall.* Hinc non ſolum voluerunt chriſtiani Principes eximere clericos a realibus oneribus, de quibus dictum eſt in *cap. ſuper.* verum etiam ab iis, quæ neceſſario cujuſque civis perſonam afficiunt, quæque onera dicuntur perſonalia; ea ratione, ne occaſione onerum ejuſmodi *a divinis obſequiis avocentur*, ut loquitur Imperator Conſtantinus in *l. 2. C. T. de Epiſcopis &c.* Primum omnium videndum hic eſt; quænam requirantur in clerico, ad hoc ut poſſit ſua ſibi aſſerere privilegia immunitatis. In explicandis illis verbis capituli *item ſtatuimus* 98. *clerici qui clericaliter vivunt*, quærunt noſtri Doctores, quid ſit clericaliter vivere. In hac quæſtione ſi canones, & mentem eccleſiæ potius illi introſpicere voluiſſent, circa morum honeſtatem, veſtiendi modeſtiam, & miniſterii obligationem clericorum propriam; quam inutiles, & abſtractas diſtinctiones excogitare, ſatis ſuperque intellexiſſent, privilegio immunitatis indignos cenſeri eos, qui in ordine clericali licet conſtituti ſint, tamen & in externo habitu, & in negotiorum ſæcularium exercitio, & in neglectu ſervitii eccleſiaſtici, omnino tanquam laicos ſeſe gerunt, adeout clerici nomine tenus, non inſtituto vitæ cenſeantur. Quo caſu certiſſimum eſt, noluiſſe Principes ullum privilegium indulgere perſonis eccleſiam ipſam offendentibus, cujus favore illud ſtatutum fuit. Nec refert, quod clericus in ſuo ſibi privilegio aſſerendo, munitus quoque ſit ſacrorum canonum authoritate, quos nequeunt laicorum Principum leges ſubvertere; etenim ipſimet canones confirmant

Digitized by Google

mant quæ modo diximus; unde clericus proprii ſtatus ſi fuerit oblitus, fruſtra ad canones recurrit, quibus parere recuſat. Ad rem ſic ait eleganter Innocentius III. *in capit. contingit 45. de ſentent. excommun. Privilegium meretur amittere, qui præmiſſa ſibi abutitur poteſtate; & fruſtra auxilium legis invocat, qui committit in legem*. Idem prorſus confirmatur in *can.* 14. Concilii Toletani temporibus Xiſti IV. Pontificis. Hæc ſane omnia ſunt veriſſima dum exacta inſpicitur eccleſiæ diſciplina; & propterea breviter hic vulgaris opinio examinanda, & diluenda eſt, quæ jam invaluit inter noſtros, & noviſſime tanquam jus certum propugnatur a de Marinis *reſolut. lib.* 1. *cap.* 56. circa interpretationem Tridentinæ Synodi *in capit.* 6. *de reform. ſeſſ.* 23.

II. Quam impenſe optaverit, & quam multis, variiſque ſalutaribus præceptis hæc ſacroſancta Synodus voluntatem ſuam expreſſerit, ut diſciplina eccleſiaſtica reſtitueretur, & quantum fieri poſſet ad priſtinos, eoſque incorruptos Chriſtianorum mores accomodaretur; præter monumenta hiſtoricorum, non uno in loco clariſſima verba ejuſdem Synodi teſtantur. Et præſertim, quod attinet ad mores clericorum, qui (ait decretum *de reform. cap.* 1. *ſeſſ.* 22.) *cum a rebus ſæculi in altiorem ſublati locum conſpiciantur, in eos tanquam in ſpeculum reliqui oculos conjiciunt, ex iiſque ſumunt, quod imitentur*; ſæpiſſime inculcat, & nominatim in eodem decreto, honeſtatem, doctrinam, habitum decentem. Et propterea quis unquam ſibi perſuaſerit, occaſionem dediſſe eandem Synodum clericis beneficia eccleſiaſtica poſſidentibus, impune habitum clericalem dimittendi? Sed facillime id ſibi perſuadent noſtri Doctores, dum credunt chriſtianæ pietatis officium expoſcere, privilegia clericorum quam longiſſime protrahere, nihil quidquam penſi habentes utrum ſit contra voluntatem ipſius eccleſiæ, & contra regulas eccleſiaſticæ diſciplinæ. Unde videntur mulieres præficas imitari, quæ planctu, & ululatu, defunctorum conſanguineos ſuperabant. Igitur citatus de Marinis ſic ait: *Clericus in minoribus conſtitutus beneficium eccleſiaſticum habens, quod non cogatur habitum deferre clericalem ad effectum, ut valeat*

leat fori privilegio uti, *ex Concilio Tridentino pro indubitato affirmarunt &c.* Quibus ex verbis deduci poterit, Concilium Tridentinum obligationem nullam imponere clericis beneficium habentibus, veſtiendi more cæterorum clericorum; & quod antea fortaſſis in dubium revocari poterat, utrum tales clerici tenerentur necne veſtibus clericalibus uti, Concilium declaraſſe favore libertatis, & vivendi pro arbitrio. Sed de Luca in notis ad eandem reſolutionem, non contentus argumentum deducere ex verbis Synodi, ut fecit de Marinis, proponit idem axioma, tanquam decretum dedita opera confectum, nam ſic ſcribit: *Clericus primæ tonſuræ, vel in minoribus ordinibus conſtitutus, beneficium eccleſiaſticum habens, non cogitur deferre habitum, & tonſuram, ad effectum, ut valeat fori privilegio potiri, diſponit ſacrum Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 6.*

III. Ut autem facilius cognoſci poſſit ex hac diſputatione, quam male, atque inconſiderate fori doctores legum verba perpendant, apponamus decretum Concilii: *Nullus prima tonſura initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus conſtitutus, ante decimumquartum annum beneficium poſſit obtinere. Is etiam fori privilegio non gaudeat, niſi beneficium eccleſiaſticum habeat, aut clericalem habitum, & tonſuram deferens, alicui eccleſiæ ex mandato Epiſcopi inſerviat, vel in ſeminario clericorum &c.* Hic, ait de Marinis, & cæteri doctores, quos ipſe longa ſerie citat, Synodus utitur oratione disjunctiva, *beneficium habeat, aut clericalem habitum, & tonſuram deferens &c.* Optime nos monent Juriſconſulti, verba legum captanda non eſſe, ſed qua mente quid dictum ſit, videndum. Et quidem cum antea Synodus in *capit.* 4. monuiſſet Epiſcopos, *ut prima tonſura initientur ii tantum, de quibus probabilis conjectura ſit, eos non ſæcularis judicii fugiendi fraude, ſed ut Deo fidelem cultum præſtent, hoc vitæ genus elegerunt*; deinde in *capit.* 6. agit de ætate eorum, qui beneficia poſſint obtinere, & ſtatuit annum decimumquartum, ſive tonſuram tantum habeant, ſive in minoribus ordinibus ſint conſtituti. Ne autem iis, quæ caverat

Digitized by Google

in *dict. capit.* 4. fraus fieret, ſcilicet ne tonſura inſignitus, aut in minoribus conſtitutus miniſterium eccleſiaſticum omnino relinqueret, decernere voluit, ut privilegio fori non gaudeat clericus, quoties a ſuſcepto inſtituto vitæ jam receſſit. Hoc autem ſecus ſe habet in eo, qui beneficium jam obtinuit, nam cum illud poſſidere non poſſit mere laicus, videtur ſatis oſtendere ſe clericum eſſe velle, qui beneficio fruitur. At quomodo hic diſtinguetur a laico, niſi veſtibus utatur ordini ſuo, & dignitati convenientibus ſecundum morem jam in eccleſia introductum? Et propterea dum Synodus dixit, *beneficium eccleſiaſticum habeat*, ſuperfluum erat admonere de habitu clericali, cum in ea obligatione abunde includebatur is, qui in poſſeſſione eſt beneficii; nam abſurdum erat, vel tantummodo excogitare, aliquem percipere fructus, & proventus eccleſiaſticos, & aliunde tanquam laicum ſe gerere. Imo in hoc caſu fur magis eſt, quam legitimus poſſeſſor bonorum eccleſiæ. At cum quis, vel tonſura tantum inſignitus, vel in minoribus ordinibus conſtitutus, vult oſtendere ſe revera eccleſiaſticum ſtatum amplexum eſſe, non eſt ſatis habitum clericalem præſeferre, ſed ulterius requiritur ſervitium eccleſiæ ex mandato Epiſcopi.

IV. Hanc fuiſſe Tridentinæ Synodi mentem perſpicue intelligunt, qui in ejus verba diligenter inquirunt. Et ſane primis eccleſiæ temporibus omnes Chriſtiani decenter, modeſteque veſtiebantur, adeout externo cultu vix laici diſtinguerentur a clericis. Unde Cæleſtinus I. Pontifex circa annum 419. *epiſt.* 2. ſcribens Epiſcopis Provinciæ Viennenſis, & Narbonenſis, reprehendit quoſdam ſacerdotes, nimium diſtinctæ veſtiendi formæ ſtudentes, & præ cæteris ait: *Diſcernendi a plebe, vel cæteris ſumus, doctrina, non veſte, converſatione non habitu, mentis puritate, non cultu.* Verum procedente tempore, cum veſtes continuo in novas, diverſaſque formas commutarentur, præſertim poſt barbarorum in imperium Romanum incurſiones, eccleſiaſticis convenientius viſum fuit, antiquam conſuetudinem veſtiendi retinere; ex quo paulatim invaluit diſtincta inter clericos, laicoſque

que veſtiendi forma. Hinc innumera extiterunt & Pontificum, & Conciliorum decreta circa decentes clericorum veſtes, & præſertim Innocentii III. in Concilio Lateranenſi; vid. *cap. 15. de vita, & honeſtate clericorum*. Et quis unquam ſanæ mentis exiſtimabit, ab hac canonum obligatione exemtos fuiſſe clericos beneficiatos? Sed quid argumentis opus eſt? Clemens V. in clement. 2. *cit. tit.* punire volens clericos minus decentibus veſtibus utentes, ſic ſtatuit: *Præſenti conſtitutione ſancimus, quod quicumque clericus virgata, vel partita veſte publice utatur, ſi beneficiatus extiterit, per ſex menſes a perceptione fructuum beneficiorum ſit eo ipſo ſuſpenſus*. Igitur cum Synodus Tridentina in *cit. capit.* 6. voluiſſet clericos, ſecundum proprii inſtituti rationem non viventes, punire pœna privationis fori eccleſiaſtici, noluit diſtinctionem facere inter beneficiatos, & non beneficiatos circa veſtium decentium obligationem; ſed tantum circa id, quod beneficiatus opus non habeat ſpeciali ſervitio eccleſiæ ex mandato Epiſcopi, ſiquidem ipſum officium beneficio annexum jam ſatis demonſtrat ſervitium eccleſiaſticum, ſaltem ſecundum antiquam diſciplinam, quam tantopere cupiebat Synodus renovari; ex ea enim beneficium, & officium eccleſiaſticum idem erat, nec illud ab hoc diſtinctum cenſebantur. Et quamvis ſequiori ætate diſcrimine introducto inter ſimplex, & non ſimplex beneficium, in ſimplici officium acceptum ſit pro recitatione horarum canonicarum; tamen ex mente eccleſiæ, tali officio dum ſatisfacit clericus, videtur jam ſuo muneri ſatisfacere; & propterea, ut modo dixi, nullo opus eſt ſpeciali ſervitio eccleſiæ ex deſtinatione Epiſcopi, prout requiritur neceſſario in eo, qui tonſuram tantum, vel minores ordines ſuſcepit; nam hic ſi tantum veſtibus clericalibus utatur, cum nullum ſervitium præſtet eccleſiæ, privilegio non poteſt recte uti, niſi eccleſiæ inſerviat. His adde, quod ex vulgari opinione, deterioris conditionis eſſet ſimplex clericus inſerviens eccleſiæ, ſed non utens ſuis veſtibus, quam beneficiatus in eadem veſtiendi forma; nam ille, licet utile ſervitium præſtet eccleſiæ, nihilominus privandus erit ſuo

privilegio, quia minus decentibus veſtibus incedit; hic vero ſecus, etſi majori reatu teneatur, cum non ſolum veſtibus utatur laicalibus, ſed (quod utique gravius eſt) indigne percipiat fructus beneficii, qui ad ſolos eccleſiaſticos pertinet, cum ipſe ſe gerat tanquam laicum. Quod ſane ab omni æquitate eſt alienum, & per conſequens a mente Concilii. Nec refert quod prima fronte videatur abſurdum, pro laico habendum eſſe beneficii poſſeſſorem: etenim ratione ſtatus eccleſiaſtici, plus juris transfert in clericum collatio ordinis, qui & Sacramentum eſt, & imprimit caracterem, quam collatio beneficii; unde ſi ordo non eſt impedimento, quominus clericus laicali veſte utens, poſſit ſuo privilegio privari, nec etiam erit beneficium.

V. Scio hic in diſceptationem venire, utrum clericus in ſpecie quam tractamus, privetur ipſo jure privilegio fori, an per ſententiam judicis eccleſiaſtici. Hæc controverſia ſuos habet in utramque partem aſſertores. Qui ſeveritatem tuentur in diſciplina eccleſiaſtica, & ſententiam legum magis inquirunt, quam argumentorum, & illationum congeriem, ipſo jure aſſerunt privilegium fori amitti, poſtquam clericus canonum ſtatutis inobediens factus, abſceſſit a ſtatu clericali, & laicorum cœtui ſe immiſcuit. Unde hac in re ſic ſcribit Van Eſpen *part. 3. jur. Eccl. tit. 3. cap. 3.* in fine: *cum Synodus Tridentino jam dictas conditiones in clerico requirat, ut privilegio fori gaudere queat, recte poſt Riccium notat Zypæus tit. de foro competenti num. 43. clericos non ſervantes conditiones hic expreſſas excludi a privilegio fori, nulla etiam prævia monitione*. At idem de Marinis, quaſi deſertorum clericorum patronum agens, contrariam defendere conatur. Et quamvis Xiſtus V. ſua conſtitutione, cujus initium eſt *cum ſacroſancta*, omne dubium ſuſtuliſſet, cavit enim, ut beneficio, & per conſequens omni privilegio privetur ipſo jure clericus, non utens veſtibus, & tonſura clericali; tamen idem author, Camillum de Curte ſequutus, eam conſtitutionem a Clemente VIII. revocatam impudenter aſſerit; nam quæ ſit, & ubi reperiatur hujus Pontificis nova conſtitutio non indicat, unde merito a Ca-

ro-

Digitized by Google

rolo de Roſa reprehenditur, qui in praxi civili *cap. 2. diſt. 3.* in hac quæſtione non male verſatur. Sed mihi videtur rectius diſtinctionem adhibendam inter clericos, qui in majoribus, & eos, qui in minoribus ordinibus conſtituti, vel tonſura tantum ſunt inſigniti; nam illi cum reperiantur in eo ſtatu, quem pro arbitrio deſerere non poſſunt abſque crimine apoſtaſiæ, non privantur privilegio fori, niſi poſt ſententiam judicis eccleſiaſtici, ex qua in pœnam dejiciantur ab ordine clericali; & de his clericis canones accipiendi ſunt, ubi mentio fit monitionis, vel ſententiæ epiſcopalis: at hi, cum pro libito voluntatis poſſunt perſeverare in ſtatu eccleſiaſtico, vel ab eo recedere abſque crimine, nec cogi poterunt per judicem eccleſiaſticum, ideo fruſtra requiritur ejuſdem judicis ſententia, vel declaratio, cum facto ipſo exuentes ſe veſtibus clericalibus, nec miniſterio, cui ſe addixerunt, vacantes, declarant voluntatem ſuam, ſe amplius clericos eſſe nolle. Et hoc ſane evincunt ſupra jam citata Tridentinæ Synodi verba. Huc pertinet generale decretum Alexandri III. relatum in *capit. 1. de apoſtatis*, clericum ſine habitu, & tonſura incedentem, non debere per eccleſiaſticam poteſtatem liberari, ſi in crimine comprehenſus fuerit a judice ſæculari. Quæ definitio, licet generalis ſit, & ad omnes clericos, etiam in ſacris conſtitutos aptari poſſit; tamen verius eſt ſi dicamus, hos clericos non poſſe, nec ſuo facto, nec crimine ſe ſubtrahere a poteſtate eccleſiaſtica, cui neceſſario addicti ſunt, niſi ab eadem, ut indigni, per ſententiam fuerint ejecti. Quod ſecus ſe habet in clericis minorum ordinum, qui ut modo diximus, cum in ſtatu eccleſiaſtico eo uſque permaneant, donec eis placuerit, nullum majus argumentum mutatæ voluntatis oſtendere poſſunt, quam abjectionem veſtium clericalium, curam negotiorum ſæcularium, & quod magis eſt, dum crimen tanquam laici committunt.

VI. Quæ hactenus diſputavimus inutilia fortaſſe non erunt ad enodandas controverſias, quæ oriri ſolent circa privilegium fori eccleſiaſtici. Si eaſdem regulas, eademque principia adhibuiſſent doctores noſtri, niſi mea me fallit opinio,

Digitized by Google

præcipuæ cauſæ legitimi judicii referuntur in *cap. ult. de foro competenti*. Nec poteſt alio modo tranquillitati univerſorum conſuli; ad hoc enim authoritas Magiſtratibus conceſſa eſt, ut unuſquiſque eorum juſſis parendo, ſuum cuique tribuatur, & abſtineatur ab injuria. Quapropter imperio Magiſtratuum, qui parere recuſat, rationem ipſam offendit communis ſocietatis. Et quamvis evenire poſſit, ut aliquis vel ex privilegio perſonali, vel ex negotio, de quo agitur, proprium, & peculiarem judicem habeat; non ideo tamen ſpernere debet univerſalem judicem cæterorum civium, qui dum ei aliquid imperat, nihil facit injuſte, utitur enim jure ſuo ad bonum publicum. Et propterea ſi vocetur ab eo in judicium, venire tenetur, & oſtendere cur in propria perſona ceſſare debeat generalis, & ordinaria juriſdictio; nam ſecus omnia ſubverterentur; imo Magiſtratus, & judicia redderentur eluſoria, dum unuſquiſque, modo hujus, modo illius cauſæ obtentu recuſaret, imo ſperneret quemcumque illorum juſſum, quoties non liceret eiſdem inſpicere, & cognoſcere verane, an ſecus eſſet cauſa recuſationis.

IX. Hæc omnia cum perſpicuis rationibus nitantur, vix ullum invenient dubitandi locum apud homines ſanæ mentis, rectique judicii; & eo magis, quod legibus paſſim confirmantur. Romæ olim Prætores, & in provinciis Imperii Proconſules, vel Præſides jus dicebant generaliter inter omnes: nonnulli tamen peculiaribus ex cauſis alienæ juriſdictioni erant ſubjecti. Verum ſi ab illis vocabantur, parere debebant, & in judicium venire, ad hoc ut decerneretur, utrum cognitio alterius judicis eſſet. Quod ſic expreſſit Paulus in *l. 2. D. ſi quis in jus vocatus*: *Ex quacumque cauſa ad Prætorem, vel alios, qui juriſdictioni præſunt, in jus vocatus venire debet, ut hoc ipſum ſciatur, utrum juriſdictio ejus ſit*. Reprehendit Cujacius in commentario ad eam legem, ineptam Accurſii dubitationem, quaſi Prætor jus ſibi dicat; non enim, qui exiſtimat, vel arbitratur, vel ſtatuit, an ſua juriſdictio ſit, ſibi jus dicit, aut rei ſuæ familiari, ſed tuetur authoritatem, majeſtatemque publicam.

Su-

Digitized by Google

Superiorem regulam confirmat Ulpianus in *l. 5. ff. de judiciis* exemplo Legatorum, quos communi omnium gentium jure privilegia tuentur, & præſertim revocandi domum, hoc eſt actorem ad proprium domicilium trahendi: & nihilominus a Prætore vocati venire debent, inquit juriſconſultus, privilegia ſua allegaturi. Sed ut propius accedamus ad controverſiam noſtram: quod clerici ſint exemti a publica juriſdictione laicorum, in diſceptationem non venit; facti tantum quæſtio eſt, dum aliquis vocatur in judicium, & aſſerit ſe eſſe clericum. Evenire poteſt, ut verum dicat, & ut dicat falſum: in tali dubio, quis unquam ratione utens audebit dicere, ceſſare publicam, & ordinariam juriſdictionem? Etenim ſi hoc, vel aliquantulum admittimus, diſſolvetur univerſa ratio civilis diſciplinæ, qua conſtat humana ſocietas, & refractariis, & facinoroſis hominibus præbebitur occaſio ſe ſubtrahendi ab authoritate publica, vel ſaltem judicii prolatandi obtentu clericatus, vel alterius privilegii. Dicet fortaſſe aliquis: vana eſt hæc dubitatio, quoties notorie apparet falſa allegatio privilegii. Igitur, reſpondetur, ad publicam juriſdictionem pertinet cognoſcere factum, quod proponitur, ſit notorie falſum, an ſecus; & propterea quantomagis, quoties eſt dubium. Avertamus nos pauliſper mente, & cogitatione a legum ſive civilium, ſive canonicarum ſanctionibus, & duce naturali ratione tantum fingamus, crimen atrociſſimum in aliqua civitate commiſſum eſſe; & judicem criminibus puniendis conſtitutum vocare eum in judicium, de quo gravis ineſt ſuſpicio ſuper admiſſo crimine; ſi hic dicat proprium, & peculiarem judicem ſe habere, & talis aſſertio manifeſte ſit falſa, omnes concedunt, judicem criminis adverſus eum procedere poſſe: at ſi fuerit dubia, ipſa naturalis ratio dictat, hominem coram judice vocatum debere ab eo omnem dubitationem amovere, & oſtendere veritatem ſuæ aſſertionis legitimo modo, & convenienti ad perſuadendum. Si hæc veriſſima ſunt, dum naturalis tantum ratio conſulitur, cur quæſo tenebris involvuntur propter vanas interpretum expoſitiones, & ſophiſmata? Non agitur hic de minuenda clericorum

rum

Digitized by Google

rum immunitate, quam tantopere leges noſtræ tuentur, & magis magiſque confirmant: non de infringenda libertate eccleſiaſtica, ut quidam meticuloſi pragmatici ajunt; ſed de fraudibus removendis, & ne facinoroſis hominibus occaſio detur judicia ludificandi, clericatus prætextu; quod ſane pia mens eccleſiæ abhorret. Si leges noſtræ juberent, perſonam notorie rebus ſacris addictam, & præcipue in officio, & dignitate conſtitutam, & de cujus ſtatu nulla ineſt legitima dubitatio, debere ſuper admiſſo crimine comparere coram judice ſæculari; hoc utique eſſet inconveniens, unde confunderentur jam ſtatuta inter ſacerdotium, & imperium confinia. Sed illæ tantum loquuntur, quoties dubium adeſt, quoties non conſtat de qualitate perſonæ; quod in civitatibus præſertim frequentioribus facillime evenire ſolet, ubi & judices & populus aliquando ignorat multorum ſtatum, ac conditionem; quam tenetur unuſquiſque, dum ſua intereſt, oſtendere judici, ſi fortaſſis ab eo vocatus fuerit in judicium. Adhæc cum multæ ſint cauſæ in legibus ipſis canonicis, ex quibus privilegium fori amittitur, & multæ adeſſe poſſint, unde amittitur per ſententiam judicis eccleſiaſtici; eveniet, ut clericus privatus tali privilegio, adhuc eo frueretur contra mentem eccleſiæ, ſi admitteremus, ſimplicem ejus aſſertionem ſufficere pro declinando foro. At ubi ritus noſter vim ſuam habet, publica tranquillitas conſervatur; immunitates, & privilegia merentibus tantum attribuuntur, non indignis, & a foro eccleſiæ ejectis.

X. Non deerunt fortaſſis qui ad ſuperiora evertenda dicent: in dubio, quoties agitur de cognitione ſtatus alicujus, ſitne clericus, an laicus, gaudeat, necne privilegio fori, cur in pari cauſa talis cognitio non erit judicis eccleſiaſtici? Licet hæc facillime diluantur ex iis, quæ jam propoſuimus; nihilominus ad omnem hæſitationem removendam, animadvertere debemus, unumquemque in civitate permanentem non dubitari eſſe civem, ſive ſubjectum legibus, & juriſdictioni ejus loci; nam omnes ſic naſcuntur, ſic vivunt, & eam conditionem præſeferunt. At quod aliquis ſit clericus, ſit doctor &c. eſt *accidentaliter*, ut loqua-

mur ſcholaſticorum more, & propterea in cive hæc qualitas, ſive conditio quædam perſonæ adjuncta, eſt quid extrinſecum, quod non præſumitur niſi probetur. Et quemadmodum ſi conſuetudo, vel ſtatutum alicujus loci tribueret proprium judicem legum doctori, ſi hic pro admiſſo crimine citaretur a judice quæſtionibus præpoſito, procul dubio teneretur in judicium venire, & oſtendere ſuum privilegium; nam quod ſit civis, certum eſt, quod ſit doctor, incertum: eodem modo, ſi clericus delinquit, & ejus conditio ignota eſt judici, tenetur ipſe eam manifeſtis probationibus oſtendere; nam natus eſt civis, non clericus: ordinem recepiſſe, ac proinde foro eccleſiaſtico ſubjectum eſſe, eſt quid facti, eſt qualitas tali civi ſuperaddita, quæ dum ignoratur, judex univerſalis omnium civium non debet juriſdictionem ſuam amittere. At ubi probationibus factis qualitas adjuncta perſonæ patefacta eſt, ceſſat juriſdictio laicalis, unde ritus decernit, ſtatim clericum ad ſuum judicem remittendum eſſe, prætermiſſis actuum judicialium ſolemnitatibus, idque ſignificare videntur illa verba: *ipſo veniente, datur terminus ad probandum de clericatu. . . . . & raro dictus proceſſus finitur*. Hoc eſt, quoties non conſtat de clericatu, legitimæ probationes faciendæ ſunt; verum ſtatim ac id notum fiet judici, remittetur clericus ad ſuum forum; quod evenire ſolet, quamvis cæteri actus judiciales deficiant, qui ad ſolemnitatem magis, quam ad inſtructionem judicis pertinent. Hæc autem intelligenda ſunt, dum probari debet, clericum vixiſſe ſecundum formam ſtatutam a ſacris canonibus, prout ſupra explicavimus, nam in hac ſpecie teſtes intra certos dies examinandi ſunt, & hoc vulgo dicitur *terminus* in foro. Quod tamen hodie non videtur omnino neceſſarium, dummodo adimpleantur quæ ſtatuta ſunt in noviſſimo Concordato *cap*. 4. *num*. 8. ſcilicet ut ordinarii locorum Epiſcopi teneantur conficere, & publice exhibere in eccleſiis cathedralibus tabellam cum nominibus ſingulorum clericorum, qui vivunt ſecundum canones, & decreta Tridentinæ Synodi; & propterea annotatio prædicta erit loco probationis, quoties fiet ſine fraude

&

& dolo malo. At dum agitur de probanda ordinum ſuſceptione, uſus jam obtinuit, ut id fieri debeat per publicas ſcripturas, quas noſtri dicunt Bullas clericatus. Quod ſane ſpecialiter in ritu non exprimitur, nam generaliter ait, *cum documentis clericatus*. Verum receptum id fuiſſe exiſtimo ad fraudes evitandas; etenim ſi ea in re privatis ſcripturis, vel teſtibus crederetur, facile homines, præſertim potentes, factioſi, & divites, invenirent, unde ſe ſubtraherent a pœnis delictorum, allegando clericatum. Facultas autem conceditur judici laico inſpiciendi, utrum Bullæ veræ ſint, an falſæ; quod utique ad factum pertinet, aliter omne ejus officium in præſenti diſceptatione irritum redderetur. Et neſcio cur aliquando id in dubium apud nos revocatum fuerit, ut videre eſt apud Tapiam in *comment. ad dictum ritum*; ſiquidem ipſæmet canonicæ ſanctiones nos docent, debere judicem ordinarium loci antea inſpicere, utrum mandata, ſive delegationes Apoſtolicæ Sedis veræ ſint, an falſæ, & poſtea iis executionem concedere, *cap. cum in jure* 31. *de offic. & poteſt. judic. deleg.* ubi ſic ſtatuit conſultiſſimus Pontifex Innocentius III. cum ſatis conſideraſſet, judicem ordinarium nihil committere in ea ſpecie contra authoritatem Sedis Apoſtolicæ, ſed tantum factum ipſum inſpicere, nempe mandatum fuerit verum, an falſum. Illud autem eſt extra cognitionem judicis laici, utrum ordo valide, necne fuerit collatus; nam probata ordinis ſuſceptione, quod eſt facti, ut modo diximus, cætera, quæ pertinent ad rationem ordinis conferendi, ſunt ſpiritualis poteſtatis, ac proinde aliena a laicorum juriſdictione; idque animadverſum fuit in *deciſ.* 189. *de Franchis*.

XI. Quamvis ritus generaliter loquatur de quocunque clerico, ut teneatur in Curia perſonaliter comparere; tamen id intelligendum puto ſecundum regulas juris communis, in cauſis criminalibus tantum, in quibus non admittitur procurator, niſi ad allegandam legitimam abſentiam, *l. penult.* §. 1. *D. de publicis judiciis* cap. *veniens* 15. *de accuſat.* ne ſcilicet judicium reddatur eluſorium, cum ſententia exequutioni demandari non poſſit. At in cauſis ci-

Digitized by Google

vilibus nulla ratio eſt, cur non poſſit per procuratorem reus defendi, etiam proponendo, & probando exceptionem declinatoriam fori. Quod utique in exceptione clericatus obtinere debet. Hinc neſcio ex errore librariorum, an compoſitorum in ritu 65. (qui in cæteris conſonat cum præſenti) legatur *pro criminali cauſa*, *vel civili*; ſiquidem & ratio obſtat, & propoſita ibi exempla de *Bannito*, & *Forjudicato*; quæ utique non poſſunt habere locum in cauſis civilibus.

XII. Dum ritus in calce ſic concludit: *quamvis jura canonica prædictis videantur aliquatenus refragari*, intelligit conſtitutionem Bonifacii VIII. quæ extat in *cap. ſi judex* 12. *de ſententiâ excommun. in* 6. Et ſane non eſt novum, ut quædam ſive civiles, ſive eccleſiaſticæ leges ex conſuetudine alicujus loci abrogatæ ſint, præſertim ubi rerum circumſtantiæ, & evidens neceſſitas expoſtulant. Nam etſi concedamus, juſtiſſimam fuiſſe eam decretalem Pontificis, & ex pia mente proceſſiſſe, dum exiſtimavit, hominum malitiam non eo uſque procedere poſſe, ut facinoroſi clericatus prætextu vellent pœnas delictorum evitare; tamen experientia in hoc Regno contrarium docuit, unde opus fuit ab ea ſanctione recedere. Quod & noſtri narrant, facto comprobari; nam Calliſtus III. tacite approbavit ritum, dum ad Pontificatum evectus nunquam ſeſe oppoſuit ejus executioni, quoniam Præſes Sacri Conſilii creatus ab Alphonſo I. Aragonenſi cognoverat, alio modo non poſſe in hoc Regno publicam tranquillitatem ſtatui. Id ipſum affirmant de Paulo IV. non tantum Archiepiſcopus hujus civitatis cum eſſet, ſed etiam Pontifex.

CAPUT VIII.

Immunitas perſonalis clericorum quibus in rebus præcipue conſiſtat, explicatur.

QUOTIES igitur liquido conſtat, aliquem eſſe clericum, & vivere ſecundum præcepta canonum, tunc ille fruetur

tur omnibus privilegiis, & exemtionibus ſibi a jure conceſſis, & præſertim ut non poſſit avocari a foro eccleſiaſtico, ſive in perſonam conveniatur, ſive in rem. Excepto tantum feudo, de quo ſic ait Carolus II. Andegavenſis in *cap. item ſtatuimus* 94. *Item ſtatuimus quod clerici ad ſæcularia judicia non trahantur, niſi pro bonis feudalibus, ſecundum conventionem habitam inter ſanctam Romanam eccleſiam, & Dominum patrem noſtrum*. Hæc poſtrema verba intelligenda ſunt de pactis initis inter Clementem IV. & Carolum I. dum hic ad Regni dominium fuit vocatus. Quapropter jamdiu apud nos abolita fuit conſtitutio *ſi quis clericus*, qua cavebatur, ut pro rebus non eccleſiaſticis, ſed hæreditariis, vel quomodocumque quæſitis, poſſet clericus conveniri tantum actione reali coram judice, ubi res ſitæ eſſent. Abolita quoque fuit conſtitutio *de burgenſaticis* eodem ferme reſpiciens.

II. Nec adverſantur eccleſiaſticorum privilegiis conſtitutiones Regis Roberti, quæ vulgo a noſtris *Conſervatoria* appellantur, verbo magis, quam ſenſu inconcinno; ſcilicet quædam regalia Diplomata, ex quibus Magiſtratibus Provinciarum ille mandavit, ut occurreretur injuriis, rapinis, & damnis illatis per vim a perſonis eccleſiaſticis; nam noluit prudentiſſimus Rex, & Sedi Apoſtolicæ cumprimis addictus, diminuere, aut turbare eccleſiaſticam juriſdictionem; ſed tantum avertere motus, & repentinos tumultus, quos interdum excitare ſolet quorundam petulantia, & quidlibet audendi libido, ſpretis ſacratiſſimarum legum vinculis, & magiſtratuum authoritate; idque eo magis quod eccleſiaſtici judices, ubi talia committuntur a clericis, non ſoleant tanta armata vi pollere, ut compeſcere poſſint cujuſcumque generis violentas invaſiones. Et propterea in iis conſtitutionibus magis apparet naturalis quædam defenſio, quam ſuſcipere tenetur Princeps pro infirmioribus, ac pacificis ſubditis, adverſus potentiores, & facinoroſos, quam imminutio eccleſiaſticæ poteſtatis. Hujus rei argumentum præbet conſtitutio, ſive capitulum 266. quod incipit *finis præcepti charitas*, in quo committit Juſtitiario Valliſgratis, ut extraordinem cognoſcat, & opportunis remediis occurrat vi illa-

tæ

Digitized by Google

tæ cuidam canonico Conſentino a quibuſdam clericis Roſſani, eorumque conſanguineis, & aſſeclis. Unde apparet, mentem Regis fuiſſe tantum validioribus remediis opem ferre in repentina vi, atque invaſione cuicumque ſive clerico, ſive laico, ad hoc ut tranquillitas ſervaretur, & civium unuſquiſque de jure ſuo experiretur, non ex arbitrio, & poteſtate, ſed ex legum, publicorumque judiciorum forma. His adde, quod in ſuperioribus caſibus noluit Rex ſuos judices procedere ex propria juriſdictione, quam ſciebat, illos nullam habere, in clericos, ſed impetrato prius regali reſcripto, unde cognitio eſſet tantum extraordinaria, ſcilicet nullo judiciorum ordine ſervato, niſi eo quem neceſſario requirit ipſa inquiſitio facti. Et propterea juſſit, ut clerici ſpecialiter non vocarentur in judicium, ſed tantum ut proponeretur generale edictum illa formula, *quicunque ſua intereſſe putaverit*. Et hoc ſane evidenter oſtendunt illa verba ſupradictæ conſtitutionis: *Non exigentes in iſtis cognitionalia ordinare certamina, quæ in eccleſiarum perſonas, atque negotia non poſſetis communi cenſura rationabiliter exercere. Sed facta vobis de moleſtatione præfata informatione ſummaria, per facti notorium, vel rei evidentiam, famamve publicam, aut inquiſitionem aliam, atteſtantem commiſſam moleſtationis injuriam, præmiſſa efficaciter compleat veſtræ diligentiæ promtitudo. In cujus probatione ſufficiet vobis edictum generale proponere, quod quicunque ſua intereſſe putaverit, viſurus accedat producendorum in cauſa prædicta teſtium juramenta, & oppoſiturus, quæ circa hujuſmodi rei ſubſtantiam pro ſe voluerit allegare &c.* Idem ferme ſtatuitur in capit. *omnis prædatio*, & in capit. *ad regale faſtigium*, & in capit. *charitatis affectus*, quæ omnia eodem pertinent, & a doctoribus inter *Conſervatoria* Regis Roberti numerantur; ſic dicta, quoniam per ea unuſquiſque in poſſeſſione rei ſuæ conſervatur, donec legitimo judicio aliter fuerit decretum. Uſu quoque, & conſuetudine immemorabili eadem confirmata ſunt, prout ſeſe occaſio obtulit, ut videre eſt apud Chioccarellium *m.ss. juriſd. tom.* 13. Ne autem ſuperiora Capitula, ubi opus non eſt, obtineant,

& ne

& ne eorum prætextu legitimi poſſeſſores aliquid detrimenti accipiant, prudenter cautum eſt in *pragmat. unic. de conſervat.* ut illorum exequutio non antea committatur, quam citetur pars adverſa ad dicendum, utrum iis locus eſſe debeat, an ſecus. Hinc hujuſcemodi diſceptationes, tanquam cauſæ majores, jamdiu uſus obtinuit apud nos, ut non cuicumque judici a Rege committantur, ſed Sacro Conſilio, ubi Senatorii ordinis viri diligenter inquirere ſolent, ne temere extraordinarium tale remedium concedatur, & ne eccleſiaſticis, eorumque juriſdictioni injuria afferatur; quod ſemper & a legibus, & a voluntate Principum noſtrorum fuit alienum.

III. Non tantum in proprio foro aſſerendo clericale privilegium conſiſtit, ſed ulterius progreditur, prout videre eſt in *tit. Cod. tum Theodoſii, tum Juſtiniani de Epiſcop. & cler.* Et in ſumma ut breviter omnia complectamur, ſubire non tenentur clerici onera publica, quibus cæteri cives, pro ſuo ſtatu unuſquiſque, ſubjiciuntur. Quæ autem ſint perſonalia onera docemur ex *l. 1. & ult. D. de munerib. & honor.* interque ea numeratur neceſſitas judicandi, ut eſt in *d. l. ult.* ſcilicet ut quis officio judicis fungatur, quod utique ad publicam utilitatem pertinet; & ut quis ſit Defenſor civitatis, ſive σύνδικος græce ait eadem *lex ultima*. Ab omnibus his oneribus voluit Imperator Conſtantinus, ut clerici eſſent exemti, & nominatim ab officio Decurionum, & Suſceptorum, *l. 1. C. T. cit. tit.* Suſceptores interpretatur Cujacius in *tit. Cod. de ſuſceptoribus lib.* 10. qui annonis, & tributis recipiendis præpoſiti ſunt, ex verbis Papiniani in *l. 5. in fin. D. de cenſibus*. Numeratur quoque in *dict. l. ult.* inter perſonalia munera tutela, vel cura, & ab his quoque vacationem tribuit Juſtinianus tum clericis, tum monachis in *l. generaliter C. de Epiſc. & cler.* in cujus fine notatu digna ſunt illa verba Imperatoris: *Eos tamen clericos, & monachos hujuſmodi beneficium habere ſancimus, qui apud ſacroſanctas eccleſias, vel monaſteria permanent, non divagantes, neque circa divina miniſteria deſides, cum propter hoc ipſum beneficium eis indulgeamus, ut aliis omnibus derelictis, Dei* omni-

omnipotentis miniſterio inhæreant. Verum hæc ratio Imperatoris amplius non obtinet, nam diuturna conſuetudine effectum eſt, ut privilegio immunitatis tam realis, quam perſonalis, eodem modo fruantur qui egregiam rebus divinis operam navant clerici, ac qui deſides omnino vivunt in eccleſia; idque ex eo quia ſuperiora privilegia cenſentur ordini potius, ac ſtatui clericali conceſſa, quam perſonis; unde dum quis cœtu eccleſiaſticorum comprehenditur, iis recte utetur; imo nec volens valide renunciabit, ut placuit Innocentio III. in *capit.* 12. *de foro compet.*

IV. Hanc regulam juris Pontificis confirmant leges noſtræ, dum ne volentes quidem clericos admittunt ad publica officia exercenda inter laicos, vid. conſtitutionem *clerici ſub tit. ut clerici, vel judices non ſint bajuli*, ubi ſtatuit Imperator Fridericus, ut clerici ad adminiſtrationes bajulorum, vel ipſorum officia nullatenus admittantur. Verum non ſatis conſtat quid ſit bajuli adminiſtratio. Quamvis aliquando bajulus pro Regis tutore, & adminiſtratore Regni accipiatur, ut videre eſt apud Cancium in *gloſſario*, & in legibus noſtris proprie appellatur balius, qui dari ſolet minoris ætatis Baroni, ut pluribus dicemus ſuo loco; tamen non ſemel in conſtitutionibus Regni accipitur pro eo, qui præeſt juriſdictioni, & balivus, vocabulo magis uſitato appellatur. Et hoc ſenſu accipitur in *capit.* 4. *de immunit. eccleſ.* & apud Connanum *lib.* 4. *comm. cap.* 15. Præſides Provinciarum nominantur Ballivi. Verum in *conſtit. ſi quando tit. de hominibus baronum*, Bajuli dominorum appellantur, qui res eorum adminiſtrandas ſuſceperunt. Hoc quidem ſenſu exiſtimo in d. conſtit. *clerici* adminiſtrationem bajulorum intelligi, ſcilicet ut clerici ad res Baronum, vel cujuſcumque generis publicas adminiſtrandas non eligantur. Unde videtur omnino a vero aberrare Scipio Rovitus, qui in comment. *pragm. tit. de officio bajuli*, ſcribit, in ea conſtitutione bajulum ſignificare eum, qui habet juſtitiæ adminiſtrationem cum juriſdictione, & mixto, & quandoque mero imperio; nam ſi hæc interpretatio vera eſt, neſcio quid ſibi velit conſtitutio, dum prohibet, ne ju-

judices ad bajulationem promoveantur. Qua in re gloſſa dictæ conſtitutionis, dum quærit cur judices eodem modo, ac clerici prohibeantur exercere bajulationis officium, ſuavis eſt in illa ratione reddenda: quia judices ſacerdotes juſtitiæ appellantur. Nugæ; etenim ſenſus conſtitutionis perſpicuus eſt, ſcilicet, quemadmodum clerici removentur ab eo officio ob curam rerum ſacrarum, eodem modo removentur judices ob curam juris dicendi.

V. Poſt conſtitutionem Friderici lata fuit eodem pertinens Caroli II. Andegavenſis lex, quæ extat inter capitula Regni *num. 159. tit. de non ſtatuend. cleric. vel exter. official.* ne ſcilicet clericis laica juriſdictio demandaretur, vel quodlibet aliud ejuſdem generis officium exercendum. Et ratio legis non tam privilegium clericale reſpicit, quam publicam utilitatem; ſiquidem cum ſint clerici exemti à Regia juriſdictione, non poſſunt vel puniri, vel alio modo condemnari, ſi fortaſſis male judicaverint. Et ſane experientia rerum magiſtra, quod hic conſtituit prudentiſſimus Rex cum paulatim in deſuetudinem abiret, verum omnino eſſe oſtendit; ſiquidem legimus exempla relata a de Franchis *deciſ.* 479. quam male res ceſſerit, dum juriſdictio laica, vel publicarum rerum adminiſtratio clericis demandabatur. Quo factum deinde, ut Cardinalis de Granvela, dum Regis vices in hoc Regno obibat, pragmaticam ſanctionem ediderit, quæ extat in *titulo de eccleſiaſticis perſonis*, qua ad uſum revocavit quodammodo Caroli II. capitulum; conſtituit enim, ut nullibi in Regno, neque a Baronibus in territoriis ſuis, neque in locis demanialibus, ſive immediate ad Regiam authoritatem pertinentibus, clerici (quo nomine voluit eos etiam comprehendi, qui ſunt milites alicui pio ordini addicti, ut equites Hieroſolymitani) ad jus dicendum eligerentur, neque ad publicas res adminiſtrandas; ne ſcilicet occaſione exemtionis, ad fraudes, atque injurias adigerentur. Sed neſcio quid in mentem venit Novario, dum in expoſitione ejus pragmaticæ ſcripſit, eam uſu non ſervari, quod non ſemel perſonæ eccleſiaſticæ, ut Cardinales, Proregis munere in hoc Regno functæ

L ſint;

ſint; id enim ſpeciali Regum conſilio factum fuit, ſive utilitate, ſive neceſſitate ſuadente; quod utique ad inferiores judices non pertinet.

VI. Huic autem juri apud nos juſta ratione introducto, non obſtat quod legimus in *Cod. Juſtin. & Theod.* olim laicos quibuſcumque de cauſis coram Epiſcopo litigare potuiſſe; ſiquidem Imperatorum conſtitutiones ad voluntariam, non neceſſariam juriſdictionem pertinent, ſcilicet, ut tanquam arbiter eligi poſſet Epiſcopus juris dicendi gratia. Hoc ſatis oſtendunt verba *l.* 8. *Cod. de Epiſc. audient.* Jamdiu enim a doctiſſimo Gothofredo ſolidis argumentis exploſa eſt, utpote ſuppoſititia, Conſtantini Magni conſtitutio in *C. T. de Epiſcop. judic.* ubi, etiam altero refragante, permittitur Epiſcopis de cauſis laicorum cognoſcere. Et licet idipſum in Capitularibus Regum Francorum reperiatur ſtatutum, & relatum a Gratiano in *can.* 35. 11. *quæſt.* 1. & demum pro jure certo ab Innocentio III. propoſitum in *cap.* 13. *de judiciis*, nihilominus uſu confirmatum non eſt. Quod uſque adeo eſt verum, ut quamvis in Regno perſonæ eccleſiaſticæ feuda poſſideant, teneantur tamen ad exercitium juriſdictionis laicos Gubernatores conſtituere, vid. Rovitum in *cit. pragm. unic.*

VII. Quod diximus de facultate juris dicendi, idipſum de tutela, & cura obtinere debet, ſcilicet, ut non tantum ab iis oneribus excuſentur clerici, ſed nec volentes ad ea exercenda inter laicos admittantur, ne diſſidiorum materia ſuboriatur inter ſæcularem, & eccleſiaſticam juriſdictionem, nempe utrum clericus a laico judice laici pupilli tutelam ſuſcipiens, debeat apud eundem adminiſtrationis rationes reddere. Qua de re olim in Sacro Conſilio non levis altercatio fuit, videſis Rovit. *deciſ.* 20.

VIII. Ab officio quoque tabellionis, ſive notarii, ut nunc dicimus, removentur apud nos eccleſiaſtici ex conſtit. *inſtrumentorum robur in fin.* Poſſunt tamen illi a Pontifice ad tale munus exercendum eligi, & vulgo appellantur Protonotarii Apoſtolici. Verum hi ſcripturas tantum conficiunt ad res ſpirituales pertinentes, quæ in foro eccleſiaſti-

ſti-

Digitized by Google

ſtico pro publicis habentur; in laico tamen cenſentur omnino privatæ. Quod autem in commentario ad eam conſtitutionem notat Matthæus de Afflictis de teſtamento ad pias cauſas, rejiciendum omnino eſt; nam ille confundit negotium ſpirituale, ſive eccleſiaſticum cum tali teſtamento, quod licet contineat cauſam pietatis, & religionis, non ideo tamen deſinit eſſe negotium inter laicos geſtum; & propterea ſi redigatur in ſcripturam a Protonotario Apoſtolico, adhuc erit privatum. Quemadmodum & donatio ad pias cauſas, ſi ſcripto comprehendatur a Protonotario Apoſtolico, ſemper erit privata ſcriptura. Et uſque adeo ſui erroris ſibi oblectatur de Afflictis, ut opinetur, cujuſvis generis teſtamentum, etiam non ad pias cauſas, poſſe ab Apoſtolico Notario, adhibito legitimo teſtium numero, confici, *quia* (inquit) *ſicut poteſt contrahere, ſeu contractum facere in rebus ſpiritualibus, ita poteſt etiam teſtamenta facere: quia intereſt judicis eccleſiaſtici, quod teſtamenta tam ad pias cauſas, quam non ad pias cauſas exequantur, ſecundum Innocentium &c.* Hæc ſane ſi vera ſunt, magna jactura laicorum afficietur juriſdictio, unde legibus Regni videntur prohibita; nam ex generali definitione *pragm. 2. de contractibus*, cujuſcumque generis ſcripturæ publicæ confici non poſſunt, niſi a Notariis regia authoritate conſtitutis.

IX. Illud quoque noſtris legibus cavetur, ne clerici advocati officio fungantur apud laicos judices ex conſtitutione *Advocatos* §. *denique clericos*, ubi ſic loquitur Imperator Fridericus: *Denique clericos in ſæcularibus cauſis, & judiciis omnibus præſtare patrocinia prohibemus, præterquam in cauſis propriis, conſanguineorum, vel affinium. Item in cauſis eccleſiarum, ac miſerabilium perſonarum, ita ut tunc etiam ſine pretio valeant poſtulare.* Statuit deinde Imperator pœnam unius libræ auri tam adverſus judicem, qui clericum advocatum admiſerit, quam adverſus ipſum clericum. Sed talis pœna uſu ipſo abolita eſt. Quod hic ſtatuit Imperator, præterquamquod juri Romano in *l. placet* 17. *Cod. de Epiſcop. & cleric.* & canonicis ſanctionibus eſt

L 2 con-

conſonum in *cap. 1. & 2. de poſtulando*, confirmatum deinde quoque fuit in *pragm. 2. eod. tit.* Imo in *pragm. 4. eod.* generaliter cavetur, ut clerici, aut monachi, nec etiam poſſint in Tribunalibus laicorum procuratoris officium exercere, aut quacumque alia ratione litibus, negotiiſque ſæcularibus incumbere.

CAPUT IX.

Exponitur quid in noviſſimo Concordato circa clericorum perſonas ſtatutum ſit, ubi etiam agitur de clericis conjugatis.

EA quidem eſt humanarum rerum dolenda conditiò, ut ſæpiſſime quæ optimis ab initiis deducuntur, paulatim in pravum uſum convertantur, imo & primævæ ſuæ inſtitutioni adverſentur. Hinc meritò in *cap.* 4. noviſſimi Concordati refertur, prudenter tum olim a Gregorio XV. tum impræſentiarum a Pontifice noſtro, de opportunis remediis cogitatum eſſe pro moderando apud nos clericorum numero, qui dum intra certum modum conſiſtit, non minus religioni conducit, quam civili conſortio: contra immodicus utrique gravis eſt, atque oneroſus; præſertim quoties tale inſtitutum vitæ ad temporalem potius, quam ſpiritualem finem dirigitur. Hoc ſane cavere voluit Tridentina Synodus *ſeſſ.* 23. *de reform. cap.* 4. dum præcipit, eos tantum ordinari, qui non ſæcularis judicii fraude, ſed ut Deo fidelem cultum præſtent, hoc vitæ genus elegerunt. Primi Imperatores chriſtiani in ſuam curam tranſtulerunt, ne paſſim omnes, & ſine delectu in clerum cooptarentur. Ipſe Conſtantinus Magnus, licet eccleſiis, eccleſiaſticiſque perſonis impenſe faverit, ſtatuit nihilominus in *l.6.C.T. de Epiſc. & cler.* nè temere, & citra modum clerici ordinarentur, ſed ut uno defuncto, alter in locum illius allegeretur. Quod ſane conſonum erat diſciplinæ veteris eccleſiæ, quà ordinatio, & beneficii collatio uno eodemque tempore perficiebatur, ſiquidem beneficium dabatur propter munus eccle-

cleſiaſticum, & propterea niſi munus illud poſſeſſore deſtitueretur, beneficium ei annexum alteri conferri non poterat, & per conſequens nec ordinatio. Poſtmodum Juſtiniano in *novell.* 3. & 6. viſum eſt expedire, ut in ſingulis eccleſiis, præſertim in Majori, quæ erat Conſtantinopoli, certus clericorum numerus præfigeretur, unde & miniſterium divinum convenienter peragi poſſet, & ſumtus fierent pro modo facultatum uniuſcujuſque eccleſiæ. Hæc eadem fuit mens Gregorii VIII. in *capit. quoniam* 9. *de vita, & honeſt. cleric.* Illud etiam in *cit. l.* 6. ſtatutum legimus, ut ii tantum ordinarentur clerici, qui minus eſſent idonei publicis oneribus obeundis; & propterea divites prohibebantur in clerum adſcribi. Et rationem ſic reddit Imperator: *opulentos enim ſæculi ſubire neceſſitates oportet, pauperes eccleſiarum divitiis ſuſtentari.* Prohibebantur etiam Decuriones, eorumque filii, ne occaſione clericatus perſonalia munera ſubterfugerent *l.* 3. *eod. tit.* & ob eandem cauſam, ut refert Baronius ad annum 398. Imperator Honorius (rectius dixiſſet Arcadius, ut patet ex inſcriptione *l.* 32. *C. T. eod. tit.* & *l.* 16. *eod. Cod. de pœnis*) juſſit, ut clerici aſſumerentur ex cœtu monachorum, ſiquidem monachi erant jam probati, ut ait conſtitutio, ante cooptationem, & propterea non poterant ullis oneribus eſſe adſtricti, aliter in monaſterium non fuiſſent recepti, vid. *can. monachos* 29. 16. *qu.* 1. & Gothofr. in *cit. l.* 32.

II. Superior fortaſſis ratio olim in hoc Regno occaſionem dedit tum Rogerio in *conſtit. errores eorum*, tum Friderico II. in *conſtitut. adſcriptitios* vetandi, ne villani, ſive adſcriptitii ordinarentur clerici abſque dominorum voluntate, ſcilicet, quia perſonali ſervitio erant obnoxii. Quinam olim fuerant adſcriptitii affatim a doctis viris expoſitum eſt, præſertim a Gothofredo in *tit. C. T. de fugitivis colonis*. Crediderim libenter, eos ſimiles fuiſſe hominibus dedititiis, qui armis coacti, ne extremam juris belli conditionem experirentur, ſe ſuaque omnia divina, & humana victori populo Romano dedebant. Exemplum vide apud Livium *lib.* 1. *cap.* 38. At ſub Imperatoribus cum idem eveniebat, dedititiis agri relinquebantur colendi, ſub nexu tamen

men, ne ab illis diſcederent, ſed ut operibus ruſticis incumberent: illi autem, quibus agri aſſignabantur, recipiebant, veluti ſub eodem dominio, dedititios agris ipſis adſcriptos, qui nec omnino ſervi, nec omnino liberi cenſebantur, vid. *l. unic. Cod. de Colonis Thracenſ. lib.* 11. unde erant quædam terræ, ſeu agri membra *l. penult. Cod. de agricolis eod. lib.* 11. Cum agris, ſeu poſſeſſionibus diſtrahebantur, vendebantur *l. 2. Cod. in quibus cauſis coloni &c. eod. lib.* 11. Non poterant a terris divelli *l. 15. Cod. cit. tit. de agricolis*. Imo neque clerici, niſi dominorum conſenſu ordinari poterant *l. quiſquis 16. & l. jubemus 35. Cod. de epiſcop.* Veriſimile igitur eſt, ut cum Rex Rogerius, ejuſque prædeceſſores Principes Normanni Provincias Regni noſtri partim e Græcorum, partim e Longobardorum dominatu abſtuliſſent, & armis feciſſent ſuas, belli jure utentes, quaſdam civitates, & oppida ad deditiorum conditionem redegerint; unde voluerunt Græcos Imperatores imitari, vetando, ne illi, dum agris erant adſcripti, in clerum cooptarentur. Quod idem confirmare voluit Fridericus II., in quem a Normannis per ſucceſſionem translatum fuit Regnum. Sed cum poſtea illud perventum eſſet ad Principes Andegavenſes, electionis magis titulo, quam victoriæ jure, paulatim conditio adſcriptitiorum ſublata fuit; adeout hodie in Regno omnes populi libertate, atque ingenuitate fruantur. Hinc magno in errore verſantur noſtri interpretes, & nominatim Tapia in cit. conſtit. *adſcriptitios*, dum quæ de adſcriptitiis ſtatuuntur, vaſſallis Baronum aptari poſſe cenſent, & præſertim iis, qui angarii, & perangarii nominantur in legibus Regni. Sed hæc plenius excutiemus, cum de Baronibus, eorumque jure in vaſſallos erit ſermo.

III. Verum enim vero, cum adminiſtratio rerum ſacrarum pertineat ad curam Prælatorum eccleſiæ, viſum eſt deinceps convenientius a legibus laicorum Principum recedere; & quæ pertinent ad clericorum, miniſtrorumque rei divinæ electionem, approbationem, & numerum, omnino decerni, atque terminari a ſacris canonibus, prout multis abhinc ſæculis uſus fert in eccleſia. Sed quoniam ea quæ

tan-

tanto ſtudio, ac diligentia non minus a ſummis Pontificibus, quam a Conciliis ſtatuta erant circa ordinationes clericorum, deſuetudine vix ſervabantur, unde in hoc Regno non levia inde proveniebant incommoda, ideo in *cit. cap.*4. proviſum eſt, ut nemo promoveatur ad clericatum, niſi vel beneficium habeat, vel certos redditus in perpetuum ad celebrationem miſſarum deſtinatos, vulgo *cappellaniam perpetuam*; vel patrimonium ſuper bonis immobilibus abſque ulla fraude conſtitutum. Patrimonii autem quantitas relinquitur definienda Synodis epiſcopalibus, dummodo non ſit minor 24. aureis, vel major 40. Tonſura autem, ſive inſigne clericalis ordinis conferri non debet, niſi iis, qui poſt decimum ætatis annum, ſaltem triennii ſpatio degerunt in aliquo conventu eccleſiaſtico, vulgo *ſeminario*. Ubi autem id fieri nequit, eodem temporis intervallo ſervitium eccleſiæ præſtandum erit ex mandato Epiſcopi. Poterunt autem ad publicas academias ſe conferre ſtudiorum cauſa, dummodo ab Epiſcopo litteras commendatitias acceperint, quas loci ordinario præſentare tenentur; & demum confecto ſtudiorum curſu, ex hujus atteſtationibus de vita, morumque honeſtate legitime ad ordines initiantur. Ab hac tamen lege excipiuntur, qui ratione juriſpatronatus ad beneficium aliquod eccleſiaſticum vocati ſunt, ne interim tempus nominationi præfixum expiret; his etenim, licet ſuperiora requiſita non adſint, ordinatio, & beneficium conferri poterit. Quod ſi inter duos, pluresve circa jus patronatus oriatur controverſia, ordinatio ſuſpendi debet uſque ad ſententiam definitivam; & interea, quoties nullum adeſt canonicum impedimentum, poterit Epiſcopus unicuique ex litigantibus atteſtationis litteras conficere ad litem proſequendam, qua demum finita, victor ad ordines promovebitur. Quamvis ex Tridentina Synodo *ſeſſ.*7. *de reformat. cap.* 10. permiſſum ſit Vicario capitulari poſt annum a die Sedis vacantis litteras dimiſſorias concedere pro ordinibus ſuſcipiendis; nihilominus deinceps id fieri non poterit, niſi prius licentia impetrata a Sacra Congregatione Concilii; ſiquidem experientia non ſemel in hoc Regno docuit, Vicarios Capitulares

paſ-

paſſim, & ſine delectu quoſcunque ad ordines admiſiſſe; unde ſucceſſores Epiſcopi innumeros inveniebant, omnino indignos, ordinibus inſignitos, non ſine manifeſto damno eccleſiaſticæ diſciplinæ. Quoties autem ex jure patronatus beneficium conferendum erit, poterit Vicarius Capitularis litteras dimiſſorias concedere, verum ex conſenſu majoris partis Capituli. Hæc omnia ut omnino ſerventur, mandat *Concordatum*, pœna injuncta adverſus tranſgreſſores, nam qui ordines ſuſcepit, ab iis perpetuo erit ſuſpenſus; Epiſcopus autem anni tantum ſpatio, tum ab ordinum collatione, tum ab uſu Pontificalium. Hæc eadem pœna in Prælatis inferioribus perpetuo durabit.

IV. In *cap.* 3. ejuſdem *Concordati* circa perſonas clericorum, dum privilegium fori eis confirmatur, excipitur crimen aſſaſſinii; prout jam antea conſtitutum fuerat ab Innocentio IV. in Concilio Lugdunenſi; ex eo enim ſtatim, *& ipſo facto*, ut loquitur Pontifex in *cap.*1. *de homicid.in* 6. quæcumque dignitas, privilegium, honor, officium, beneficium amittitur. Verum in *Concordato* additur, clericum aſſaſſinum authoritate judicis laici in carcerem conjectum nomine eccleſiæ retinendum, & interim judiciarios actus conficiendos eſſe; qui intra ſpatium quatuor menſium *Tribunali Mixto* exhiberi debebunt, ut decerni poſſit, utrum crimen revera tale ſit; & demum ſententia feretur, atque exequutioni mandabitur. Hoc equidem prudenter cautum eſt ad componendas diſceptationes, quæ olim oriri ſolebant inter eccleſiaſticam, & laicam juriſdictionem circa probationes delicti; nam antiqua fuit quæſtio inter doctores, utrum ad hoc ut procedere poſſit judex laicus contra clericum aſſaſſinum, ſufficiant indicia, quamvis urgentia, & ad quæſtionem, ſive torturam inferendam idonea; an adeſſe debeant probationes concludentes, unde condemnari poſſit reus, vel ut convictus, vel ut confeſſus. Sed nulla erit controverſia, ſi verba Pontificis in dicto *cap.* 1. accurate perpendantur. Ea autem ſic ſe habent: *Poſtquam probabilibus conſtiterit argumentis, aliquem ſcelus tam execrabile commiſiſſe &c.* Hæc ſatis oſtendunt, non requiri probationes

ad

Digitized by Google

ad condemnationem neceſſarias, quæ debent eſſe omnino certæ, & luce clariores, ut loquitur *l. ult. C. de probation.* ſed aliquo modo veriſimiles, quæ animum noſtrum inducunt ad credendum; Titium *E. G.* ex tali, vel tali facto antecedenti, vel conſequenti crimen illud commiſiſſe. Et ſuaves admodum ſunt ex noſtris nonnulli, ut de Marinis *lib.* 1. *reſol. cap.* 51. & Grammaticus *vot. XI.* qui probabilia argumenta interpretantur *indicia indubitata*; nam ejuſmodi indicia quis unquam ſanæ mentis appellavit probabilia, cum ſui natura ſint certiſſima ad perſuadendum, nec ullum relinquant dubitandi veſtigium? Ad hæc, quomodo inquiſitus eſſe poterit vel convictus, vel confeſſus de aſſaſſinio, niſi antea incipiat judex laicus formare judiciales actus, ſive *proceſſum*? At quomodo interrogabitur reus, quomodo ad examen teſtium devenietur, niſi ille in judicio ſe ſiſtat? Unde patet, erroneam fuiſſe opinionem Grammatici *loc. cit.*, qua ſua ætate author fuit in Magna Curia, ut fidejuſſoribus datis liberaretur quidam presbyter inquiſitus de aſſaſſinio in perſonam alterius presbyteri, licet indicia extitiſſent non levia, & probatum eſſet, in actu homicidii interfuiſſe tanquam aſſiſtentes fratres ipſius inquiſiti. Erronea inquam talis opinio fuit; nam præterquamquod adverſatur conſtitutioni pontificiæ, ut diximus, pugnat etiam cum vulgata regula *l.* 3. *D. de cuſtodia reorum*, qua efficitur, non debere inquiſitum de gravi crimine per fidejuſſores liberari. Omnis igitur hodie poſt *Concordatum* ſublata eſt quæſtio, dum facultas datur judici laico inquiſitum de aſſaſſinio carceribus mancipandi, & retinendi nomine eccleſiæ, uſque dum decernatur circa qualitatem delicti; & propterea non tantum indicia ad quæſtionem idonea, ſed etiam leviora ſufficient, ſcilicet ejuſmodi, ex quibus in carcerem conjectio legitima erit.

V. Videamus modo de clericis conjugatis. Antiquiſſima ſane fuit conſuetudo in eccleſia, ut miniſterio ſacro qui eſſent addicti, nuptiis abſtinerent, ea ratione, quæ affertur ab Innocentio III. in *cap.* 5. *de clericis conjugatis*, *quia dum vir cogitat, quomodo placere poſſit uxori, minus quæ Dei*

Digitized by Google

ſunt valeat cogitare; cum quaſi diviſus in duo plenam ſui non habeat poteſtatem. Verum talis conſuetudo in eccleſia orientali non uſquequaque fuit recepta, in ea enim clerici minorum ordinum nuptias contrahunt, majorum vero utuntur matrimonio jam contracto, prout nos docet idem Pontifex in *cap. 6. eod. tit.* Ubi notandum, eam decretalem directam fuiſſe Archiepiſcopo Acheruntino, (qui erat in Regno noſtro, nam Acheruntia, ſive Acherontia vulgo *Acerenza* urbs in Provincia Baſilicata olim erat Sedes Archiepiſcopalis, poſtea translata in urbem Mateolanam, ſive Materenſem) in cujus dioeceſi Græcorum ritus obſervabatur; erat enim conſtituta in Magna Græcia, quæ & exotica Græcia a Plauto appellatur, ut notat Cujacius. Cum autem in eccleſia occidentali, non ſemel eveniret, ut contra eccleſiaſticas regulas clerici matrimonio ſeſe immiſcerent, & eodem tempore beneficia retinerent, placuit Alexandro III. generali definitione decernere in *cap. 1. cit. tit.* clericos minorum ordinum ad relinquenda beneficia, & retinendas uxores compellendos eſſe; ſubdiaconos vero, & reliquos majoribus ordinibus inſignitos uxores dimittere, & pœnitentiam agere debere, cum nullum in iis ſit contractum matrimonii vinculum, nulla legitima conjunctio. In omnibus autem decretalibus, quæ extant in compilatione Gregorii IX., clerici conjugati nunquam accipiuntur pro iis, qui retentis uxoribus, adhuc perſeverant in ſtatu eccleſiaſtico. Hoc ſane crediderim poſteriori ætate inductum fuiſſe; nam Bonafacius VIII. qui Sedi Apoſtolicæ præfuit circa finem ſæculi XIII. in *cap. unic. de cleric. conjugatis in 6.* primus ſtatuit, ut *clerici* (intellige minorum ordinum) *qui cum unicis, & virginibus contraxerunt, ſi tonſuram, & veſtes deferant clericales, privilegium retineant canonis ab Innocentio Papa II.* (hic eſt *can. ſi quis 22. 17. quæſt. 4.* ex quo excommunicatur qui in clericum, vel monachum violentas manus injecerit) *editi in favorem totius ordinis clericalis*. Voluit præterea Pontifex, ut exemtio a foro ſæculari ad hujuſmodi etiam clericos porrigeretur. Exinde factum eſt in Regno noſtro, ut tales clerici conju-

ga-

gati pro perſonis eccleſiaſticis haberentur. Quod fortaſſis ab initio inutile non fuit, nam aliquando quibuſdam in eccleſiis, deficiente neceſſario clericorum numero, illi adhibebantur pro decenti ſolemnium ſacrorum celebratione. Et hæc ſane fuit mens Tridentinæ Synodi, dum confirmans Bonifacii VIII. conſtitutionem circa clericos conjugatos in *cap. 6. ſeſſ. 23. de reformat.* addit: *modo hi clerici alicujus eccleſiæ ſervitio, vel miniſterio ab Epiſcopo deputati, eidem eccleſiæ ſerviant, vel miniſtrent*, & in *cap. 17.* hæc verba notabilia ſunt: *Quod ſi miniſteriis quatuor minorum ordinum exercendis clerici cœlibes præſto non ſunt, ſuffici poſſint etiam conjugati vitæ probatæ, dummodo non bygami, ad ea munia obeunda idonei, & qui tonſuram, & habitum clericalem in eccleſia geſtent.*

VI. Sed cum paulatim hujuſmodi clerici ſe omnino ſubtrahere vellent a muneribus cæterorum civium, adeout ætate Regis Roberti publicas penſitationes ſolvere detrectarent; ideo in *cap. 248. ſub tit. quod clerici conjugati ſolvant collectas Regias*, contrarium decretum fuit, ſecundum ipſorum canonum ſtatuta, vid. *capit. penult. de cleric. conjug.* nam Bonifacius VIII. tantum iis tribuit privilegium fori, & canonis. Et propterea in *cit. cap.* 248. generaliter a Rege definitur; *clericos conjugatos in nullo alio a laicis differri, quam ut pro commiſſis delictis trahi non poſſint criminaliter, vel civiliter in Curia ſæculari.* Idem confirmatur in *pragm. 1. de cleric. ſeu diacon. &c.* & noviſſime in *Concordato*; in quo tamen reſtrictum eſt privilegium; ſiquidem in cauſis criminalibus, ubi civiliter agitur, ſive tantum de eo, quod intereſt partis adverſæ, non autem de pœna infligenda, juriſdictio adhuc eſt judicis laici. Verum in bona tantum, non in perſonam; etenim ubi, deficientibus bonis, clericus conjugatus in carceres ducendus erit, id fieri oportebit cum conſenſu judicis eccleſiaſtici, qui requiſitus non poterit diſſentire. Et ne fraudibus detur occaſio, debent clerici conjugati quotannis coram Ordinariis locorum oſtendere, ſe omnia ad ſuum ſtatum pertinentia adimpleviſſe, unde litteras atteſtationis accipere poſſint pro

Digitized by Google

exequutione privilegiorum. Et hac ratione occurritur inſolentiæ eorum, qui falſo clericorum nomine, & externo habitu aſſumto, volunt criminibus ſeſe immiſcere, & publicam juriſdictionem eludere, quique olim lepido ſane vocabulo dicebantur clerici, ſive diaconi *ſalvatici*, prout titulus extat in libris pragmaticarum, ubi contra eos binæ leguntur conſtitutiones. Et ſic fortaſſis dicti ſunt, ſive quod utplurimum id genus homines reperiuntur in oppidis, & vicis, ſive quod rei ruſticæ incumbere ſolent, unde non ſunt vere eccleſiaſtici, ſed tanquam ſpurii, & ſylveſtres habentur in cœtu clericorum.

VII. Demum in eodem *cap. 3. Concordati*, ad removendas contentiones circa Apparitores, & Accenſos, qui Epiſcopis, eorumque Vicariis præſto ſunt, ſive quibuſcunque juriſdictionem eccleſiaſticam exercentibus, certus eorum numerus præfinitur, ſcilicet ut adſint duo, vel tres in minoribus Diœceſibus, quatuor, vel ſex in majoribus; plures vero, ubi neceſſitas exigit ob multitudinem ſubditorum, quemadmodum in Archiepiſcopatu Neapolitano, in quo, propter hujus civitatis amplitudinem, duodecim ſtatuuntur, quemadmodum & in curia Legati Pontificis, qui apud nos commoratur, & jus dicit in cauſis ad Sedem Apoſtolicam immediate pertinentibus. Conceditur iis apparitoribus, ut arma poſſint deferre, modo non prohibita legibus Regni. Tenentur tamen de ſuo ſtatu, & conditione certiores reddere tum in hac civitate Juſtitiarium, quem nunc dicimus Regentem Magnæ Curiæ; tum in Provinciis Præſides earum. Datur iiſdem exemtio a juriſdictione laica, quoad perſonas tantum, ſive civilis cauſa ſit, ſive criminalis; niſi ubi crimen commiſſum adeo grave eſt, ut vel mortis, vel triremium pœna ſit infligenda, tunc enim ceſſat omnis exemtio, & cognitio pertinet ad judices Regia authoritate conſtitutos; nam excipiuntur Baronales, quibus tantum permittitur eos in cuſtodia habere, & remittere ad judicem competentem.

CA-

CAPUT X.

De religioſis domibus.

PRIMIS eccleſiæ ſæculis Epiſcoporum præcipua cura erat pauperibus, infirmis, viduis, orphanis, peregrinis proſpicere. Sed poſtea aucto eccleſiarum peculio, viſum eſt conducibilius, ex eo certam portionem aſſignare ad pauperum, infirmorumque ſuſtentationem in certis, & deſtinatis locis, quæ religioſæ domus appellatæ ſunt. Optima ſane ratione, quia nullibi melius chriſtianæ religioni fit ſatis quam ubi charitas erga egenos exercetur. Vulgari nomine tales domus Hoſpitalia appellantur; & pro diverſis perſonarum generibus, quæ in iiſdem recipiuntur, diverſimode græcis vocabulis deſignantur, veluti Xenodochia pro peregrinis, & pauperibus iterfacientibus; Noſochomia pro infirmis; Pronotrophia pro pauperibus debilibus, qui proprio labore ſuſtentari nequeunt. Et hoc ſane præ reliquis ad publicam curam ſpectat, ne impotentes fame pereant; contra affectata, & iners mendicitas omnino coercenda eſt, ut prudenter fecit ſua conſtitutione Valentinianus junior in *l. unic. Cod. de mendicantibus validis lib.* 11. Orphanotrophia pro infantibus; Gerontocomia pro ſenibus, vide *l. illud Cod. de ſacroſanct. eccleſ.* Olim ejuſmodi loca pia, utpote ex redditibus eccleſiaſticis conſtituta, ſuberant Epiſcoporum authoritati, a quibus deſtinabantur pro adminiſtratione diaconi; unde non ſemel hoſpitalia apud ſcriptores eccleſiaſticos *Diaconiæ* appellantur. Exempla vide apud Cancium in *Gloſſario*.

II. Sed cum poſtmodum ex pietate laicorum plurima erecta fuiſſent hoſpitalia, & laicis quoque eorum cura demandata, dubitatum fuit, an adhuc juriſdictione Epiſcopali comprehenderentur. Et quamvis ex decreto Concilii Viennenſis, relato in *Clement.* 2. §. *ut autem de religioſis domibus*, & confirmato a Tridentina Synodo *ſeſſ.* 7. *cap. ult.* in quibuſcumque hoſpitalibus cura ſtatuta eſſet Epiſcoporum, ta-

tamen non ubique tale decretum uſu receptum fuit. Et in hoc Regno non leves inde quæſtiones extiterunt, exiſterentque adhuc, niſi per *Concordatum cap. 5.* finis impoſitus iis eſſet ad hunc modum: Exceptis eccleſiis, omnibuſque piis locis, ſive ex fundatione ſub Regali authoritate immediate exiſtentibus, ſive quia eo modo ab initio fuerunt erecta, cætera omnia ab ordinariis Epiſcopis, quod attinet ad ſpiritualia, viſitari poterunt, etiamſi laicorum in illis ſit cura, & adminiſtratio. Cum rationes hujus adminiſtrationis quotannis reddendæ ſunt, non ſolum id fieri debet coram iis, qui eliguntur ex more, & conſuetudine jam recepta, ſed etiam coram perſona ab Epiſcopo nominanda. Quibus omnibus ſimul facultas conceditur mandata expediendi, ut reliqua, ſi quæ ſunt, ſolvantur a debitoribus; eaque mandata vim habebunt rei judicatæ, cui executio tribuenda eſt a judice laico contra laicum, ab eccleſiaſtico vero contra clericum.

III. Inter res ad religionem pertinentes non poſtremum locum, ut modo diximus, hoſpitalia ſibi vindicant; & propterea eorum cura ad Principes quoque ſæculares pertinet, utpote qui pietatis, & religionis officia pro virili parte tueri, ac promovere tenentur. Hinc multa a legibus ſpecialia pro iis ſtatuuntur, quæ a Doctoribus nominantur privilegia piæ cauſæ. Quod attinet ad leges noſtras huc pertinet *pragm. unic. de legat. piis*, qua imponitur publicis Notariis, ut intra dies 15. poſt ſtipulationem, vel poſt apertas tabulas teſtamenti debeant, ſub pœna 50. unciarum auri, certiora facere hoſpitalia, cæteraque loca pia, de quibuſcunque ſive donationibus, ſive hæreditatibus, ſive legatis relictis eiſdem. Et quamvis diu in hac civitate ex conſtitutionibus Julii II., Leonis X., aliorumque Pontificum ſtatuti fuiſſent quidam Commiſſarii Apoſtolici nominati, iiſque adjuncti judices Regii, unde erectum fuit Tribunal Fabricæ (ſic dictum, quia ejus ſcopus erat pecuniam ex legatis piis non ſolutis colligere pro amplificanda fabrica Templi Romæ divo Petro dicati); tamen procedente tempore illud grave viſum fuit majoribus noſtris, adeout eorum querelæ

non

non ſemel propoſitæ legantur in libris privilegiorum Civitatis, & Regni; unde abolitum eſt. Et propterea piarum diſpoſitionum exequutiones pertinent jure ordinario ad judices laicos.

IV. Præter hoſpitalia, Religioſarum domuum nomine comprehenduntur etiam monaſteria, prout videre eſt in *tit. decretal. de religioſis domibus*. In legibus Regni de monialium monaſteriis nonnulla quædam ſpecialia habemus, quæ hic annotanda ſunt. Cum in iis Virgines Deo dicatæ ſpiritualem, & a virorum conſortio ſeparatam vitam agere inſtituant; propterea in *pragm. 1. & 3. de monialibus* injungitur pœna pecuniaria, & alia extra ordinem viris accedentibus ad ea monaſteria colloquendi gratia cum illis, quoties ab ordinariis ſuperioribus licentiam in ſcriptis antea non fuerit impetrata. Excipiuntur tantum parentes monialium, earumque fratres, ſive ex uno, ſive ex utroque latere conjuncti. Excipiuntur quoque medici, & præceptores. Sed hæc, ut pleraque alia edicta in libris pragmaticarum, pertinentia ad ſtatum publicum, in deſuetudinem abierunt; & tantum deſerviunt voluminibus noſtrarum legum ampliandis. Quod autem ſtatuitur in *pragm. 2. ejuſd. tituli*, cum non levis momenti ſit, operæ pretium eſt, ut ſeparatim exponatur.

V. Monaſteria monialium quam deceat honeſte ſe habere, omnibus in comperto eſt. Cum igitur facile evenire poſſet, ut qui domos prope monaſteria habent, in ea oculos immittant, ideo in *cit. pragm. 2.* ſtatutum eſt, ut feneſtræ, vel contignationes in parte ſuperiore domuum, ſive, ut vulgo dicunt, *ſolaria*, claudantur, & tegulis cooperiantur, quoties ex eis aſpectus ſit ad monaſteria prædicta, licet via publica, vel quodcunque aliud ſpatium intermedium exiſtat. Hæc quidem de ædificiis jam exiſtentibus; de iis autem, quæ noviter conſtruuntur jubetur, ut feneſtræ, & contignationes eo modo fiant, ut omnino talis aſpectus non ſit, pœna impoſita aureorum mille, aliaque ad arbitrium Principis. Ratio ſuperioris legis licet videatur minus æqua, cum ex ea cogatur dominus aliquid facere, vel pati in ſuo contra naturalem libertatem; tamen

men ſi conſideremus ſtatum publicum, & honeſtatem, quam præſeferre debent moniales, quod ſane omnium civium intereſt, apparebit utique juſtiſſima. Et propterea neceſſarium non erit ad argumenta recurrere longe petita, prout facere ſolent Doctores noſtri, & præſertim de Franchis *deciſ.* 223., qui pro defenſione *cit. pragmat.* utitur vulgari axiomate deſumto *ex l. ſi quis ſepulchrum* 12. *D. de religioſis, & ſumtibus funerum* illis verbis: *quia quemadmodum monaſterium pro domo ſua extruenda, vel amplianda poteſt compellere vicinum, ut proprias ædes ipſi vendant, ita debet poſſe cogere vicinum &c.* Hæc regula in foro noſtro ex communi ſententia habetur pro jure certiſſimo, adeout ſecundum eam non ſemel deciſum fuerit, ac judicatum; unde exempla paſſim occurrunt apud eundem de Franchis, apud Gizzarellum *deciſ.* 37. alioſque; & nihilominus nullibi apparet ejus veſtigium in univerſa legum compoſitione, tum romana, tum noſtra. Nolim autem quemquam exiſtimare, me hic diſputando velle eccleſiarum, aut monaſterium privilegia infirmare; etenim propoſitum mihi tantum eſt patefacere, ex mala interpretatione pragmaticos non ſemel nova jura conficere, licet in rebus graviſſimis, prout eſt caſus quando quis cogi debet etiam inuitus ad alienandas ſuas ædes, aliquando ſibi apprime commodas, & ſua vel majorum induſtria, ac diligentia extructas. Fateor Religionis cauſam præcipuam eſſe debere in omni Republica, & præſertim inter Chriſtianos: ſed quoties aliquid ſtatuendum eſt in præjudicium alterius, expreſſa requiritur authoritas legum, nec ſufficit privatorum interpretatio, & præſertim forenſium ſcriptorum, quorum unanimis conſenſus non ſemper firmum argumentum præbet, cum ſoleant ſæpiſſime uni ab aliis axiomata, & regulas tranſcribere abſque ullo examine, vel delectu, legeſque citare a propoſito alienas. Quod patet in præſenti ſpecie, cujus explicandæ gratia paulo altius res repetenda eſt.

VI. Cum in uſu olim Romanis fuiſſet, qui & aliis Nationibus cummunis erat, ſepulchra extra urbem habere, idque & XII. tabulis, & Imperatorum legibus confirma-

ma-

matum fuit, vid. *leg.* 3. §. *Divus D. de ſepulchro violato*; facile evenire poterat, ut qui ſibi, familiæque ſuæ locum pro ſepulchro ruri comparaſſet, viam ad illud amitteret, ſiquidem ad ſepulchrum raro itur, & aliquando per multos annos nulla ſeſe præbet occaſio. Huic incommodo providere Imperatores voluerunt in *dict. leg. ſi quis ſepulchrum*, ubi ſic ſcribit Ulpianus: *Si quis ſepulchrum habeat, viam autem ad ſepulchrum non habeat, & a vicino ire prohibeatur: Imperator Antoninus cum patre ſuo reſcripſit, iter ad ſepulchrum peti precario, & concedi ſolere; ut quoties non debetur, impetretur ab eo, qui fundum adjunctum habeat.* Ex his verbis perſpicue apparet, imperiale reſcriptum loqui tantum de caſu meræ neceſſitatis, quando ſcilicet, non exiſtente via, ſive amiſſa ob non uſum, ut diximus, ſive ablata fluminis vi, ut Accurſius interpretatur, ſepulchrum omnino redderetur inutile. Præterea non de jure ordinario hic agitur, ſed extraordinario; hoc eſt, non impetrata via a vicino actio nulla competit, cum nemo cogatur rem ſuam vendere; ſed Magiſtratus adiri debet, qui ex æquitate id efficiet abſque ullo vicini diſpendio, prout nos docet Juriſconſultus reſcriptum interpretando illis verbis: *Non tamen hoc reſcriptum, quod impetrandi dat facultatem, etiam actionem civilem inducit; ſed ut extra ordinem interpelletur. Præſes etiam compellere debet, juſto pretio iter ei præſtari; ita tamen, ut judex etiam de opportunitate loci proſpiciat, ne vicinus magnum patiatur detrimentum.* Conferamus quæſo hæc verba, ſummâ æquitate aſperſa, cum opinione Pragmaticorum, qui ſic ajunt: *Receptiſſima eſt opinio abſque ulla controverſia* (ſic loquitur author citatæ *deciſ.* 37.) *pro conſtruenda vel amplianda eccleſia poſſe compelli vicinum ad vendendum domus ſuas, vel locum eccleſiæ cohærentem, ſumta ex deciſione, & ratione textus in l. ſi quis ſepulchrum D. de religioſis, & ſumtibus funerum &c.* Quis non videt quam falſum ſit hoc argumentandi genus? Si ageretur de via jam amiſſa, quâ itur in eccleſiam, illatio eſſet juſta, utpote in ſpecie ſimili; in utraque enim quæſtio foret de mera neceſſita-

te, in utraque de cauſa religionis, in utraque de utilitate publica. At Doctores argumentantur a caſu neceſſitatis ad caſum meliorationis, a via jam deperdita, unde res religioſa redditur inutilis, ad eccleſiam conſtruendam, vel ampliandam: quod utique non eſt abſolutæ neceſſitatis; cum inveniri poſſit locus alibi commodior abſque detrimento alieno pro illius ædificatione, vel pro ampliori forma. Ad hæc, ſi ſuperior opinio conſiſteret intra limites æquitatis, & cognitionis extraordinariæ, aliquo modo toleranda foret, nam permittent Magiſtratus tantum in certis caſibus ampliationem eccleſiæ, veluti ſi fuerit illa Parochialis, & numerus chriſtianorum eo modo auctus, ut Sacramentorum adminiſtratio, & divini Verbi prædicatio omnino peragi non poſſent. Verum illi ſimpliciter, atque indefinite aſſerunt, poſſe cogi vicinum ad domum ſuam vendendum. Imo ulterius progrediuntur, regulam extendendo ad atria eccleſiæ, necnon ad monaſteria amplianda. Quo neſcio an quidquam dici poſſit abſurdius, & a charitate chriſtiana alienius; idque optare nec ipſis monachis credere par eſt unquam in mentem veniſſe, cum eorum inſtitutum præcipue verſetur circa evangelicam perfectionem. Et quis unquam vel primis rudimentis religionis noſtræ imbutus ignorat, Evangelii principia convelli, dum volumus propriis commodis ſtudere cum alieno damno, atque incommodo? Nec refert, quod aliquando, creſcente numero monachorum, monaſterii fines inveniantur anguſti; nam primo Doctores in ſuo axiomate non loquuntur de hoc ſpeciali caſu, ſed ſimpliciter pro ampliando monaſterio: deinde æquius erit dici, & facilius fieri poterit, ut monachi in duo monaſteria diſpertiantur, quam ut illi e propriis domibus vicinos expellant.

VII. Quæ huc uſque dicta ſunt pertinent tantum ad Pragmaticorum malam diſputandi, & cauſas decidendi methodum oſtendendam. Cæterum temporibus noſtris hujuſmodi quæſtionibus amplius non eſt locus; cum aliquot abhinc annis per regalia diplomata, eccleſiarum, & monaſteriorum, quæ in hac civitate præſertim ad immenſum numerum pervenerunt, ampliationes omnino prohibitæ ſint.

Un-

Unde ſupremi Magiſtratus, ad quos ea cura pertinet, non tantum ſuperiora incommoda, ex legibus male intellectis provenientia, avertere ſtudent; ſed etiam cavere, ne domus noviter a Regularibus acquiſitæ monaſteriis adjiciantur, ſed ut locentur ſæcularibus. Quod & ipſis piis religioſis probatur, cum ſatis perſpiciant, tum ex numero, tum ex ampliſſimis ſpatiis monaſteriorum, majorem partem urbis occupari, & vix immenſæ civium multitudini ad habitandum locum ſupereſſe.

VIII. Quoniam in explicatione ſuperioris pragmaticæ interpretes non contenti propria, & ſpeciali ratione, quæ ibi exprimitur pro monialibus, recurrunt ad generalem, ut diximus, nempe ad favorem eccleſiarum, & monaſteriorum; ideo eam porrigere ſtudent ad monaſteria quoque monachorum. Quod ſane eſt contra mentem legis, imo & verba ipſa, nam loquitur ſpecialiter de monialibus; idque, vel ſolus titulus ſatis ſuperque oſtendit, qui cum *de monialibus* ſit inſcriptus, ipſo vocabulo excludit monachos. Authores Romani juris improprium, & inconveniens exiſtimabant, ut ſub voce fœminas ſignificante intelligeretur maſculus. Unde in *l. ſi ita* 45. *D. de legat.* 2. ſtatuitur, non pertinere ad filios legatum filiabus relictum, ubi notatu digna ſunt illa verba: *Exemplo enim peſſimum eſt, fœminino vocabulo etiam maſculos contineri*. Idem confirmatur in *l. ſervis* 81. *D. de legat.* 3. Sed Doctores noſtros hæc parum, aut nihil movent; imo & obliti ſunt vulgarium regularum, quas ipſi in aliis factorum ſpeciebus ubique jactitant: *in legibus ſpecialibus non eſt facienda extenſio de caſu ad caſum, de perſona ad perſonam: privilegia non ſunt amplianda ultra verba concedentis &c.* vide *l. quod vero* 14. *D. de legibus*, *&* *capit. ſane* 9. *de privileg.* Conatur Scipio Rovitus *deciſ.* 92. multis hinc inde conquiſitis rationibus vulgarem opinionem confirmare. Univerſa tamen ejus diſputatio refertur ad honeſtatem religioſarum domuum, quæ eodem, inquit, modo conſiderari debet in monialibus, ac in monachis. Sed abutitur vocabulorum ſignificatione. Honeſtas, de qua pragmatica loquitur, non eſt

intelligenda *in genere*, quæ non ſolis religioſis ſed cuicumque chriſtiano, imo cuicumque probo civi convenit, unde hoc ſenſu Xenocrates olim dicebat, honeſtatem requirere, ut nec manum, nec oculos in alienum immittamus: ſed intelligenda eſt *in ſpecie*, nempe de ea, quæ propria eſt monialium; ſiquidem inhoneſtum eſt illas aſpicere in ſuis habitationibus, & non ſemper propriis, atque omnibus veſtibus indutas. Imo earum vitæ inſtitutum omnino exigit, ut quoad fieri poſſit, ſint remotæ a conſortio, atque aſpectu extraneorum; quo fit, ut nec feneſtras habere poſſint ad vias publicas. Quæ omnia ſecus ſe habent in monachis, qui licite cum omnibus alloquuntur, ubique extra monaſteria converſantur, ad quaſcunque domos accedunt, e ſuis feneſtris tranſeuntes proſpiciunt; & propterea eorum honeſtati detrimentum nullum affertur, ſi e domibus vicinorum aſpiciantur.

PAR-

Digitized by Google

PARTIS PRIMÆ COMMENTARIORUM DE JURE REGNI NEAPOLITANI

LIBER II.

CAPUT I.

De legibus, earumque promulgatione.

EXpositis iis, quæ legibus Regni ſtatuuntur circa ſacra, hoc eſt ea, quæ pertinent ad ſtatum religionis confirmandum: accedamus modo ad reliquas juris publici partes, nempe ad Magiſtratus, ſequuti ordinem ab Ulpiano propoſitum in *l.* 1. §. 2. *D. de juſt. & jur.* Sed quoniam Magiſtratuum munus in eo conſiſtit, ut leges ad exequutionem perducant; ideo pauca quædam hic annotanda duxi de ipſis legibus. Sunt enim illi earum vivæ voces, *l.* 8. *cit. tit.* Et ad rem ſic ait prudenter Carolus I. Andegavenſis in primo ſuorum capitulorum: *cum nihil proſint conſtitutiones, & ſtatuta edita, niſi debita exequutio ſubſequatur*. Unde paſſim legum authores earum curam inculcant, vid. *cap. item ſtatuimus* 138., *cap. conſtitutiones* 172., *cap. item quod prædicti* 268., *& cap.* 44. *inter privilegia Friderici Aragonenſis*. Non autem neceſſarium erit exponere quæ ad legum vim, atque authoritatem, earumque interpretationem ſpectant; ſiquidem generalibus regulis ea continentur tum philoſophorum, tum juriſconſultorum; cumque nihil peculiare de legibus Regni dici poſſit, quod cum aliis non ſit commune, ideo ad eos mittimus juris ſtudioſos, ne videamur inutiliter tempus te-

re-

rere; & ne hos commentarios rebus totidem repetitis fruſtra oneremus, prout ſolent qui ſuo, & aliorum otio abutentes, dum tranſcribunt aliena, impudenter haberi volunt pro novorum operum compoſitoribus.

II. Igitur circa leges in Regno notabilis eſt conſtitutio Gulielmi I. quæ legitur ſub titulo *de præſtando ſacramento &c.* ubi cum Rex juſſiſſet ante officii ſuſceptionem juramentum præſtandum eſſe a Bajulis, & Camerariis, addit, eoſdem judicare debere primo ſecundum conſtitutiones, hoc eſt leges Principum Normannorum, deinde ſecundum conſuetudines approbatas; demum ſecundum jura communia, ſcilicet Longobarda, & Romana. Etenim ea ætate utrumque jus obtinebat in Regno pro diverſitate locorum; in quibuſdam enim Romanum, in quibuſdam utrumque ſervabatur, ut notat Andreas de Iſernia. Quod ſtatuit Rex non omni ex parte temporibus hiſce obtinet, nam jus Romanum paulatim majores vires acquirendo, Longobardum omnino extinxit; niſi quædam exceperis, quæ translata in conſtitutiones, aut uſu confirmata, adhuc vim legis habent. Quod autem dicitur de conſuetudine approbata, ut ſervari debeat in defectu conſtitutionum, verum non eſt, nam in hac civitate, ubi propriæ, & peculiares conſuetudines pro legibus obſervabantur; eædem vim ſuam habent etiam contra conſtitutiones Regni; eodem modo ac Barenſes conſuetudines, quibus non diſſimilis authoritas impartita eſt. Quæ omnia ſuis locis clarius apparebunt. Et propterea hac in re talis definitio vera erit: Pro legibus in Regno habentur primo conſuetudines ſpeciales locorum, modo ſint legitimæ, hoc eſt vel expreſſa Regia authoritate confirmatæ, vel tacita per longævum uſum; nam viri docti ſic ſtatuunt, inter quos Weſſembecius in *paratit. D. de legibus*, non poſſe populum Principi ſubjectum novam legem inducere per uſum, niſi vel expreſſus interveniat illius conſenſus, & confirmatio, prout ſunt ſuperiores, quas modo notavimus in Regno conſuetudines; vel ſaltem tacitus, cum ſcilicet Princeps ſcit novum uſum a populo introductum, & ei ſeſe non opponit. Secundo pro legibus

ob-

obſervantur conſtitutiones, cæteraque ſanctionum capitula, quæ comprehenduntur in libris, de quibus egimus in prolegomenis; eo tamen modo, ut ſemper poſteriora ſtatuta derogent prioribus. Demum jus Romanum, quod extat in compilatione Juſtinianea.

III. Notatu quoque dignum eſt in re qua de agimus capitulum *item prædicta* 90. ubi Carolus I. poſt ſuarum conſtitutionum editionem, de earumdem promulgatione ſic concludit: *Item prædicta omnia capitula in ſingulis civitatibus, & terris famoſis, in quolibet Juſtitiariatu per ſingulos Juſtitiarios publicentur. Et tam ipſis civitatibus, quam terris famoſis, quam aliis caſtris, & villis tranſcripta reddantur ſub ſigillo Juſtitiarii regionis.* Hoc ipſum ferme confirmatur in *capit. item ſtatuimus* 138. Nec deſunt alia exempla in legibus noſtris. Quæ ſane non tam civili ratione nituntur, quam naturali; nam qui fieri poteſt, ut populus obligatione legum teneatur, niſi antea quid illis ſtatutum ſit, cognoſcat? Id utique fieri nequit, niſi per promulgationem; quæ apud omnes nationes ſemper fuit uſitata, & adhuc eſt; eaque tam neceſſaria videtur, ut rectiſſime dictum ſit a Gratiano *diſt.* 4. *poſt can.* 3.: *leges inſtituuntur, cum promulgantur*; quaſi quod ante promulgationem, ne leges quidem ſint, aut dici poſſint. Forma promulgandarum legum varia ſolet eſſe pro temporum, locorumque vario uſu. Antiquitus æneis tabulis inciſæ publicis in locis proponebantur; quod & ſub Imperatoribus uſurpatum legimus, vid. *l. unic. C. T. de jur. Ital. Urb. Conſtantinop. l.* 4. *de ſuariis eod. & l. ult. de frum. Urb. Conſtantinop. eod.* Hoc autem, ut notat Gothofredus, fieri ſolebat in legibus, in quibus de urbium, & populorum utilitate agebatur; ſiquidem in cæteris negotiis promulgatio pertinebat ad Magiſtratus ſive urbanos, ſive provinciales, vid. *exemplum in fin. novell.* 48. ubi Præfecto Prætorio injungitur, ut ea lex *ſolemniter per programmata propria manifeſta fiat univerſis*. Quod non diſſimile eſt a forma ſtatuta in capitulis Regum noſtrorum. Hinc paulatim apud nos inductum fuit, ut leges, cæteraque Regia edicta a præcone, ſpeciali-

ter

ter huic muneri deſtinato, in locis frequentioribus publicentur, & publicationis atteſtatio apponatur in calce earumdem legum. Quinimo varia affiguntur publice exemplaria, quæ de plano ab omnibus legi poſſunt; idque & in Gallia uſitatum fuiſſe refert Cujacius *lib. 7. obſervat. cap. 29.* ex fragmento antiquæ legis in æs inciſæ, in quo hæc verba extant: *Apud forum palam, unde de plano recte legi poſſit &c.* Quamobrem merito reprehenſus fuit Caligula apud Svetonium, qui leges proponebat minutiſſimis literis, & anguſtiſſimo loco, ne cui eas legere, & deſcribere liceret.

IV. Publicata jam lege, quæri ſolet, a quonam tempore ejus obligatio incipiat. Vulgo creditur, id evenire poſt duos menſes a die publicationis. Hanc opinionem amplectitur Tapia in *comm. ad cit. cap. item ſtatuimus*; unde ex ea infert, liberari eum, qui commiſit in legem, quoties id evenerit intra illud ſpatium temporis. Verum hæc opinio ab omni ratione remota eſt, quoties probabilis conjectura exiſtit, legem aut ſtatim, aut intra paucos dies poſt publicationem ad ſingulorum notitiam pervenire potuiſſe; quod facile erit in parvis oppidis, aut vicis. Nec movemur *auth. ut factæ novæ conſtitutiones &c.*, quæ eſt novella 66., nam licet in ſpecie ejus legis ſtatuantur duo menſes; tamen alibi præfiniuntur tres, ut in *novell.* 58.; alibi unus tantum ut in *novell.* 116. Et propterea ſuperior quæſtio ad arbitrium boni viri redigenda eſt, quoties tempus a legislatore præfinitum non reperitur.

V. Quæ generaliter de legum promulgatione in locis, in quibus illæ ſervandæ ſunt, pro certo ſtatuuntur, & obtinent, in dubium revocarunt nonnulli pontificii juris interpretes, quoties agitur de eccleſiaſticis conſtitutionibus; nam Joannes Andreas cenſuit, ſufficere earum publicationem in Romana Curia. Sed ejus opinio non probatur Panormitano in *cap. cognoſcentes de conſtitut.* quem ſequuntur doctores, theologi, & canoniſtæ; repugnat enim tum rationi, ſcilicet ut teneantur chriſtiani vel in remotiſſimis regionibus degentes ſcire, quæ Romæ peracta ſunt; tum ipſis canonicis ſanctionibus: etenim non ſemel in legibus eccleſiæ,

ſiæ, publicationis faciendæ per Prælatos ſit mentio, ut in *can. 22. Concil. Lateranenſ.* unde deſumtum eſt *cap. 13. de pœnitent. & remiſſ.* ubi exponens verba Pontificis Gonzalez ſic ait in notis: *Quia lex non obligat ante promulgationem.* Et in *cap. 1. de reform. matrim. ſeſſ.* 24. ſic concludit Tridentina Synodus: *Decernit inſuper, ut hujuſmodi decretum in unaquaque parochia ſuum robur poſt triginta dies haberi incipiat, a die primæ publicationis in eadem parochia factæ, numerando*. Denique repugnat uſui, & conſuetudini jam receptæ, nam & decretalium compilationes ipſimet Pontifices publicandas curarunt, præſertim dum celebrioribus academiis explicandas tranſmiſerunt; & quotidie in more habent, ut publicis typis evulgatas conſtitutiones tranſmittant Epiſcopis, cæteriſque Prælatis eccleſiaſticis, quibus curæ eſt eas in ſuis diœceſibus patefacere; poſtquam earum exequutio impetrata eſt a laicis magiſtratibus, qui ſummæ rerum præſunt. Quod authoritati eccleſiaſticæ præjudicium nullum infert; nam illorum cognitio in facto tantum verſatur, non enim inquirunt laici de rebus ad ſtatum ſpiritualem pertinentibus, non de ipſis legibus eccleſiæ, ſed tantum utrum illæ tales ſint revera; & utrum ex iis publicæ res aliquid detrimenti capiant: Etenim non ſemel Superiores abſentes ignorant quid publice expediat, quid ſecus. Permittit conſultiſſimus Pontifex Alexander III. in *cap. 5. de reſcriptis*, Epiſcopis reſcriptorum Apoſtolicæ Sedis exequutionem ſuſpendere, ubi *rationabilis cauſa prætenditur*. Igitur quanto magis id permittendum erit ſupremæ Principum authoritati, quoties rationabilis cauſa exiſtit?

VI. Sed non eſt opus, pluribus examinare quod jamdiu obtinuit in omnibus chriſtiani orbis provinciis, prout in hoc Regno, ubi quotidie *Regium exequatur* petitur ab ipſis eccleſiaſticis cuicumque proviſioni, cuicumque bullæ Pontificiæ, & nominatim quoties agitur de collatione beneficii; nam aliquando Pontifex ignorat qualitatem perſonæ, quæ utique Regi probanda eſt. Quo reſpexit Pontifex Nicolaus IV. dum conſtitutionem edidit apud Chioccarel. *tom. 4. de Reg. exequ.* prohibens, ad miniſteria eccleſiaſtica eos pro-

moveri in Regno, qui Regi eſſent ſuſpecti. At quomodo id poteſt cognoſci, niſi priuſquam Epiſcopus ſuæ adminiſtrationis regimen nanciſcatur, exequutionem impetraverit ab ipſo Rege? Adhæc privilegium, quo fruimur, noviſſime confirmatum in *cap.* 8. *Concord.*, ſcilicet ut beneficia in Regno non concedantur, niſi regnicolis, non poteſt ſervari, niſi proviſiones beneficiorum, quæ Romæ fiunt, examinentur, ne fraus fiat privilegio; dum quis falſo aſſeverare poteſt Pontifici, ſe eſſe regnicolam. Sed nihil magis confirmat uſum apud nos receptum, legitimumque reddit, quam Innocentii III. reſcriptum in *cap. cum inter* 18. *de electione*; ubi poſtquam canonicis eccleſiæ Campanæ quid ſervandum eſſet circa electionem ſui Archiepiſcopi Pontifex præſcripſiſſet, demum iis injungit, ut facta electione ab eo poſtulent aſſenſum *vice Regia*. Quæ verba cum non perciperent antiqui Canoniſtæ, propter hiſtoriæ imperitiam, miſere hallucinati ſunt, unde merito a Gonzalez reprehenduntur, qui recte notat, Innocentium III. ea ætate Balium egiſſe hujus Regni, dum Fridericus II. adhuc minor erat; & propterea cum Reges ſolerent aſſenſum præbere electionibus Epiſcoporum, voluit ſapientiſſimus Pontifex tale jus intactum ſervari, durante ſua adminiſtratione; unde ipſe præbebat aſſenſum *vice Regia*; ſatis ſuperque cognoſcens, ea ratione eccleſiaſticam authoritatem non lædi, ſed tantum ſervari uſum jam receptum in Regno. Quod multo magis affirmandum eſt noſtra ætate, in qua non Regius aſſenſus in electionibus Prælatorum requiritur, ſed tantum *Regium exequatur*. Quæ commutatio facta creditur, cum primum translatum fuit Regnum ad Principes Andegavenſes. Et non leve diſcrimen inter utrumque adeſt, nam aſſenſus tribuit jus electo, & quodammodo confirmat, quod antea imperfectum cenſebatur, prout apparet in contractibus, qui confirmandi ſunt per aſſenſum Pontificium, aut Regium: At ex Placito Regio, ſive *exequatur*, tantum declaratur voluntas Principis, nempe perſonam electam ſibi, Regnoque incommodam, aut ſuſpectam non eſſe.

CA-

Digitized by Google

CAPUT II.

De Magiſtratibus, eorumque origine, officio, ac poteſtate in Regno.

INERTES fiunt leges, & otioſæ, quoties hominis miniſterium deeſt, unde illæ transferri poſſint ad uſum, atque accommodari ad incidentes controverſias. Hinc cum ipſis legibus ortum habuere Magiſtratus, qui, jus petentibus reddendo, explicarent voluntatem eorum, qui leges tulerunt. Ne autem libera eſſet Magiſtratuum facultas, intra certas regulas, certoſque limites comprehenſa fuit. Quod cum publice interſit, ideo munus, & poteſtas judicantium, qualis eſſe debeat, ad jus publicum pertinet. Romani equidem mortalium cordatiſſimi, & de publica utilitate perquam ſolliciti, Magiſtratuum creationem, & officium ſummæ rerum attribuebant; quoniam ex illorum virtute, & diligentia, leges, & per conſequens ſtatus univerſalis conſervatur; contra, ex vitiis, atque oſcitantia infirmatur, & diſsolvitur. Verum creſcente morum intemperie, creſcit eodem tempore, juſti rectique neglectus inter judicantes; & propterea ſequiori ætate plura adhibita fuere remedia ab iiſdem legibus, pro illorum authoritate regenda, prout videre eſt in conſtitutionibus Imperialibus, tum in Codice, tum in Novellis. Quod evidentius apparet poſt interitum Romani Imperii ad hanc uſque ætatem, præcipue in hoc Regno; nam ſi diligenter noſtrarum legum volumina excuſſeris, infinitæ propemodum cernuntur ea de re ſanctiones; idque firmiſſimum argumentum præbet, uſum, & experientiam docuiſſe, eos male in ſuo munere verſatos eſſe; nam leges novis exorientibus incommodis, & vitiis, ſolent nova remedia præbere. Cum igitur ad hæc pertractanda, ſecundum ordinem propoſitum, accedere debeamus, breviter danda opera eſt, ut noſtrorum Magiſtratuum origines, & progreſſus, eorumque in novam formam mutationes primo inquiramus, quò facilius leges eodem pertinentes percipere poſſimus, atque ex-

explicare; ſiquidem ex earum rerum imperitia, innumeræ natæ ſunt, & quotidie naſcuntur controverſiæ; nam qui ignorat principium, atque inſtitutionem ſui officii, facile ab eo quid detrahere, aut ei quid novi addere ſtudet; unde frequentiſſimæ, & quotidianæ in foro diſceptationes circa competentiam, ut ajunt, vel incompetentiam judicis, non ſine publico damno, dum lites prolatantur; & a jure ipſo naſcuntur injuriarum occaſiones. His adde, quod Magiſtratus noſtri cum Romanis conferri a quibuſdam, & confundi ſolent, & propterea antiquas leges cum noſtris male permiſcentur, & utræque male applicantur negotiis quotidianis, quæ ob id ſæpiſſime non ſine magnis difficultatibus ad exitum perducuntur. Sed jam tempus eſt ad propoſitum devenire.

II. Dum Regni noſtri Provinciæ Romano Imperio ſuberant, eodem jure utebantur, ac reliquæ finibus Italiæ circumſcriptæ. Unde quæ civitates municipiorum privilegio gaudebant, regebantur per Decuriones; quos Conſulibus quodammodo æquales fuiſſe cenſet Cujacius in *l. 26. D. ad municipalem*. Et quales Romæ erant Conſules, tales in municipiis erant Decuriones. Sive rectius, conſtituebant Senatum, & erant quodammodo ſuarum civitatum Senatores; nam pro Conſulibus habebant Magiſtratus, ideſt Duumviros, vid. Gothofr. in *l. 5. C. T. de exhibendis reis*. Hi autem Magiſtratus municipales modicam coercitionem habebant, quæ potius ad juriſdictionem pertinet, quam ad imperium, ſive jus gladii; itaut nec de ſervis quidem ſumere ſupplicium potuerint, *l. magiſtratibus 12. D. de juriſdictione*. Ubi notat Goveanus, antequam exteris gentibus Romani jura darent, cujuſque Magiſtratum animadvertiſſe in facinoroſos homines; quando autem extera regere imperia cœperunt, jus hoc animadvertendi ſuum eſſe voluiſſe. Et inde in ſacris Literis Judæi Pilato reſponderunt, ſibi non licere interficere quemquam, cum ille juſſiſſet, ut ſecundum leges de Chriſto ſtatuerent. Idem dicendum de Magiſtratibus coloniarum, quæ ſuos quoque creabant Decuriones, qui *colonici* a Svetonio in Auguſto *cap. 46.* appellantur; fortaſſis, ut

Digitized by Google

ut diſtinguerentur a Decurionibus municipiorum. Hi quotannis binos e ſuo corpore eligebant, qui dicebantur Duumviri juri dicundo; imperium tamen non habebant, ſed ſimplicem juriſdictionem, prout & Duumviri municipiorum, adeout nec pœnali judicio ſuam potuerint juriſdictionem defendere, ex ſententia Ulpiani in *l. 1. D. ſi quis jus dicenti &c.* Paulatim ſub Imperatoribus jus municipiorum, & coloniarum imminutum, & ſenſim ſublatum fuit; & nominatim ex conſtitutione Antonini *l. 17. de ſtatu hominum*, qua effectum, ut qui in orbe Romano eſſent, ideſt ſub Imperio Romano, cives Romani fierent. Et propterea ſive Romæ, ſive in Italia, ſive in Provinciis, omnes Romanis Magiſtratibus ſuberant, quibus jus gladii conceſſum erat.

III. Qui autem ab Imperatoribus ad Provincias regendas mittebantur Magiſtratus, non unius generis erant. Sub Auguſto Præſides, & Proconſules Provinciis præerant. Scribit Dio *lib. 53.* Auguſtum Provincias pacificas Populi, & Senatus curæ commiſiſſe, a quibus deſtinabantur Proconſules; validas vero & periculo propiores ſibi reſervaſſe, iiſque regendis Præſides creabat, quos propterea, Legatos Cæſaris dictos fuiſſe notat Cujacius in *l. ult. D. de juriſdictione*. Quo nomine etiam continebatur Corrector Provinciæ *l. legatus 20. D. de officio Præſidis*. Qui Magiſtratus poſt tempora Hadriani invaluit. In Codice Theodoſiano non ſemel conſtitutiones leguntur Correctoribus tranſmiſſæ. Erant & Conſulares; erant & Vicarii; & omnium maximi Præfecti Prætorio, qui temporibus Conſtantini Magni, & deinceps, non tantum rei militaris curam gerebant, ſed etiam inquirebant de adminiſtratione omnium Magiſtratuum provincialium, vid. Gutherum in *lib. de offic. dom. Auguſt.* & Gothofr. in *not. dignit.* Hi omnes Magiſtratus dividebantur in majores, & minores: majores, veluti Præfecti Prætorio, Proconſules, Vicarii, præerant vel uni ex partibus Imperii, vel pluribus Provinciis. Minores vero erant judices ordinarii ſingularum Provinciarum, ut Præſides, Conſulares, Correctores. Unde illorum authoritas erat tantum in cauſis appellationum, vel reviſionum; horum vero ordinaria erant ju-

Digitized by Google

judicia, vid. eund. Gothofr. *loc. cit.* Ex his patet, magiſtratus, & judicis nomen, quod olim diſtinguebatur, ſub Imperatoribus idem ſignificaſſe; quemadmodum juriſdictio, & imperium amplius non fuerunt diſtincta; nam titulus, qui extat in *Cod. Theodoſ. & Juſtin. de juriſdictione*, pertinet etiam ad cauſas criminales. Quod ſane hodie in communi uſu loquendi apud nos obſervatur, prout etiam apparet in legibus Regni.

IV. Ab his igitur Magiſtratibus regiones noſtræ gubernabantur, uſquedum in dominium pervenirent exterarum gentium. Gothi equidem, dum rerum potiti ſunt in Italia uſque ad annum 553. in provinciis hujus Regni ferme nihil immutarunt tum circa leges, tum circa Magiſtratus, ut in eorum hiſtoria apud Grotium videre eſt, & in libris Caſſiodori. Iis quidem exactis, non diuturna fuit Græcorum Principum apud nos dominatio, qui ſane, ut refert Sigonius *lib.* 1. *de Regno Italiæ*, novam induxerunt Magiſtratuum formam, ſiquidem ſublatis Rectoribus provinciarum, in unaquaque civitate Ducem, veluti Gubernatorem conſtituebant, & judicem, qui in cauſis, ſive civilibus, ſive criminalibus jus diceret; & ab illis tantum ad Ravennæ Exarcam, qui ſummum in tota Italia imperium obtinebat, appellationes, reviſioneſque porrigebantur. At Longobardi, qui circa annum 570. Italiam occuparunt, & majori ex parte regiones noſtras, ſimul cum novis legibus novos induxere Magiſtratus. In ſingulis ferme civitatibus judices conſtituere ſolebant, quos Comites appellabant. In legibus etiam Romanis Comitum fit mentio, ut in *l.* 4. *D. de officio aſſeſſor.* ſed erant Aſſeſſores, & Conſiliarii, quos ex Italia ſecum Præſides ducebant, ut explicat Cujacius, iiſque utebantur in jure dicendo. Sed apud Longobardos Comites erant judices ordinarii locorum *lib.* 2. *feud. tit.* 27. *§. ſi judex*, & in codice legum Longobardarum *lib.* 2. *tit.* 52. ſic ſtatuitur: *Si Comes in ſuo miniſterio juſtitiam non fecerit, tunc Miſſus noſter de hac cauſa ſinare* (hoc eſt inquirere explicat Lindebrogius) *faciat &c.* Uſus quoque erat apud Longobardos, ut aliquando prudentes viri, & morum

rum

Digitized by Google

rum integritate conſpicui aliquando mitterentur a Principe per provincias, ut ſubditorum querelas audirent adverſus judices, & dicebantur *Miſſi*. Apud nos qui idem munus exercebant, dum Regnum erat ſub Hiſpanorum ditione, appellabantur *Viſitatores*, de quorum facultate agit de Ponte *tit*. 3. §. 7. *de poteſt. Proreg*. Quoties ſatis amplæ civitates erant, vel ubi Comes pluribus civitatibus præerat, tunc eligebantur quidam, qui erant veluti adjutores Comitum, vid. *l. 5. eod. lib. 2. leg. Longob. tit. de ſcabinis*. Si Comes erat abſens, poterat Vicarium eligere, qui tantum in cauſis levioribus exercebat juriſdictionem *cit. tit. 52. l. 7*.

V. Præter Comites erant apud Longobardos Gaſtaldi. Quod nomen primitus apud eos militare erat, quemadmodum Dux. Et denotabat centurionem, ſive tribunum, vid. *l. 3. & 5. tit.* 14. *lib.* 1. *in legib. Longob.* Poſtmodum Gaſtaldi dicebantur cuſtodes, actores, ſive procuratores prædiis, aut villis regiis impoſiti, tanquam œconomi, aut villici, ut ex iiſdem legibus notat Cancius, ubi & exempla occurrunt, ex quibus patet, paulatim iis adjunctam fuiſſe juriſdictionem. Non poſſum autem citato Cancio aſſentiri, dum ſcribit, eos bajulis, ſive balivis comparari; hi etenim cauſas tantum civiles tractant, & criminales leviores; at Gaſtaldi quæcunque crimina cognoſcebant, etiam publica, ſecundum Romanas leges, ut eſt crimen de ſepulchro violato *l.* 8. *D. de ſepulchro violato*; unde ſic ait *l. 2. legum Longobard. lib.* 1. *tit.* 12. *Si quis ſepulturam hominis mortui ruperit, & corpus expoliaverit, aut foris jactaverit, nongentorum ſolidorum ſit culpabilis parentibus defuncti. Et ſi parentes proximi non fuerint, tunc Gaſtaldus Regis, aut Scultaſius requirat culpam ipſam, & ad curtem Regis exigat*. Hoc eſt inquirat de crimine, & reo invento, pœnam ab eo exigat in beneficium fiſci Regis; nam non ſemel in iis legibus curtis accipitur pro fiſco. Scultaſius in veteribus gloſſis apud eundem Cancium, eſt pedaneus judex, & aliquando appellatur *Scultais*, aliquando *Sculdachius*. Facile crediderim, id genus judices Comitibus, & Gaſtaldis legum imperitis datos fuiſſe pro aſſeſſoribus. Cum ve-

Digitized by Google

vero Gaſtaldi ſæpius in officio confirmarentur, paulatim factum eſt, ut Gaſtaldatus eis cederent in feudum, unde titulus in libris *feudorum de Feudo guardiæ, & gaſtaldiæ*; & in hiſtoriis Regni nonnulli feudatarii appellantur Gaſtaldi.

VI. Extincto paulatim Longobardorum Imperio per Normannos, hi novos Magiſtratus inſtituerunt, a quibus originem ducunt quædam in Regno, quæ nunc dicimus Tribunalia. Primi ſane Duces Normannorum armis, victoriiſque occupati, vix ea, quæ ad pacem pertinent, curabant; & propterea nec novas leges, nec novos inſtituerunt Magiſtratus. At Rogerius circa annum 1130. cum Siciliæ, noſtrarumque regionum magna ex parte dominus eſſet, aſſumto Regis titulo, nova officiorum, & magiſtratuum nomina, Francorum inſtituta ſequutus, ex quibus Normanni erant oriundi, conſtituit, & creavit. Ex eo tempore juri dicundo, criminibuſque coercendis Juſtitiarius præfuit. Quod vocabulum invenitur in legibus Rogerii, quæ inter conſtitutiones Regni ſunt antiquiſſimæ, vid. *conſtitut. Juſtitiarios, Camerarios &c.* Ea quidem ætate uſus erat, ut juſtitia acciperetur etiam pro juriſdictione, exempla vid. apud cit. Cancium; ex eoque factum, ut Juſtitiarius diceretur qui juriſdictionem exercebat. Sed quoniam unus par non erat, ideo ſtatuit Rogerius ſupremum juſtitiæ Magiſtratum, qui propterea Magnus Juſtitiarius dicebatur, & utplurimum comitabatur Regem. In certis autem provinciis Regni ſpeciales alios creavit Magiſtratus, qui dicebantur Juſtitiarii ſimpliciter. Quem morem apud Anglos etiam fuiſſe, qui & Normannis ſubjecti fuere, notat idem Cancius. Ex creatione Juſtitiariorum factum fuit, ut Regnum noſtrum in provincias divideretur, quarum unaquæque appellabatur *Juſtitieratus*, veluti Apuleæ, Calabriæ &c. quemadmodum ſub Longobardis eædem regiones utplurimum diſtinguebantur nomine Gaſtaldatus.

VII. Hos Juſtitiarios veriſimile eſt, vel ex quo primitus fuerunt inſtituti, cum cauſæ magni momenti apud eos tractarentur, prudentum virorum conſilio uſos eſſe, ſi-

Digitized by Google

ve judices, & aſſeſſores in judicando adhibuiſſe. Hoc ſane pro certo affirmarem, ſi conſtitutio *Advocatorum officium ſub tit. de advocatis ordinandis* Rogerium authorem haberet; nam ibi diſerte cavetur, ut advocati examinentur *coram juſtitiario regionum per judices, qui eis pro tempore aſſident.* Sed ea conſtitutio in vulgatis editionibus Friderico Imperatori tribuitur, & recte, nam Curia, cujus ibi fit mentio, tempore Friderici extabat, non tempore Rogerii; ſiquidem conſtans eſt hiſtoricorum noſtrorum ſententia, Curiam, quæ poſtea Magna Curia appellata eſt, authorem habuiſſe Gulielmum I. Rogerii filium. Et propterea fallitur Carolus Tapia, qui eam conſtitutionem referens *in tit. de offic. advocat.* inſcriptionem poſuit, *Rex Rogerius*, & deinde tum in *ſumma*, tum in notis eam interpretatur de judicibus Magnæ Curiæ, quæ ætate Rogerii nondum extabat.

VIII. Mortuo igitur Rogerio, Gulielmus I. ejus filius uſus quidem fuit iiſdem Magiſtratibus; ſed poſtmodum, quo rectius res procederent, quoſdam judices Panormi conſtituit, qui Magiſtro Juſtitiario aſſiderent, omnibuſque ſimul in unum collectis nomen fecit *Magna Curia*, quæ etiamnum Panormi ſic appellatur: licet apud hiſtoricos de certo tempore non conſtet. Probabilius tamen creditur id eveniſſe circa annum 1162. Et non ineleganter Curiæ verbo uſus eſt; nam ſicuti olim Municipia ſuum habuere Senatum, qui dicebatur Curia, videſis Gothofr. in *paratit. C. T. de Decurionibus*; eodem modo, cum in ſuis Regnis Senatum quemdam virorum prudentum Rex conſtituiſſet, apud quem majoris momenti negotia tractarentur, Curiam appellari voluit. Et quo majori titulo decoraretur, dicta quoque fuit Magna Curia. De numero etiam judicum primitus conſtituto dubitatio eſt; nam licet Author hiſtoriæ civilis *lib. 20. cap. 6. §. 1.* aſſerat, quatuor in magna Curia adfuiſſe judices, & poſtea a Friderico II. additos advocatum, & procuratorem fiſci, præter ſcribas, & apparitores; tamen vereor ne ejus aſſertio erronea ſit; ſiquidem ex conſtitutione *ſtatuimus tit. de offic. magiſtr. juſtit. & judic. magn. Cur.*

 ap-

apparet, eum numerum tunc primum a Friderico ſtatutum, cum antea certus non eſſet; ſic enim loquitur Imperator: *cui* (magiſtro juſtitiario) *quatuor judices volumus aſſidere*. Si igitur quatuor erant judices ante Friderici tempora, non video quid ſibi voluerit his verbis Imperator.

IX. Quod addit citatus hiſtoricus de advocato, & procuratore fiſci primum a Friderico inſtitutis, nec etiam admittendum eſt; etenim Gulielmus I. in *conſtit. quæſtiones tit. de quæſtion. inter fiſcum, & privatos* expreſse meminit advocati, & procuratoris fiſci. Illud tantum colligi poterit ex legibus Friderici, ut in conſtit. *præſides*, & in conſtit. *beneficium*, ejus ætate tantam fuiſſe magiſtri Juſtitiarii authoritatem, ut advocatum, & procuratorem fiſci ipſe poſſet conſtituere, quod & Matthæus de Afflictis notavit ad ritum 17. Et fortaſſis ex jure Romano, nam Vicarii, & Rectores poterant in provinciis dare, & eligere advocatos fiſci ex *l.ult. ubi Gothofr. C. T. de Advocato Fiſci*. Sed hodie hæc aliter ſeſe habent, nam ejuſmodi officia pertinent immediate ad electionem Regis. Plura huc pertinentia dicemus infra.

X. Ex iis, quæ modo propoſita ſunt, ſatis apparet, ex primæva ſua inſtitutione Magnam Curiam munere ſupremi Magiſtratus functam eſſe, non tantum in Provinciis Regni noſtri, ſed etiam in Sicilia, quando utrumque Regnum eidem Principi ſuberat. At ſub Carolo I. Andegavenſi cum Sicilia alieni juris facta eſſet, diviſa fuit ejus authoritas, veluti in partes duas; & in Sicilia retinuit antiquum nomen; apud nos autem appellata ſuit Magna Curia Vicariæ; ſed corrupte, ut notant noſtri ſcriptores, cum dici deberet Magna Curia Vicarii. Nam cum Carolus I. bello compulſus peregre profecturus eſſet, novam Curiam inſtituit, in qua majoris momenti negotia pertractarentur, & præſertim publica; illiuſque Præfectum fecit ſuum filium primogenitum, ut eſſet Regis Vicarius; & ob id ea Curia cognominabatur Vicarii. Carolus II. Andegavenſis variis conſtitutionibus, & ſtatutis Curiam Vicarii confirmavit, & ampliavit. Et exinde factum eſt, ut duæ Curiæ eſſent in Regno, Vicarii una, quæ & major; altera minor, quæ antiquum

quum nomen Magnæ Curiæ retinuit uſque ad tempora Joannæ II. & Alphonſi I. Aragonenſis, in quibus paulatim ex duabus una Curia facta fuit, & ab utriſque nomen mutuata eſt.

C A P U T III.

De authoritate, & juriſdictione Magnæ Curiæ.

IN diſputatione jam inſtituta de Magiſtratibus Regni, legibuſque ad eos ſpectantibus, non ſequemur ordinem dignitatis, & juriſdictionis, ſed antiquitatis, & temporis; & propterea de Magna Curia primo loco diſſerendum propoſuimus. De cujus origine poſtquam breviter diximus, videndum deinceps quid noſtræ leges circa ejus authoritatem, juriſdictionem, & privilegia ſtatuerint.

II. Solent noſtri utplurimum, dum exprimere volunt collegium, quo Magna Curia componitur, Tribunal nominare, quemadmodum uſus fert in reliquis ejuſdem generis; unde dicunt Tribunal Magnæ Curiæ, Tribunal Sacri Conſilii &c. Sed abutuntur vocabulo, nam apud Latinos, Tribunal non pro collegio judicantium, ſed pro loco ſublimi, & edito accipitur, in quo conſidentes Magiſtratus jus dicunt. Exempla obvia ſunt: Livius *lib.* 8.: *Tum ſilentio facto præco Q. Fabium magiſtrum equitum citavit, qui ſimul ex inferiore loco ad Tribunal acceſſit.* Hinc *pro tribunali* cognoſcere, erat quando de negotiis gravioribus magiſtratus jus dicebant in loco conſueto ſolemnibus adhibitis; at in cauſis levioribus cognitio erat *de plano*, hoc eſt, quocunque in loco, ſella tantum poſita, componebantur controverſiæ, quas pragmatici nunc appellant cauſas ſummarias, vid. *l.* 9. §. 3. *D. de officio Proconſ.* Nos autem in præſenti, facilioris explicationis gratia, communem, receptumque uſum loquendi ſequemur.

III. Erat Magna Curia ſub Normannorum dynaſtia non tantum ſupremum Tribunal, ut diximus, ſed & Principis Comitatus, Principis Aula; & propterea penes eum erat utplurimum, eumque comitabatur. Quod & ætate

Friderici II. obtinuiſſe colligi poteſt ex conſtit. *ſtatuimus ut Magnæ Curiæ*. Et inde factum, ut quod olim proprium erat Comitatus Imperatorum orientalium, circa cauſas viduarum, & pupillorum, protraxerit Fridericus ad Comitatum ſuum, hoc eſt ad Magnam Curiam. Cum temporibus Conſtantini Magni ſolerent aliquando ex reſcripto imperiali, juſtis cauſis exiſtentibus, evocari litigantes e foro competenti ad conſiſtorium imperiale, placuit Imperatori in *leg. unic. Cod. quando Imperator &c.* privilegium concedere pupillis, viduis, diuturno morbo fatigatis, ac debilibus, ut quacunque de cauſa, licet impetratum fuerit reſcriptum, non poſſent illi extra forum ſuum ordinarium exhiberi ad Aulam Principis. Optima ſane ratione, ne tales perſonæ miſerabiles, itineribus, & neceſſitate diſpendiorum impeditæ, ab adverſariis ſuis opprimerentur. At e diverſo ipſæ poſſent adverſarios evocare in Curiam Principis. Et in ſumma, ut ait Gothofredus, per eam legem trahere poterant, non trahi. Voluit igitur Fridericus hoc idem confirmare, & Magnæ Curiæ tribuere quod olim tributum fuerat Aulæ imperiali, ut diximus.

§. IV. Ex his patet, quam male non minus legem Conſtantini, quam Friderici ad uſum fori traducunt pragmatici, & præſertim qui vulgo *prablici* appellantur; nam ex ea conficiunt generale axioma, concedi miſerabilibus perſonis electionem fori. Quod omnino eſt falſum; etenim ad Curiam tantum Principis, non ad alias trahere illæ poſſunt adverſarios ſuos. Et ratio legis ea fuit, quia præſumendum eſt, coram Principe miſerabiles perſonas ab oppreſſionibus tutas fore. Quod ſecus ſe habet in curiis inferioribus, in quibus non eſt cur magis in una, quam in alia litigari debeat. Quinimo, ut eſt facile errores erroribus ſuperaddere, ſtatuunt iidem doctores variationem fori, ſcilicet, ut cœpta jam lite coram uno judice, liceat miſerabilibus perſonis, eo relicto, alium adire, etiam inferiorem. Quod ſane a mente Conſtantini, & Friderici, & ab omni æquitate omnino eſt alienum; nam beneficium ob commiſerationem conceſſum vertitur in cavillationes, unde frau-

do-

doloſæ proveniunt dilationes in litibus pertractandis; & judicum moleſtæ occupationes; quas dum proponit de Franchis *deciſ.* 100. *num.* 20. vulgari errore imbutus, non animadvertit, eas provenire ex mala interpretatione legum in forum inducta. Quæ eadem occaſionem dedit ineptæ diſputationi circa juramentum *perhorreſcentiæ*, ut vulgo dicunt. Jure communi unicuique permiſſum eſt Principem adire, & impetrare reſcriptum, ut in ejus Curia lis pertractetur, ſive apud judices ſpecialiter ab eodem deſtinatos, hoc eſt extra ordinem, ut loquitur Paulus *lib.* 5. *ſent. tit.* 5. §. 1. idque oſtendunt *l.* 9. *C. T. de juriſdictione*, & *l.* 4. & 5. *eod. C. de denunciat. & edit. reſcript.* Verum id fieri debet ex juſta, & legitima cauſa, ne ordinaria judicum turbetur juriſdictio cum incommodo, & diſpendio litigantium. Juſta autem cauſa cenſetur eſſe, cum quis perhorreſcit potentiam adverſarii; quod expreſſe ſtatuitur in *novell.* 1. Imperatoris Martiani, ubi dum prohibetur, aliquem exhiberi de Provincia ad Comitatum Principis, additur illis verbis exceptio: *niſi propter poteſtatem adverſarii*. At Conſtantinus voluit in *d. l. unic.* generale privilegium evocationis concedere miſerabilibus perſonis, ut ſemper eo uti poſſint: *præſertim cum alicujus potentiam perhorreſcant*. Quæ verba clare denotant, hanc cauſam non præciſe requiri, ſed privilegium dari multo magis quoties ea interveniat. Nec mens Imperatoris alia potuit eſſe, nam ſecus, ſi evocatio datur miſerabilibus eo tantum caſu, cum timetur adverſarii potentia, inutile eſt privilegium, quoniam id omnibus competit jure communi. In conſtitutione quidem Friderici expreſſe cavetur, mulieres jurare debere, ſe adverſariorum potentiam perhorreſcere: ſed vel dicendum eſt, Petrum de Vineis compoſitorem conſtitutionis minus recte legem Conſtantini percepiſſe; vel illam loqui tantum de caſu, ubi mulier aſſerit, ſe adverſarii potentiam perhorreſcere; & ne temere hoc dicat, adigenda erit ad jurandum. Hæc omnia cum ignoraſſent noſtri, vanis quæſtionibus ſeſe implicarunt, quæ non ſine temporis jactura, & juſtitiæ impedimento agitatæ ſunt in Tribunalibus,

ut

Digitized by Google

ut videre eſt apud de Franchis *deciſ.* 257. & Merlinum *controverſ. forenſ. tom.* 1. *cap.* 86. alioſque paſſim. Illud autem mirum videri poteſt, quod tale juramentum, poſt tot, tantaſque inutiles quæſtiones, factum ſit ſimplex ſcribarum formula, cum & ipſi, & miſerabiles perſonæ, quæ electionem fori petunt, quid ſit, ejuſque effectum ignorent. Imo ſive adſit, ſive non adſit adverſarii potentia, juramentum datur. Et notabile eſt, quod hac de re in ſua *praxi civili part.* 3. *lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 8. ſic ſcribit Leonardus Riccius: *Muſcatellus . . . . poſt cit. deciſ.* de *Franchis concludit, quod tempore ſuo nunquam vidit practicari, ut cum effectu præſtetur juramentum, ſed ſufficere quod dicatur in libello jurant perhorreſcere, & dictus Muſcatellus . . . . . dicit, quod procurator miſerabilium perſonarum in comparitionibus dicit, jurando perhorreſcere adverſariorum potentiam*. Sed amplius in his erroribus verſari me piget. Ad inſtitutam diſputationem revertamur.

V. Exceptis miſerabilium cauſis, in reliquis voluit Fridericus jus commune generaliter obſervari illis verbis: *In aliis autem nulli liceat adverſarium ſuum in noſtra Curia evocare; ſed apud civiles, & criminales judices &c.* Qua in re imitatus quadantenus eſt Valentiniani conſtitutionem in *l.* 6. *C. T. de juriſdictione*, in qua prohibetur, medio omiſſo, ſpretaque ordinarii judicis cognitione *ad altiorem judicem* recta iri. Imo nec ad Auditorium Principis, niſi appellationis remedio propoſito, *l.* 4. *C. de juriſdiction. omnium judicum*. Et rationem duplicem reddit doctiſſimus Gothofredus; primo quia infertur injuria ipſimet judici inferiori, cum nulla juſta de cauſa cognitio ejus, tanquam improbi, vel ſpreti, declinatur. Secundo quia continet hæc res injuriam adverſarii, cum extra proprium forum trahitur ad longinquum, cum magno ſumtu, & vexatione, quod fieri non oportet, vid. *novell.* 69. *tit. ut omnes obediant judicibus provinciarum*. Hæc cum ita ſint, mirum fortaſſe videri poteſt, cur placuerit doctoribus noſtris generalem hanc definitionem tradere: *Magna Curia eſt judex ordinarius totius Regni, tam in civilibus, quam in criminalibus*

cauſis. Et inter eos Scipio Rovitus in *pragm*. 1. *n*. 5. *de titul. ſeu inſcript. abuſu*, non contentus ea definitione pro jure certo uti, ejuſdem probandæ gratia citat ſuperiorem conſtitutionem Friderici, & Ritum 46. Contra in *comm. ad d. ritum* Caravita, qui etiam ad confirmationem ſuæ ſententiæ allegatur a Rovito, ſic ait *num.* 16. *Diſpoſitio iſtius ritus corrigit conſtit. Regni ſtatuimus*. Sed otioſis relinquamus has in doctoribus noſtris incogitantias indicare, quæ paſſim occurrunt. Verba cit. conſtit. *ſtatuimus* adeo clara ſunt, ut nullum relinquant dubitandi locum, Magnam Curiam non ordinariam in toto Regno juriſdictionem habere, ſed tantum in cauſis appellationum. Imo jubet Imperator, ut ſi quis rectà iverit ad Curiam, remittendus ſit ad judicem competentem. Communi errore involvitur Capiblancus in *prag*. 8. *de Baronibus part*. 2. *n*. 64. & abutitur *leg*. 33. *D. ad municipalem*.. ubi dicitur, Romam comunem patriam eſſe, ac proinde unumquemque ibi conveniri poſſe; ſiquidem id intelligitur, quoties quis Romæ invenitur, & non habet jus domum avocandi, vid. Donell. *lib*. 17. *comment. cap*. 13. & Gonzalez in *cap. ult. de foro competenti*. Concedamus igitur, privilegium, quod olim tributum fuit Romæ ab Imperatoribus, aptari poſse huic civitati, prout pragmatici opinantur, ex *cit. l.* infertur ſolummodo, unumquemque dum Neapoli eſt, recte conveniri poſse in Magna Curia; ſed quomodo deducitur inde argumentum, Magnam Curiam eſse judicem ordinarium in toto Regno, cum nec Magiſtratus, qui Romæ erant, ordinariam habebant juriſdictionem in univerſo Imperio? Quod autem forenſes doctores ignorent jus Romanum, novum ſane non eſt; ſed quod eodem tempore ignorent leges Regni, utique non eſt ferendum; nam lex Ferdinandi I. Aragonenſis, quæ extat in *pragm*. 2. *ubi de delicto quis conveniri debeat*. expreſse decernit, neminem poſse extra proprium domicilium vocari in prima inſtantia; ſeu, quod idem eſt, cujuſque loci proprium judicem habere juriſdictionem ordinariam, nec ſuperiores adiri poſse, niſi cum appellatio proponitur. Quæ conſtitutio & jus Romanum confirmat, & legem

gem Friderici; eoque jure utimur. Ex hoc errore non leve naſcitur incommodum, nam alter ex litigantibus dum judicium inſtituit in Magna Curia, quoniam cenſetur illud Tribunal ordinarium in toto Regno, recipitur libellus, ſi pars adverſa fuerit in provinciis Regni, & inde conficiuntur actus judiciarii; & demum petitur remiſſio cauſæ, unde occaſiones dilationum, & inutilium impenſarum; & non ſemel ea de re ad ſuperiora Tribunalia recurritur. Hinc Carolus Tapia dum male explicat conſtitutionem Friderici, ſic ſcribit: *Hodie tamen hoc non ſervatur, ſed indiſtincte Magna Curia audit omnes ad illam confugientes; bene tamen verum eſt, in dies proviſiones expediri per Collaterale Conſilium, quibus prohibentur vaſſalli adire Regia Tribunalia, omiſſo medio judicis ſecundarum, vel tertiarum cauſarum.*

VI. Obſtare videtur iis, quæ modo diximus ritus 46. M. C., ibi enim refertur Reginæ Joannæ II. conſtitutio, qua decernitur, *ut exceptis Regis familiaribus, & commenſalibus domeſticis, & actu ſervientibus, omnes quacunque dignitate præditi, ſive Principes, ſive Duces, ſive Comites, ſive Barones* (ſunt verba conſtitutionis) *aut quiſquis, licet regalibus munitus privilegiis, aut ipſamet Univerſitates terrarum, civitatum, caſtrorum, & locorum quorumcunque Regni, poſſint conveniri, & accuſari, ſive in Magna Curia, ſive in Curia Vicarii* (adhuc inter eas Curias diſtinctio erat tunc temporis). Imo & contra eoſdem juſſit, ut dictæ Curiæ procederent non minus per accuſationem, & denuciationem, quam ex officio. Ex hac conſtitutione videtur ordinaria in toto Regno Magnæ Curiæ juriſdictio tributa. Sed ſi volumus tantiſper nos avertere a vulgaribus veſtigiis interpretum, qui dum immanibus commentariis eum ritum onerant, verum ſenſum ejus ignorant; ibi inveniemus ſpecialem rationem, quæ poſtmodum temporis decurſu ceſſavit. Et quidem ea lege obviam itum fuit ſceleratorum, & potentium perfidiæ, qui & inferioribus judicibus parere abnuebant, & Magnæ Curiæ judicium detrectabant, exemtiones allegando, & privilegia, quæ innu-

numera fuerunt conceſſa a Principibus, qui poſtremi regnarunt de familia Andegavenſium; quando, omnibus in Regno miſerum in modum bello perturbatis, nullus legibus locus erat; unde facile a novis Regibus, quorum aliquando intuta erat regnandi ſpes, privilegia impetrabantur, aut ultro concedebantur. Hoc procul dubio ſignificare videntur illa verba ritus: *Non obſtantibus quibuſcumque privilegiis, & indultis, præfatis univerſitatibus, hominibus, & alicui ipſarum, & ipſorum de non trahendis, & conveniendis eiſdem in dictis Curiis, conceſſis, ſive per claræ memoriæ Dominum Regem Carolum III. & Dominam Reginam Margheritam proximos parentes, & Dominum Regem Ladislaum reverendiſſimum fratrem noſtrum; ac per noſtram celſitudinem, ſive per quoſvis alios illuſtres Regni noſtri prædeceſſores, cujuſcumque prætextu, etiam pro ſtatu reipublicæ, & motu proprio*. Prudenter igitur, hoc animadvertens Regina, eam legem tulit, ut ſcilicet ordinariam juriſdictionem in univerſo Regno Magna Curia exercens, nemo ejus judicium aufugeret quacunque ex cauſa; eoque modo ſuum unicuique tribueretur, & crimina punirentur. Ex his patet, minus recte compoſitores, eam legem inter ritus Magnæ Curiæ adſcripſiſſe; nam fuit nova conſtitutio pro Regni reformatione, non inveteratus uſus judicandi, prout ritum ſignificare ſcribit Caravita in principio comment. Quapropter temporum neceſſitati potius inſerviens, quam ut ordinaria locorum juriſdictio aboliretur, eam ſanctionem Regina promulgavit, quæ paulatim ex uſu abrogata fuit, vel ipſo Alphonſo I. Aragonenſi ejus ſucceſſore regnante, qui, ſi verum eſt quod vulgo noſtris placet, juriſdictionem, & imperium Baronibus conceſſit; quod ſane fuiſſet inutile, ſi ritus ſuperior tunc obſervabatur. Et deinceps, ne quis amplius dubitationi locus relinqueretur, Ferdinandus pragmaticam edidit, de qua ſupra, unde ordinaria judicum juriſdictio in univerſo Regno ſtatuta fuit, & confirmata.

VII. Nec quidquam movere nos debet conſtitutio *Honorem debitum*, qua cavebatur, ut ſi quando Magiſter Juſtitiarius, & judices Magnæ Curiæ civitatem aliquam Regni in-

ingrederentur, & quouſque curiam tenerent, Juſtitiarii illius regionis auctoritas, & juriſdictio ceſſaret. Nam primo non ſemper poſſumus tuto deſumere argumenta ab authoritate, quam temporibus Friderici II. obtinebat Magiſter Juſtitiarius, ejuſque Curia, ad id quod poſteriori ætate tributum eſt Magnæ Curiæ Vicariæ; nam olim erat Curia ipſius Principis, ut diximus, adeo ut in conſtitutione *præcipimus* idem Fridericus voluerit, *ut omnes petitiones tam de Imperio, quam de Regno, tam de juſtitia, quam de gratia offerrentur Magiſtro Juſtitiario*; unde non ſolum præerat juri dicundo, ſed etiam habebatur tanquam Magiſter libellorum. Et propterea non eſt mirum ſi decreverit Imperator, ut honoris gratia, ceſſaret pauliſper authoritas inferiorum judicum, quoties ille provincias Regni ſimul cum Curia peragraret; quod fieri tunc temporis ſolebat, imo præcipitur a Carolo II. Andegavenſi in *cap. inſuper ad fidelium*. Deinde etſi argumentum convenire concedatur, non ideo ſequitur, ordinariam eſſe juriſdictionem Magnæ Curiæ, ſiquidem ipſemet de Afflictis inter privilegia, ſive, ut noſtri dicunt, præeminentias id numerat: igitur non eſt jus ordinarium, ſed tantum conceſſio quædam honorifica, quæ perduravit uſque ad ætatem Reginæ Joannæ II., ut patet ex ritu 48.; etenim poſteriori ætate ferme ſemper in hac civitate illud Tribunal permanſit. At ſi unus ex judicibus, vel plures per provincias noſtras incedunt, ceſſat conſtitutio, quod & ipſe de Afflictis animadvertit *num.* 1. eumque ſequitur Tapia *jur. Regni lib.* 2. *de offic. Mag. Juſtit.* Quod autem idem Tapia ſcribit, *poſſe judicem M. C. in qualibet parte Regni expedire proviſiones tam Regiis Audientiis, quam aliis Juſtitiariis, prout quotidie in ejus domibus expediuntur*, extra rem eſt, nam proviſiones expediri poſſunt, vel in cauſis appellationum, vel electionis fori, vel ex conſenſu partium, ſiquidem in conſentientes cujuſvis judicis juriſdictio eſt *l.* 1. *D. de judiciis*. Et nos de jure, non de facto quærimus.

VIII. Poſtremo nec movemur verbis *pragm.* 1. *ubi de delicto &c.* in qua Rex Ferdinandus appellat Magnam Curiam

riam

tiam *univerſalem omnium provinciarum Regni judicem competentem*: etenim in ſpecie ibi propoſita, ut Baronum, & quarundam civitatum Regni fraudibus occurreretur, qui facinoroſos homines alibi delinquentes in ſuis locis receptabant; optime Rex pœnis propoſitis juſſit, ut ejuſmodi delinquentes vel ad judices loci deliĉti perpatrati remitterentur, vel ſaltem ad Magnam Curiam, quæ cum ſit præcipuum criminum Tribunal in Regno, & cui nominatim incumbit, ut malis hominibus illud careat, aliquo modo dici poteſt judex univerſalis totius Regni. Nec ideo Regis mens fuit, in primis cauſarum cognitionibus derogare ordinariorum judicum juriſdiĉtioni. Quod & ipſe nominatim vetuit in cit. *pragm.* 2. *ejuſdem tituli*. Nec veriſimile eſt, Regem ſapientiſſimum binas leges inter ſe pugnantes promulgare voluiſſe.

IX. Concludamus igitur, juriſdiĉtionem Magnæ Curiæ in univerſo Regno non eſſe ordinariam, ſed vel extraordinariam in certis caſibus, de quibus infra, vel circa appellationes eam verſari, retraĉtioneſque ſententiarum inferiorum judicum. Imo nec ſemper appellationes admittuntur, nam proviſum olim fuit in *pragm.* 7. *de offic.Sacr.Reg. Conſ.* ut a provinciis remotioribus, nempe Calabriæ, Hydrunti, Barii, Aprutii, Baſilicatæ, non poſſit appellari ad Tribunalia Neapolitana, niſi quoties res litigioſa excedat ſummam aureorum 100.; a reliquis vero vicinioribus, aureorum 50. Quæ ſumma uſque ad aureos 200. in remotioribus, & 100. in vicinioribus auĉta eſt in pragmatica edita a Rege noſtro anno 1738.; ubi etiam ſtatuitur, ut in iis cauſis appellationes proponantur in Audientiis Provinciarum, a quibus ſi iterum appelletur ad ea Tribunalia, exequutio ſententiæ non impediatur; ſive ut appellatio intelligatur tantum quoad effeĉtum devolutivum, dummodo idonea præſtetur cautio de reſtituendo, ſi fortaſſis revocata fuerit ſententia.

X. Habet quidem ordinariam juriſdiĉtionem Magna Curia in territorio, vulgo *diſtriĉtu* hujus civitatis, quod, opinor, initium duxit, ex quo adjunĉta ei fuit juriſdiĉtio

Q 2 Cu-

Curiæ Capitanei. Erat temporibus Regum Andegavenſium ſpecialis Curia, quæ ordinariam juriſdictionem exercebat, tum Neapoli, tum Puteolis, ſuoſque judices habebat, & præfectum, qui dicebatur Capitaneus. In legibus longobardis, & feudalibus, Capitaneus non tantum accipitur pro militum duce, ſed etiam pro feudatario, & eo, qui a Rege alicui dignitati, & officio præficitur, vid. *tit.* 1. *lib.* 1. *feud.* Sed paulatim ejus authoritas defecit, adeo ut ſub Regina Joanna II. interdicta ei fuerit cauſarum civilium cognitio, vid. *ritum* 55. & demum abolita, & translata in Magnam Curiam, quæ dum fungitur ſuperioris Magiſtratus munere in univerſo Regno, ſpecialem, & ordinariam exercet juriſdictionem in territorio Neapolitano. Quapropter neſcio quid in mentem venit Carolo Tapiæ *Jur. Regn. rubr. de offic. Mag. Juſt.* ſic ſcribere. *Poteſt enim hoc officium comparari Præfecto urbi, quatenus juriſdictionem exercet in hac civitate, & in provincia Campaneæ, alias Terræ Laboris &c.* Nam improprium eſt, magiſtratus noſtros cum Romanis comparare, & præſertim in hac ſpecie; etenim Præfecti urbi officium ſub Imperatoribus verſabatur tum circa curam annonæ, tum aquæductus, tum operum publicorum vid. Gothofr. in *notit. dignit.* Quæ omnia ab officio Juſtitiarii, & Magnæ Curiæ ſemper fuere, & ſunt aliena. Habebat Præfectus urbi cognitionem omnium criminum, tum Romæ, tum in Italia *l.* 1. *D. de offic. Præfect. urb.* Quam eandem curam habet Magna Curia, ſed non egreditur hanc civitatem, ut diximus; nam quod de Campanea ſcribit Tapia falſum eſt, cum in ea provincia proprii extent ſingulorum locorum ordinarii judices. Et quamvis multis ab hinc annis neceſſarium viſum fuerit; uni ex judicibus Magnæ Curiæ ſpecialiter committere (Commiſſarius Campaneæ vulgo dicitur), ut ad facinoroſos coercendos eam provinciam continuo peragraret; tamen ejus authoritas non diſſimilis eſt Audientiis Provinciarum, quæ in certis tantum criminibus procedere poſſunt extraordinario quodam jure; cæterum ordinaria juriſdictio eſt penes cujuſque loci proprium judicem.

XI.

Digitized by Google

XI. Ordinaria Magnæ Curiæ juriſdictio eſt quoque circa Barones Regni, etiamſi in hac civitate domicilium non habeant. Quod ſane rectiſſime apud nos eſt inductum, nam potentiorum authoritas, inferiorum judicum juriſdictionem deſpicit, & facile ab ea ſeſe ſubtrahere tentat. Hoc autem non alibi ſtatutum habemus, quam in *cit. Ritu* 46., qui licet in cæteris cauſis, ut diximus, abrogatus eſt, in iis tamen obſervatur, ut paſſim monent doctores apud Petram in comment. ad dictum ritum *num.* 23. Qui tamen hallucinatur, dum ejus rei probandæ gratia ad leges Romanas recurrit, cum id ſpeciale ſit ex legibus noſtris. Et *l. curiales* 47. *Cod. de Decurion. lib.* 10. quam citat, tantum abeſt, ut probet ejus aſſertionem, ut potius inde contrarium deducatur; ibi enim jubent Imperatores Arcadius, & Honorius, ut curiales judicibus, ideſt Rectoribus provinciarum ſubſint, licet comitiva donati ſint. Ea ætate ſolebat Imperator comitum dignitate honorare eos, qui laudabiliter munus aliquod publicum geſſerant; unde dicebantur Comites vacantes, de quibus in *Cod. Theod.* extat titulus; iique erant, quos hodie *honorarios* dicimus. Hi ergo curiales comitivæ dignitate tumidi, ut ait Gothofr. in *l.* 150. *C. T. de Decurion.* Moderatoribus provinciarum, ſeu judicibus ordinariis contumaces ſeſe præbebant, eorumque juſſa detrectabant, quorum alioquin imperio ſuberant vid. *l.* 39. 47. *&* 80. *cit. tit.* ideo, cum ad Imperatores perlatæ eſſent querelæ, eorum illi audaciam repreſſerunt, & pœnis propoſitis coegerunt judicibus ordinariis obedire. Qua ex conſtitutione, ſi volumus argumenta deſumere, efficietur, Barones, ratione dignitatis exemtos non eſſe a judicum ordinariorum juriſdictione; & propterea ſi in urbe reperiuntur, ſubſunt Magnæ Curiæ; ſi in aliis locis Regni, cæteris ordinariis judicibus. Quod utique ex diametro pugnat aſſertioni jam propoſitæ.

XII. Ex eadem Honorii conſtitutione quidam ex pragmaticis axioma conficiunt, Regios Conſiliarios juriſdictioni Magnæ Curiæ ſubjectos eſſe. Imo Rovitus ejus ſententiæ aſſertor in *pragm.* 2. *de offic. Sacr. Reg. Conſ. nu.* 7. appellat il-

illum textum *formalem*. Sed nihil magis eſt contra formam ejus legis, quæ loquitur tantum de Comitibus honorariis, ut diximus. Idem probare nititur de Ponte in *tract. de poteſt. Proreg. tit.* 7. §. 7., qui accurata diſputatione huc illuc modo ad jus Romanum, modo ad noſtrum deflectens, tandem concludit, Collaterales, hoc eſt eos Senatores, qui e latere Proregis olim erant, & dicebantur Regentes Collaterales (quorum nomen, & authoritas hodie abolita eſt, & translata in Cameram Regalem) poſſe conveniri pro cauſa civili, & criminali in Magna Curia. Verum ſi ad jus Romanum accedimus, falſa erit hæc ſententia ex *l.* 3. *Cod. ubi Senatores &c.*, ubi ſtatuitur, eos, qui ex præcedenti dignitate illuſtres facti ſint, non poſſe accuſari, niſi coram Principe, vel eo cui nominatim Princeps commiſerit; neque hic ſententiam proferre poterit, Principe inconſulto. Qui autem ſenatoriam dignitatem ex privilegio, nulla præcedente adminiſtratione, adepti ſunt, in urbe cognoſcantur a Præfecto prætorio, vel urbano, qui tamen ante ſententiam Principi referre debeant; in provinciis vero a Rectoribus ordinariis, qui itidem Principem conſulere tenentur ante condemnationem. Quæ ſi vera ſunt in Senatoribus honorariis, multo magis obtinebunt in iis, qui adhuc ſunt in officio. Et ſane mirari ſatis non poſſum, doctores noſtros, licet fateantur ſummam eſſe eorum Conſiliariorum juriſdictionem, & authoritatem, adeout eos dicant vice ſacra judicare, quale olim Præfecti Prætorio munus erat ex Caſſiod. *Epiſt. lib.* 6. nihilominus pro jure certo proponere non dubitant, eoſdem judicibus Magnæ Curiæ ſubeſſe, a quorum ſententiis ad eos appellatur; imo ex *pragm.* 8. *de offic. Magiſtri Juſtitiarii* ſtatis diebus qualibet hebdomada in Sacro Conſilio cauſas, de quibus cognoverunt, referre tenentur, & veluti rationem reddere bene, an male judicaverint. Et quis æquus rerum æſtimator ſerio affirmaverit, hujuſmodi inferioris notæ judices de capite, & fortunis Senatorum, qui non ſemel Principi ſunt a conſiliis, judicare poſſe ipſo Principe inconſulto?

XIII. Quod attinet ad leges Regni ſic ſtatuit Fridericus

Digitized by Google

cus in cit. conſt. *ſtatuimus* : *Et de quæſtionibus noſtrorum curialium, qui immediate nobis aſſiſtunt, de ſpeciali conſcientia noſtra in Curia commorantium, qui de Curia noſtra ſine ſpeciali noſtro mandato non poſſunt recedere . . . . cauſas audiat* (Juſtitiarius cum judicibus Magnæ Curiæ), *& juſtitia mediante decidat*. Quod idem confirmat Imperator in conſtit. *Magnæ Curiæ*. Superiora verba ſic interpretatur de Ponte: *Curiales ſunt Collaterales* (ſive Regentes Collaterales; qui olim dicebantur) *qui officia gerunt immediate penes Regem, & non poſſunt recedere abſque licentia*. Id ipſum multo magis ex ejus mente de ſimplici Conſiliario dicendum, qui ea ætate minorem dignitatem habebat, ac Collateralis. Verum citatus doctor tempora confundens, & per conſequens Magiſtratuum authoritatem, male utitur ea conſtitutione; etenim ſi curialium nomine intelligere volumus ipſos judices Magnæ Curiæ, & inferiores officiales ejuſdem, æquum dixerimus Imperatorem ſtatuiſſe, ut cauſas curialium ipſamet Magna Curia cognoſceret, quæ cum ea tempeſtate Regis conſilium conſtituebat, cujus in Regno majus non erat, utique curiales non dedignabantur in eo proprias cauſas, ſive civiles, ſive criminales agitari, cum ſæpiſſime ipſo Principe coram judicabatur. Sed poſtmodum cum cauſæ majores ad Sacrum Conſilium ſub Aragonenſibus, & ad Collaterales ſub Ferdinando Catholico, & deinceps translatæ ſint, itaut ea Tribunalia eſſent conſiſtoria Principis, non amplius Magna Curia, quæ in inferiori gradu inter Magiſtratus Regni remanſit; utique ea ratio, quæ fortaſſis Fridericum impulit ad demandandas Magnæ Curiæ cauſas Curialium, eadem nos movere debet, ut dicamus, cauſas conſiliariorum, vel collateralium ad ipſorum Tribunalia pertinere, a quibus Princeps conſulendus erit, ſi cauſæ magni fuerint momenti: At ſi diligentius rem examinare velimus, dicendum erit, conſtitutionem Friderici a propoſito alienam eſſe; ſiquidem Curiales ea ætate ſignificabant, quos nunc dicimus Palatinos, Magnates, Regum officiales, & cæteros, qui Principum Curias ſectantur. Quod clare demonſtrat Cancius *in Gloſſario* verb.

verb. *Curialis*, præſertim ex illis verbis Petri Damiani *lib.2. epiſt.* 3. *Sicut ii, qui eccleſiæ militando, promoti ſunt, vocantur ex more Pontifices; ita qui famulando Principibus fiunt, dicuntur a Curia Curiales*. Curia quidem tunc dicebatur Regius Comitatus, ſicuti vulgari ſermone cum hodie dicimus *la Corte*, intelligimus Comitatum Regium. Quod clare patet ex illis verbis Friderici: *Noſtrorum Curialium, qui immediate nobis aſſiſtunt*. Quæ minus recte judicibus, & magiſtratibus aptantur. Hanc ſignificationem probaſſe videtur Matthæus de Afflictis in dicta conſtit. *ſtatuimus n.* 13. Illud autem monendi ſumus, conſtitutionem Friderici hac in parte immutatam fuiſſe in *cit. ritu* 46. *in fin.*, ubi decernitur, *familiares Regis, & commenſales* a juriſdictione Magnæ Curiæ exemtos eſſe. Quod an uſu ſervetur diſſentiunt interpretes, ut videre eſt apud Petram in *eod. ritu n.* 49. Aſſererem libenter, hac in re Principis voluntatem inſpiciendam eſſe, ad quem pertinet, prout caſus acciderit, vel Magnæ Curiæ ejuſmodi cauſas committere, vel ſpecialem judicem delegare.

XIV. Quarundam cauſarum, utpote majoris momenti, cognitiones ſpecialiter Magiſtro Juſtitiario, ejuſque Curiæ ſunt commiſſæ; quas vulgo noſtri poſt Afflictum in comment. ad conſtit. *Magnæ Curiæ*, *Præeminentias* appellant; quaſi quod ex ea authoritate emineat præ aliis judicibus, quibus eæ denegantur. Apud Romanos dicebantur cognitiones extraordinariæ, ſive quæ contra rationem juris civilis, aut prætorii, ut explicat clariſs. *Noodt. de juriſd. lib.* 2. *cap.* 4. ſpecialiter alicui ex Magiſtratibus committebantur. Hoc ipſum ſignificare voluit Fridericus in *cit. conſtit.*, ubi poſtquamdixiſſet, Magiſtrum Juſtitiarium, ejuſque Curiam omnibus reliquis præferri, & ab eo exemplum ſumi, addit. *Quædam tamen ejus intantum ſpecialiter ſunt annexæ judicio, ut de eis abſque delatione noſtri nominis ſpecialius cognoſcere non præſumat*. Inter hæc ſpecialia ponit Imperator cognitionem de feudis; idque ſecundum feudales leges, nam *lib.* 2. *feud. tit. de prohib. alienat. feud.* §. *ult.* decernitur, cognitionem eſſe domini, quoties inter duos vaſ-

ſal-

ſallos de feudo ſit controverſia. Cum igitur talis cognitio ad Regem ſpectet, placuit Friderico ſpecialiter eam ſuæ Curiæ mandare; Verum non de quocunque feudo id ſtatutum eſt, ſed tantum de *quaternato*, ſive de quacunque ejus parte, etiam *tranſeunte ad tripondium* (ait *rit. 50. M. C.*, ubi confirmatur ſuperior conſtitutio): hoc eſt minimum, ut interpretatur Caravita. Feudum quaternatum in noſtris legibus ſignificat feudum regale, ſive quod immediate a Rege conceditur. Appellabantur ætate Friderici *quaterniones*, libri, in quibus notabantur omnia ad regale patrimonium pertinentia, & impenſæ neceſſariæ pro ſtatu publico. In epiſt. Petri de Vineis *lib. 3. cap. 63.* ſic ſcribit idem Fridericus: *Ut loca qualibet, vicarios, ſeu poteſtates habentia, & quæ ſint ſalaria ſingulorum, in quaternionibus noſtræ curiæ debeat annotari*. Locus, ubi conſervabantur ejus generis libri, *Dohana* appellatur in eadem conſtitutione. Quod barbarum vocabulum denotat locum, quò merces invehuntur. Sed apud Saracenos, ut notat Cancius, ſignificabat Palatium, ubi Principis theſauri aſſervabantur; & dicebatur etiam *Camera*. Idem Fridericus *loc. cit. cap. 66.*: *Committentes quod recepto exemplo quaterni, quod eſt in Camera noſtra de maſſariis ipſis &c.* Hinc poſtea Tribunal, ubi rationes redduntur de publicis redditibus, & ubi controverſiæ diſceptantur ad fiſcum Regis pertinentes, Regia Camera appellatum eſt, de qua infra pluribus. Cum igitur in iis libris feuda a Rege conceſſa annotarentur, inde factum eſt, ut ea dicerentur *quaternata*, hoc eſt deſcripta in quaternis dohanæ, ſive cameræ. Feuda autem quæ ab ipſis Baronibus concedi ſolent, non *quaternata* ſunt, hoc eſt non deſcripta in iis libris, & vulgo appellantur *plana, & de tabula*. Sed hæc ſuſius in diſceptatione de feudis proponentur. De his feudis non quaternatis cognitionem mandavit idem Fridericus Juſtitiariis provinciarum vid. conſtit. *Juſtitiarii nomen in fin.*

XV. Verum hæc poſterioribus legibus immutata ſunt; etenim *in pragm. 3. de offic. S. R. C.* generaliter ſtatuitur, ut cauſæ majores ad Sacrum Conſilium transferantur; & nomi-

minatim feudorum nobilium, ut Comitatus, Marchionatus &c. Recte autem Rovitus animadvertit in *cit. pragm.* idem juris eſſe in quacunque actione ad feudum pertinente, & in acceſſoriis, & annexis feudo. Sed quoniam eadem pragmatica de feudis nobilibus loquitur, propterea verius videtur, jus antiquum ſervandum in feudis non quaternatis *ex cit. conſtit. Juſtitiarii*. Quoties autem circa feudum diſceptatio eſt inter Regem, & feudatarium, lis pertractari debet in Regia Camera; quoniam in *pragm. 37. eod. tit.* quamcunque controverſiam ad fiſcum pertinentem jubetur in Camera agitari. Qua in ſpecie commune feudorum jus in *d. §. ult. de prohib. alien. feud.* apud nos non ſervatur, ſcilicet terminandam per Pares Curiæ litem, quæ oritur inter dominum, & vaſſallum. Pares Curiæ, qui & Pares Curtis frequentius dicuntur in libris feudalibus, ſunt convaſſalli, ut interpretatur Cujacius *lib. 1. de feudis*, qui ab eodem domino, eademque domo feuda tenent. Curtem dixere Longobardi pro domo, caſtro, palatio, prætorio. An Parium authoritas adhuc conſiſtat in Regno, dicemus opportunius ubi de cauſis feudi ammittendi pertractabimus. Reliquas, quas dicunt præeminentias Magnæ Curiæ, mox proponemus.

CAPUT IV.

De diviſione juriſdictionis Magnæ Curiæ in civilem, & criminalem; & de noviſſimis legibus ad eandem pertinentibus. Ubi nominatim agitur de ejus Præfecto, vulgo Regente.

Ex conſtit. *ſtatuimus* ſupra expoſita, quatuor extitiſſe judices in Magna Curia tempore Friderici certum eſt. At ſub Regibus de familia Andegavenſium veriſimile eſt, aliquando pauciores fuiſſe, nam in *rit. 2.* jubetur, ut ad minus ſint tres. Sed novis exorientibus negotiis, litiumque anfractibus, viſum eſt publicæ utilitati convenire, judicum numerum augere; idque primo effectum fuit ſub Regno Caroli V., ſi-

ſiquidem in *pragm.* 1. *de offic. Mag. Juſt.* ſex judices ſtatuti fuere; ea tamen ratione, ut quatuor præeſſent criminibus coercendis, reliqui duo civilibus controverſiis terminandis. Verum adhuc omnes ſimul conveniebant eundem in locum, nec ſeparatibus ſedibus jus dicebant; unde in eadem *prag.* 1. cautum erat, ut civiles judices poſſent adhiberi ad diſcrepantes ſententias componendas, prolatas in cauſis criminalibus; & e diverſo, criminales in cauſis civilibus. Sed quoniam negotiorum civilium, criminumque multitudo plures judices exigebat, ideo paulatim civiles a criminalibus diviſi, in proprium, & peculiarem locum convenerunt, & ſub Regno Philippi II. Hiſpaniarum Regis ſeparatis ſedibus collocati (*aulas* noſtri dicunt), vid. *pragm.* 74. §. 3. *de offic. Sacr. Reg. Conſ.*, auctique fuere ad ſex, adeout terni in ſingulis aulis adeſſent. At criminales, cum quatuor non ſufficerent, aliquando iis duo, aliquando plures fuerunt additi. Sed cum eorum electio ſub Hiſpanis Regibus ad Proreges pertineret, ideo aliquando plures eligebantur, quam neceſſitas expoſtulabat, & tantum id fiebat privati alicujus gratificandi ſtudio. Imo quorundam ambitio uſque adeo procedebat, ut illud munus abſque ullo ſalario exercerent. Quod grave ſubditis videbatur, & propterea in *volum. privileg. pag.* 152. legimus, oblatis precibus a Civitate, & Regno conceſſum, ut ordinarius ſex judicum in criminibus obſervaretur numerus, & ut extinctis iis, qui ſuperadditi fuere, nulli alii in eorum locum aſſumerentur.

II. Quemadmodum in duas aulas civiles judices diviſi fuere, eodem modo ſæpius cogitatum eſt de dividendis iis, qui rei criminali præſunt, vid. *volum.* 2. *privileg. pag.* 184. Quod aliquando factum fuiſſe teſtatur Rovitus in *pragm.* 1. *de offic. Magiſtr. Juſtit.* Sed poſtmodum is uſus interruptus iterum occaſionem dedit Regi noſtro in pragmatica edita anno 1738. §. 6. mandandi, ut talis diviſio fieret. Sed nondum ea eſt effectum ſortita. His judicibus, imperante Carolo V. ut patet ex *pragm.* 2. *de offic. Sacr. Reg. Conſ.* inductum fuit, ut duo Senatores e Sacro Conſilio aſſumti adjungerentur, & quolibet biennio commutarentur; quo di-

Digitized by Google

ligentius, & maturius res magni momenti, ut ſunt quæſtiones publicæ, procederent, dum iis præſunt viri, & prudentia, & doctrina prædìti, quales ſolent eſſe Sacri Conſilii Senatores. Et hæc videtur propria ratio ejus inſtituti, non autem quæ vulgo redditur a Doctoribus noſtris, qui ea de re dum tractant, & nominatim Petra in *comment. ad rit. 2. num.* 16. aſſerunt, Conſiliarios eligi ſolere *ad mitigandum rigorem Magnæ Curiæ*; nam in proferenda ſententia non debet diverſum eſſe officium majorum, ac minorum judicum, cum omnes æque, non pro arbitrio, durius, aut lenius animadvertere debent in reos, ſed ex legum præſcripto. Cum autem ætate Philippi II. Regis Hiſpaniarum, ultra biennii tempus permanere ſolerent in Magna Curia ii Conſiliarii, nec permutarentur, ut erat conſtitutum; ideo id prohibitum fuit in *pragm. 4. §. 5. de viſit. captivor.* Noſtris temporibus id ſpectat ad arbitrium Regis.

III. Videamus quo temporis ſpatio terminetur cujuſque judicis Magnæ Curiæ officium. Fuerunt antiquitus in Regno perpetui magiſtratus, & judices; fortaſſis ex conſuetudine per Longobardos introducta; apud eos enim Comites, de quibus ſupra, utplurimum erant judices ordinarii, & perpetui locorum; unde *Miſſi*, quorum non ſemel fit mentio in legibus Longobardis, ſolebant inquirere circa eorum adminiſtrationem; quæ gravis admodum ſubditis efficiebatur, dum ratio nulla reddenda erat officii, quod perpetuo in eadem perſona conſiſtebat. Hic mos dum perdurabat ætate Friderici, fuit immutatus ab hoc Imperatore in conſtitutione *occupatis*, & in conſtit. *judices tit. de numero officialium, & infra quod tempus eorum adminiſtratio duret*; ubi ſtatuit, ut deinceps omnes judices anni curriculo terminentur. Hoc ſane conſonum eſt moribus Romanorum, qui ſtante Republica, omnes ferme magiſtratus annuos fecere, eorumque juriſdictio ultra tempus præfinitum non porrigebatur, niſi ex neceſſitate extra ordinem. Extincta Republica, cum omnia nutu Principis regerentur, creatio, & commutatio magiſtratuum pene omnis in ejus erat arbitrio, nec ulla certa lege definiebatur. Etenim quod

Pa-

Paſchalis in *tract. de virib. patr. poteſt. part.* 4. *cap.* 10. *nu.* 9., cæterique Doctores noſtri magno conſenſu aſſerunt, officiales annales eſſe de jure communi, & nomine officialium judices quoque intelligunt, admittendum non eſt; ſiquidem extra propoſitum ſunt leges, quas allegant, ut eſt *l.* 1. *Cod. ut omnes judices &c. & l. neminem* 4. *Cod. de ſuſcept. lib.* 10.; nam illa agit tantum de tempore, intra quod rationem ſuæ adminiſtrationis provinciales judices reddere tenentur, nihil autem definit circa tempus officii; hæc autem definit quidem anni ſpatium ad adminiſtrationem, verum loquitur de Suſceptoribus, qui erant, ut ait Cujacius, in notis ad eum tit., præpoſiti recipiendis annonis, & tributis, utriuſque Ærarii, & propterea non pertinet ea ſpecies ad judices. Igitur concludendum eſt, voluiſſe Fridericum revocare morem antiquum Romanorum; ſed abſque Regiæ authoritatis præjudicio; ſibi enim reſervavit, ut eſt in calce cit. conſtit. *occupatis*, prorogationis arbitrium ultra annum. Et veriſimile eſt, ſupremos magiſtratus tunc fuiſſe perpetuos; nam ſuperiores conſtitutiones loquuntur tantum de Juſtitiariis, Camerariis, Bajulis; non de Magiſtris Juſtitiariis, Magnis Camerariis, cæteriſque inter ſeptem Regni officia adſcriptis; qui non ad certum tempus, ſed ad nutum Principis creabantur. Quod & poſteriores Reges imitati ſunt, qui ſuo arbitrio reſervarunt, non certo tempore præfiniverunt munus magiſtratuum in Sacro Conſilio, Regia Camera, aliiſque ſupremis Tribunalibus, de quibus infra.

IV. Quod attinet ad judices Magnæ curiæ in *cit. prag.* 1. *de offic. Magiſtr. Juſtit.* expreſſe jubetur, ut illi quolibet anno mutentur. Verum poſtea hoc non ſervabatur, nam ſemel electi perpetuo ſolebant in officio permanere. Quapropter non minus legibus, quam privilegiis Regno conceſſis, quorum fit mentio in *pragm.* 52. *§.* 5. *cit. tit.* præfinitum fuit biennium, quo elapſo deberent officium deponere, ejuſque publice rationem reddere, quod in foro dicitur *ſyndicatum dare*. Hoc idem clarius patet ex gratiis impetratis in *volum.* 2. *privileg. pag.* 171. ubi legitur, ſuperioribus privilegiis fraudem fieri ſolere, quoniam perpetui judices crea-

creabantur. Sub Regno Caroli II. Hiſpaniarum Regis non ſemel eorum privilegiorum confimatio impetrata fuit; imo legimus in *cit. volum. pag.* 199. ſtatutum, ut extinguerentur, prout vacare contigerit, munia judicum Vicariæ in perpetuum conceſſa. Ex eo tempore fortaſſis mos invaluit in Regno, ut qui judices creabantur a Proregibus, biennales eſſent, cum eorum facultas ultra non porrigebatur: at qui creabantur immediate a Rege eſſent perpetui. Omnes tamen, exacto biennio, ſyndicatui ſe ſubjicere tenebantur, vid. idem *volum. privileg. pag.* 207. Et hoc jure hodie utimur; nam licet omnes judices Magnæ Curiæ temporibus noſtris a Rege eligantur, unde ab ejus voluntate pendet tempus adminiſtrationis; nihilominus poſt biennium eorum unuſquiſque ſyndicatui parere debet.

§. V. Habet Magna Curia ſuum Præfectum, qui & caput eſt omnium judicum, & nunc appellamus Regentem. Solebat olim Magiſtro Juſtitiario, vel ob neceſſitatem, vel ob aliquam publicam utilitatem impedito, alter in ejus locum ſubſtitui, qui modo Locumtenens, modo Regens dicebatur, vid. *rit.* 9. 10. & 162. Sed cum paulatim qui majori dignitate olim inter Regios Adminiſtros præſtabant, & præcipua Regni munia exercebant (vulgo ſeptem Regni officia appellantur, quia tot fuere primum a Normannis inſtituta) cœpiſſent honoris tantum titulo decorari, unde adminiſtratio in alios translata fuit; ideo in Magna Curia cœpit ordinarius Præfectus eſſe, non ipſe Juſtitiarius, ſed ejus Vicarius, qui ob id Locumtenens appellatus fuit, vel Regens; quamvis hæc poſterior denominatio uſu approbata, & illa abolita fuerit; ſed ſpecialiter attributa Vicario Magni Camerarii, qui præeſt Regiæ Cameræ, de quo infra. Ante Gulielmum I. ipſimet magni Juſtitiarii, imo, & Juſtitiarii provinciarum ſibi Vicarios eligebant. Sed hoc expreſſe ab illo Rege prohibitum fuit in conſtit. *officia tit. ut Juſtitiarius alium loco ſui ordinare non poſſit*. Notanda autem hic eſt authoris hiſtoriæ civilis oſcitantia, qui cum *libro* 12. *cap. ult.* leges Gulielmi referens, ejus conſtitutionis meminiſſet, deinde *lib.* 20. *cap.* 6. §. 1. ſcribit, facultatem Vicarii, ſive Regentis creandi

Digitized by Google

di ablatam fuiſſe a Juſtitiariis, & translatam in Proreges; quaſi id eveniſſet ſub Regno Hiſpanorum; cum potius ſcribere debuiſſet, ſub Regno Hiſpanorum facultatem creandi Regentis, quæ ex lege Gulielmi ablata fuit a Juſtitiariis, & reſervata tantum Regi, a Regibus Hiſpanis translatam fuiſſe in Proreges. Conſtitutio Gulielmi ætate Friderici II. vim ſuam obtinebat, nam hic Imperator in *conſtit. duram tit. de prohibita officialium noſtrorum occiſione*, (ſic emendandum, non *occaſione*, ut male legitur in vulgaribus editionibus) voluit ejus nimiam ſeveritatem, nempe pœnam capitalem ſtatutam contra Juſtitiarios, & Vicarios, mitigare, ſtatuendo pœnam publicationis bonorum, & remotionis ab officio. Et licet paulatim in deſuetudinem abjiſſet ſub Carolo I. Andegavenſi; tamen iterum in uſum revocata fuit per *capit. quia de vicariis* 19. Imo in hoc capit., quod a Gulielmo cautum fuerat in ſolis Juſtitiariis, mandatur generaliter obſervari in cæteris inferioribus judicibus. Idem confirmatur in *capit. item quod prædicti* 276. Hinc a doctoribus generale axioma conficitur, in Regno officia non poſſe exerceri per ſubſtitutos. Nomine officiorum intelligunt non tantum quæ verſantur in jure dicendo, ſive in adminiſtranda juriſdictione, ſed etiam in quocunque publico munere exercendo, vid. *rit. 7. in fin. & rit.* 309. Et in libris Pragmaticarum titulus extat: *de Adminiſtratoribus, & quod ipſimet ſerviant, & non per ſubſtitutum*. Diſcrimen autem eſt inter officium judicandi, & reliqua; nam illud ne concedi quidem ſolet cum facultate ſubſtituendi; hæc vero ſecus. Illud tantum cavetur in *pragm. 75. §. 131. de offic. Procurat. Cæſar.* ut facultas ſubſtituendi in officiis a nemine concedatur, niſi immediate a Rege.

VI. Hanc prohibitionem ſubſtituendi in juriſdictionis exercitio legibus noſtris inductam, non aliunde originem duxiſſe cenſeo, quam ex ipſius juriſdictionis mutatione. Quod ut rectius intelligatur paulo longius res repetenda eſt. Jure Romano potuiſſe olim magiſtratus juriſdictionem ſuam alteri committere, ſive mandare, extra dubitationem eſt; idque apparet ex *tit. Digeſt. de offic. ejus, cui mandat. eſt iuriſd.*

Quem

Digitized by Google

Quem morem a Regibus cœpiſſe, qui domo profecti, ne urbs ſine imperio foret, ſolebant ad res publicas adminiſtrandas, prudentes viros deligere, ex Tacito notat doctiſſ. Noodt *lib. 2. de juriſd. & imper. cap. 1.* Et non ſolum mandari poterat juriſdictio alteri magiſtratui, ſed etiam privato cuicumque *l. ult. D. cit. tit.* Verum ex definitione Papiniani in *l. 1. eod.* mandari tantum poterant quæ jure magiſtratus competebant; hoc eſt, quæ erant ordinariæ juriſdictionis, & ratione officii ad magiſtrátum pertinebant; non autem quæ extra ordinem, vel lege, vel ſenatuſconſulto, vel conſtitutione Principis erant magiſtratui tributa. Cujus generis erat merum imperium; nam licet initio illud fuerit apud Conſules, tamen poſtea Valeria, aliiſque inſequutis legibus ſeparari cœpit a Conſulum juriſdictione; unde populi juſſu ſpecialiter delegabatur certis perſonis; & propterea non poterat alteri mandari, quia non competebat jure magiſtratus, ſed erat ſpecialis conceſſionis. Huc reſpexit Rex Gulielmus in conſtitutione modo citata illis verbis: *Cum enim cauſa aliqua ſingularis, quæ criminalis ſit, ab aliquo aliis regulariter committi non poſſit; multo minus prædictarum cauſarum univerſitas poterit delegari*. Quorum verborum hic eſt ſenſus: jure communi criminalis cauſa, quæ pertinet ad merum imperium, & competit ſpeciali conceſſione, non ratione officii, cum non poſſit alteri mandari; multo minus poterunt Juſtitiarii univerſum ſuum munus, quod utplurimum conſiſtit in criminibus puniendis, transferre in alios propria authoritate, abſque Principis juſſu. Quæ omnia cum non animadvertiſſent noſtri, conſtitutionem Gulielmi male explicarunt, & præſertim Tapia in ea parte, ubi legis hanc rationem affert, *quia videtur electa induſtria perſonæ*. Quod ſi verum eſt, nulli unquam magiſtratui licuiſſet juriſdictionem cujuſcunque generis alteri mandare; nam ſemper in electione magiſtratus ſpecialis qualitas, & prudentia illius inſpicitur; & ob id vel a populo, vel a Principe ſemper eligitur induſtria perſonæ. Confundit hic Tapia mandatam juriſdictionem cum juriſdictione ordinaria; unde dum explicat in lege Gulielmi illa ver-

Digitized by Google

verba *perſonaliter conferuntur* ſic ſcribit: *ideoque mandatam ſibi juriſdictionem mandare alteri neminem poſſe tradit juriſconſultus Paulus in leg. fin. de offic. ejus &c. quem textum licet in delegato a Principe limitari tradatur in l. a judice Cod. de judiciis, ubi late ſcribentes, & in cap. quamvis de offic. delegat., limitatur tamen non procedere, quando in ſpecie eſt electa induſtria perſonæ &c.* Credidit igitur Tapia, juriſdictionem Magiſtri Juſtitiarii fuiſſe delegatam a Principe; unde ſic ratiocinatur: quamvis delegatus a Principe poſſit alium delegare; tamen id prohibetur in Juſtitiario per legem Gulielmi, quia nominatim eſt electa induſtria perſonæ. Sed quis non videt, ejus aſſumtum omnino falſum eſſe, nam Juſtitiarius, & quicunque magiſtratus conſtitutus in Regno a Principe, eſt judex ordinarius; & tunc dicitur delegatus quis, vel cum aliquid ei committitur, ad proprium officium non pertinens, vel ſi fuerit privatus, & ſpecialiter ad aliquod negotium perficiendum cum juriſdictione eligitur a Principe. Tapiæ veſtigiis dum inſiſtit Petra in *com.ad rit.2.* ſurſum deorſum permiſcet jus romanum, canonicum, & noſtrum. Ratio igitur Gulielmi hæc fuit, quia ſive ex conſuetudine, ſive ex legibus Longobardorum, quoties magiſtratibus tribuebatur juriſdictio, non amplius fiebat diſtinctio inter ea, quæ jure magiſtratus, & ea, quæ ſpecialis erant conceſſionis; & propterea illi indiſtincte ſolebant ſubſtitutos ſibi eligere, quibus aliquando univerſa dabatur juriſdictio. Quod cum bono publico videretur adverſari, voluit Rex omne diſcrimen auferre, & generali ſanctione prohibere, ne amplius magiſtratus vicarios ſibi propria authoritate aſſumerent abſque Principis licentia. Et exinde factum eſt, ut in Regno cujuſcunque ſubſtituti creatio ad Principem tantum pertineat.

VII. Sub Hiſpanis Regibus, ut modo diximus, creatio Regentis ad Proregem pertinebat; qui tamen tenebatur novum eligere ſingulis annis. Permittebatur quidem prorogatio in alterum annum, ſed ex cauſa legitima, & convenienti, ut eſt in *pragm. 11. §. 57. de officialib., & his quæ eis prohibentur*. Hodie tempus huic officio annexum nullum eſt,

cum id pertineat ad Principis voluntatem. Ex gratiis Regno conceſſis, electio Regentis *alternativa* erat, ut una vice vel Neapolitanus civis, vel de provinciis Regni eligeretur, altera quicunque etiam exterus *pragm. unic. de offic. proviſ.* Illud autem impetrari non potuit, ut Neapolitanus tantum civis ad illud munus deſtinaretur, nam ea de re petitionem legimus in *volum.* 2. *privileg. pag.*200. propoſitam ſub Regno Caroli II. anno 1666. non autem conceſſionem privilegii.

VIII. Magnæ Curiæ Regentem juriſdictionem habere, extra controverſiam eſt, cum vices gerat Magiſtri Juſtitiarii. Solebant olim Romani magiſtratus juris ſcientia utplurimum pollere; ſed non præciſe id requirebatur. Quod ſic exprimit Cicero in orat. pro Plancio: *In magiſtratibus, ſi qua eſt ars, Populus Romanus facile patitur, ſin minus, virtute eorum, & innocentia contentus eſt.* Hinc uſus inolevit, ut magiſtratibus juris imperitis juriſconſulti adderentur, qui dicebantur Aſſeſſores, ſive Conſiliarii, nam eorum conſilio jus dicebant, ſive ſententiam pronunciabant. Unde Ulpianus in *l. metum* 9. *§.ſed quod Prætor D. de eo quod metus cauſa*, in controverſia, quam ex facto proponit, de ſe ipſo ſic ſcribit: *Prætorem, me adſidente, interloquutum eſſe*; hoc eſt me conſulente, & ſuggerente. Hunc morem apud Romanos, nec non etiam Græcos uſitatum, reprehendit Joſephus Hebræus *lib.* 2. adverſus Appionem, aitque, *id videri ſibi teſtimonium, & argumentum inſcitiæ patriarum legum: at noſtratium*, inquit, *ſi quis de legibus interrogetur, facilius, quam nomen ſuum eas recitat.* Eodem pertinet quod de Perſis refert Ammianus Marcellinus *lib.* 23., nempe illos ad judicandum adhibuiſſe peritos, & alienis conſiliis non indigentes; & morem Romanorum irridere, qui interdum facundos, juriſque publici peritiſſimos poſt *indoctorum collocant terga*. Verum conſuetudinem apud Romanos jam receptam placuit majoribus noſtris imitari, quia ſæpius experientia docuit, viros quoſdam prudentiſſimos, etſi legum peritia deſtitutos, rebus tamen adminiſtrandis, populiſque regendis eſſe perquam idoneos; unde ne eorum ope-

opera deeſſet, commodius viſum eſt, juriſconſultos adhibere in iis, quæ pertinent ad legum exequutionem. Nec alia fuit ratio, cur vel a primis temporibus Magno Juſtitiario judices aſſignati fuere, ſcilicet ut eorum conſilio, & peritia rectius jus petentibus redderetur. Quod in Regente multo magis dicendum eſt, qui non ſolum legum peritiam habere non ſolet, ſed ex petitione gratiarum in *volum. privileg.* 2. *pag.* 200. 205. 207. debet eſſe non togatus. Unde ejus cura verſatur in excubiis diſponendis per Urbem, ut omnia pacata ſint, & tranquilla, prout olim facere ſolebat Romæ Præfectus Vigilum: in malis, & facinoroſis hominibus inquirendis. Cæterum nihil quidquam decernere poteſt ad ordinarium juſtitiæ curſum pertinens, ſive in cauſis juris, abſque judicum conſilio. Quod proviſum fuit a ſapientiſſimo Rege Alphonſo I. Aragonenſi in *cap.* 12. gratiarum anno 1442. Idem confirmatur in *prag.* 52. §. 1. *de offic. Magiſt. Juſtit.* Et in *prag.* 52. §. 40. *de official. & his, quæ eis prohib.* ſtatuitur, non poſſe Regentem mandare, ut aliquis in vincula conjiciatur, niſi ex ſuffragio unius ſaltem ex judicibus. Verum id intelligendum puto, modo non agatur de perſonis vilioris conditionis, præſertim in gravi aliqua, & urgenti neceſſitate.

IX. Quamvis autem Regentis officium non conſiſtat in jure dicendo; tamen quia verendum eſt, ne minus juſte ſe gerat in iis, quæ pertinent ad ſuum munus; ideo ſyndicatum quoque ſubire debet finito adminiſtrationis tempore, vid. *vol.* 1. *privil. pag.* 74., *& pragm.* 2. *de ſyndic. offic.* Et in *cit. cap.* 12. *privileg.* idem Alphonſus jubet, ut non minus ipſe, quam judices juramentum præſtare teneantur *ad Deum, & ſancta Evangelia, quod juſtitiam unicuique eam petenti recte, & debite in omnibus, & per omnia adminiſtrabunt omni ſepoſito odio, & amore, ſecluſiſque indebitis dilationibus, alioque quocunque eam inficiente reſpectu*. Neque tale juramentum fuit noviter ab Alphonſo inſtitutum, nam & Gulielmus in conſtit. *puritatem*, & Fridericus in conſtit. *inter cætera capitula* idem antea ſtatuerant. Et habetur quoque in *cap.* 285., ubi forma juramenti proponi-

Digitized by Google

tur, præſtandi ab omnibus officialibus Regni in manibus Protonotarii, vel Locumtenentis ipſius (hodie dicimus Viceprotonotarium) ſcilicet tum circa fidelitatem erga Regem, tum circa obligationem judicandi ſecundum leges. Poſtremo additur, eis liberandas non eſſe *Literas officiorum*, niſi antea tale præſtiterint juramentum. Quod & uſu obſervatur. Apud Romanos olim, judices quidem dati a Prætore jurabant, non autem ipſe Prætor, ut indicat Cicero in *orat. pro Quintio*. At juramentum præſtabatur in ſingulis cauſis ante prolatam ſententiam, ut diſcimus ex Aſconio Pædiano *act.* 1. *in Verrem*. Conſuetudinem hujus juramenti interruptam renovavit Juſtinianus in *leg. rem non novam* 14. *Cod. de judiciis*. Gentiles præſtabant tale juramentum ad aram certi numinis, quod quale fuerit vid. *Ræward.* 5. *var.* 8. At Juſtinianus ſic ſtatuit, ut omnes omnino judices, & arbitri non aliter litium primordium accipiant, niſi prius ante ſedem judicialem Sacræ deponantur Scripturæ, & permaneant uſque ad terminum, & recitationem definitivæ ſententiæ. Licet autem nihil hic dicatur de juramento; tamen intelligitur ex ſententia Hotomani; & nominatim decernitur in *novell.* 15. §. *penult.* Sed apud nos hæc aliter obſervantur, nam juramentum ſemel tantum præſtatur, dum judex officii adminiſtrationem nanciſcitur; idque fortaſſis ex jure Longobardorum originem duxit, vid. *l. ult. lib.* 2. *leg. Longobard. tit.* 53. Alia forma juramenti præſcribitur in capit. *item recipiant* 37. Caroli I., nempe ut jurent officiales, ſe pro officio conſequendo nihil dediſſe, aut promiſiſſe. Et idem confirmatur in *pragm.* 4. §. 1. *de official. & his, quæ eis prohib.* Denique alia ſpecies juramenti præſcribitur in *pragm.* 10. §. 7. *de ſuſpicion. official.*, ut prima die cujuſque anni a judicibus præſtetur coram Regente juramentum *de ſilentio tenendo, & ſecreto ſervando*. Quod ipſum ſtatuitur quoque de Sacro Conſilio, & Regia Camera. Et ratio affertur, ne evulgatis iis, quæ in Tribunali tractantur, præter alia incommoda, occaſiones oriantur proponendarum ſuſpectionum contra judices.

X. Præcipua autem cura Regentis Magnæ Curiæ verſa-

Digitized by Google

ſatur in ſeligendo ex judicibus aliquo in ſingulis cauſis, ſive civiles ſint, ſive criminales. Et hoc in omni ferme judicum collegio obſervari ſolet, ut ſcilicet ex eis unus deſignetur, cui ſpecialiter incumbat onus, hoc, vel illud negotium examinandi, cæteriſque referendi. In ſenatu Romano ſimile quid in uſu erat, unde dicebatur jus relationis, quod utplurimum magiſtratibus majoribus competebat. Apud nos vulgo dicitur *cauſarum commiſſio*. Antiquitus in Magna Curia cauſæ non committebantur, adeo ut quod unus ex judicibus incœperat, alter terminaret, ut ait de Franchis *deciſ.* 143. *in fin.* Sed poſtmodum ad confuſionem evitandam inductum fuit, ut Regens cauſas diſtribueret. Semel autem aliquo ex judicibus per Regentem electo, non licet idem negotium alteri committere, niſi ex evidenti neceſſitate, *prag. 6. §. 3. de offic. Mag. Juſt. & prag. 25. §. 39. de official. & his, quæ eis probib.* Hæc conſuetudo occaſionem præbuit noſtris animadvertendi, diſtributionem cauſarum non tribuere juriſdictionem. Unde orta eſt quæſtio, utrum Judices Magnæ Curiæ, Conſiliarii Sacri Conſilii, Præſides Regiæ Cameræ habeant juriſdictionem ordinariam, an delegatam. Sed eam examinare magis tempeſtivum erit, ubi de Sacro Conſilio diſputabimus.

CAPUT V.

De authoritate Magnæ Curiæ in civilibus cauſis.

HACTENUS de Magna Curia generaliter tractatum eſt, ſive de univerſo Tribunali: nunc videamus quid ſpecialiter, & ſeparatim ſtatutum ſit, poſtquam illud in duas veluti partes diviſum eſt, ut diximus; nam poſt eam diviſionem neceſſarium omnino fuit, ut ſpecialia quædam conſtituerentur in civilibus diſceptationibus; & eodem modo in criminum animadverſione. Et primo agamus de Magna Curia civili; quia ad eam pertinentes leges pauciores ſunt, & faciliores, prout exigit ordinis ratio: non quod ea præſtantior ſit criminali, ut quibuſdam placet. Et ſane apud no-

noſtros non ſemel quæſtio fuit propoſita, utrum civiles, an criminales judices digniores cenſeantur; & per conſequens, quinam ex eis ſint præferendi. In hanc rem ſi volumus diligenter inquirere, nulla ſeſe offert dubitandi ratio; nam cum unum, idemque ſit Tribunal ex primæva ſua inſtitutione, omnes proculdubio inter ſe æquales ſunt, qui in illud conveniunt; & propterea ex generalibus regulis ſemper antiquior præfertur recentiori; idque eo magis apparet, quod utrique unum, idemque caput habent; unde ſequitur, unum idemque corpus eſſe. Neque obſtat, quod ſeparatas habeant ſedes, nam id tantum factum fuit, ut negotiorum, cauſarumque multitudo commodius expediretur.

II. In hac controverſia rejiciendum eſt argumentum, quo utitur Capiblancus in *prag. 1. de Baronibus n. 63.*, qui dum ſimilem proponit quæſtionem inter Baronem, cui civilis juriſdictio, & eum, cui criminalis attributa eſt, aſſerit criminalem digniorem eſſe, quia habet merum imperium, quod eſt potentius ſimplici juriſdictione; nam hoc vulgare tantum judicium eſt, æſtimare perſonarum qualitatem ex majori, vel minori damno, quod timetur. Cæterum quod attinet ad authoritatem publicam, quæ in genere eadem eſt, diſtinctio dignitatis aſſumitur ex ipſo gradu, in quo unus ab altero diverſimode collocatus eſt; non ex eo, quod plus minuſve timetur incommodi. Hinc Romæ omnium dignior erat Conſul, eique cæteri ſuberant Magiſtratus; & nihilominus in urbe poterat tantum jubere civem in vincula publica duci; neminem autem pœna capitali afficere. Contra Præfectus urbi longe inferior, in inſulam deportandi jus habebat, quæ pœna ſucceſſit in locum interdictionis aquæ, & ignis, & erat capitalis *l. 2. §. conſtat D. de pœnis*. Adhæc ſi verum eſſet, digniorem cenſeri eum, qui jus gladii habet, ſequeretur, in Regno non ſolum Magnam Curiam, & Regias Audientias, ſed etiam Gubernatores cujuſcunque civitatis, vel oppidi digniories eſſe Regia Camera, cui talis facultas data non eſt, niſi ex accidenti, ſive tantum per conſequentiam. Ne autem ſuæ ſententiæ deſit authoritas, citat Capiblancus *l. imperium 3. D. de juriſdictione*, cujus hæc ſunt ver-

verba: *Imperium, aut merum, aut mixtum eſt. Merum eſt imperium, habere gladii poteſtatem ad animadvertendum facinoroſos homines . . . . Mixtum eſt imperium, cui etiam juriſdictio ineſt; quod in danda bonorum poſſeſſione conſiſtit*. Quis quæſo ratione utens ex his verbis inferre audebit, digniorem eſſe eum, cui competit jus gladii? Verum in quæſtione propoſita circa Magnam Curiam, Petra in *comment. ad rit. 2. num.* 19. contrariam tuetur ſententiam, nam refert præcedentiam deberi judicibus civilibus; idque ex facto comprobari ait, dum Curia ſedet pro tribunali in ſolemni inſtrumentorum liquidatione, & in proferenda forjudicationis ſententia. Sed hic uſus invaluit ex errore interpretum, nam ejus fundamentum conſiſtit in *l. 1. Cod. de offic. Vicar.* quam allegat ipſe Petra; & nihilominus ea conſtitutio nihil omnino probat, & eſt a propoſito aliena. Solebant Romani Imperatores quoſdam de Republica benemeritos viros, Comitis dignitate honorare, eoſque ſpecialiter deſtinare ad Provincias defendendas *credito milite*, ut ait *l. 3. C. T. de Comitibus rei militaris*; hoc eſt militibus aſſignatis, quibus præerant. Cum autem orta eſſet inter ejuſmodi Comites, & Vicarios provinciarum diſſenſio circa authoritatem, & juriſdictionem, cenſuit Imperator Valentinianus eam ſic definire in *cit. l.* 1. ut Vicarius ſit quidem dignior, & per conſequens præferatur Comiti, prioremque locum occupare debeat, quia gerit vices Præfecti Prætorio, qui *Imperialis judicationis ſolet repræſentare reverentiam*, ut ait conſtitutio: cæterum in militaribus negotiis, ſeu quæ ad militiam tantum pertinent, Comes præferatur Vicario; in civilibus vero ſecus. Sed quid hæc definitio ad rem noſtram? Primo nos quærimus de judicibus Magnæ Curiæ, qui ſunt omnes æque de eodem collegio, ſive tribunali: conſtitutio Valentiniani loquitur de officialibus inter ſe longe diverſis, ac diſſimilibus. Secundo concedamus, eam legem controverſiæ propoſitæ aptari poſſe, quid tum poſtea? Ex ea tantum deducetur, judices civilibus cauſis præpoſitos digniores eſſe judicibus rei militaris: at nos quærimus de diſcrimine inter cauſas civiles, & criminales. In ſuperiori conſtitutione

cau-

cauſæ civiles dum opponuntur militaribus, non denotant cauſas pecuniarias, ſed eas, quæ ſunt extra negotia militaria; & propterea poſſunt etiam eſſe criminales. E diverſo dum dicuntur cauſæ militares, poſſunt eædem & civiles eſſe, & criminales, modo pertineant ad militiam. Denique ſi conſtitutio Valentiniani probaret pro ſpecie noſtra, probaret tantum, judices civiles præferri criminalibus, dum agitur de cauſis civilibus; criminales contra iis præferri, dum agitur de criminibus. Verum hoc ad quæſtionem non pertinet; nam nos tantum quærimus quinam ſint digniores, civiles, an criminales judices. Sed e diverticulo revertamur in viam.

III. Quamvis antiquitus non ſolum criminum quæſtiones, ſed & civiles diſceptationes, hoc eſt pecuniariæ cauſæ majoris momenti in Magna Curia pertractarentur, ut alibi diximus; tamen ſub Regibus Aragonenſibus noviter erecto Sacri Conſilii Tribunali, quæſtiones criminum jure ordinario adhuc remanſerunt penes Magnam Curiam, ſed diſceptationes civiles paulatim introduci cœperunt, etiam in eodem Conſilio in prima inſtantia, ut vulgo dicimus; licet illud Tribunal ex primæva ſua inſtitutione appellationis tantum fuiſſet, ſive potius ſupremæ Principis cognitionis, prout ſuo loco exponetur. Hinc ad removendas quæſtiones, quæ ſæpiſſime ſolent emergere inter judicantes, circa limites propriæ juriſdictionis, & circa authoritatem publicam, quam unuſquiſque cupit ampliare; veriſimile eſt, prudentiſſimum Regem Ferdinandum I. conſtitutionem edidiſſe, relatam in *pragm. 3. de offic. Sacr. Conſil.*, qua definivit, cauſas quaſdam majores, de quibus infra, ad Sacrum Conſilium pertinere; minores vero ita demum in Sacro Conſilio voluit proponi, ſi excederent ſummam 25. unciarum auri, aliter remitterentur ad curias inferiores. Sed quoniam ætate Ferdinandi Magna Curia jam inferior erat reſpectu Sacri Conſilii, ideo nomine curiarum inferiorum illa quoque comprehendebatur. Et propterea ex hac conſtitutione generalis regula deducitur: *cauſæ infra ſummam 25. unciarum non poterunt tractari in Sacro Conſilio, ſed omnino inſtituendæ ſunt in Magna Curia.*

IV.

IV. Sed priuſquam ulterius progrediamur, videamus breviter quid unciæ nomine intelligatur; & quam pecuniæ numeratæ quantitatem contineat; præſertim quod ejus ſæpe in legibus noſtris fit mentio. Imo dum pœnæ ſtatuuntur pecuniariæ, vel multæ mandatis judicum comprehenduntur, ſemper deſignari ſolent, ex formulis forenſibus, ſub nomine unciarum. Ex communi Doctorum interpretatione uncia denotat ſex aureos. Qua in re conſiderarunt illi potius quid antiquitus valebat, quam quid valuit poſteriori ætate. Et ſane in *l. 5. Cod. de Suſceptorib. lib.* 10. auri libra æſtimatur ſeptuaginta duobus ſolidis, ſive aureis, ut explicat Cujacius in notis. Et fallitur Matthæus de Afflictis in conſtit. *pœnam novem unciarum*, dum ait, unciam valere quinque aureos; & male utitur *l. un. Cod. de argenti pretio eod. lib.* 10., ſiquidem ibi cavetur, ut pro ſingulis libris argenti poſſit quis theſauris inferre quinos ſolidos, ſive aureos; & argenti libra æſtimatur ſexaginta argenteis *l.* 1. *Cod. Theodoſ. de expenſis ludorum*. Quæ ſumma æquivalet quinque ſolidis, ſive aureis; unde nihil hoc ad unciam auri, quæ ut modo diximus, ſex ſolidis conſtat. Quapropter licet temporibus noſtris uncia auri pluris æſtimetur, tamen cum in legibus Regni uncia auri exprimitur, intelligitur, ex communi Doctorum ſententia, pro ſex aureis. Unde in *cit. pragm.* 3. vigintiquinque unciæ denotant aureos centum quinquaginta.

V. Ne autem ex lege Ferdinandi male inferretur, cauſas omnes, excedentes uncias vigintiquinque, poſſe indiſtincte proponi in Sacro Conſilio, etiam in primo judicio: ideo ex decreto Ducis Alcalenſis (geſſit hic Regis vices ſub Philippo II.) prout refertur in §. 2. *ejuſd. prag.* declaratum fuit, cujuſcunque generis cauſæ ſint, non poſſe litigantes invitos extrahi a diſtrictu ſui incolatus; ſed in primo judicio unumquemque in loco domicilii conveniendum eſſe, ſecundum commune, & municipale jus: *exceptis tantum iis, quarum cognitio ex privilegio perſonarum, rerum, cauſarum, ſive alio, ſpectat ad Sacrum Conſilium*. Et ne dilationibus ſit locus, jubetur, privilegiorum mentionem fieri

T de-

debere in ipſis ſupplicationibus, ex quibus introducitur cauſa in Sacro Conſilio. Hæc eadem dicenda ſunt in Magna Curia; nam ſi lis continet ſummam minorem vigintiquinque unciarum, tunc demum in prima inſtantia ibi recte introducitur, cum ex privilegio competit actori, vel jus electionis fori, vel quodcunque aliud. At ſi lis fuerit in territorio Neapolitano, ſive in hac civitate, & ejus diſtrictu, ut loquitur pragmatica, tunc, ad ſummam uſque aureorum ſexaginta, cognitio in prima inſtantia erit in Magna Curia; ultra, poterit & in Sacro Conſilio introduci. Hæc omnia licet perſpicue & ſumma ratione ſtatuta ſint; tamen mirum eſt, ab omnibus interpretibus confuſim tractari, & in foro male obſervari. Unde tot importunæ dilationes vel in principio cujuſque litis introducendæ: quæ ſane jure publico removendæ ſunt; nam nihil magis publice intereſt, quam certo ſciri, quænam ſit cujuſque judicis juriſdictio, & quem adire debeant litigantes juris ſui experiundi gratia.

VI. Statuit præterea lex Ferdinandi, ut ſi quando appellatio interponi debet in cauſis infra ſummam vigintiquinque unciarum, ſive centumquinquaginta aureorum; non immediate Sacrum Conſilium adeatur a curiis inferioribus Regni, ſed, quemadmodum ſtatuit jus commune, ut non poſſit recta ad Principem iri, omiſſis his *ad quos debet fieri appellatio ex imo ordine*, ait *l.* 21. *D. de appellation.*, vid. *l.* 32. *Cod. eod. tit.*; primo appelletur in Magna Curia, & deinde gradatim in Sacro Conſilio. Quod ex uſu non obſervari in cauſis civilibus, notat Rovitus, in quibus ſolet a curiis inferioribus immediate Sacrum Conſilium appellari. Qua in re fortaſſis voluerunt noſtri a jure Romano recedere, & jus canonicum ſequi, quo permittitur, omiſſo medio, appellari ad Sedem Apoſtolicam *cap.* 7. *de appell.* Illud quoque rectiſſime proviſum fuit in eadem pragmatica, ut ſi quando a priori ſententia lata in curia inferiori appellatum fuerit ad Magnam Curiam, & hæc eandem confirmaverit, ita ut adſint duæ ſententiæ uniformes; ſi iterum provocetur ad Sacrum Conſilium, provocatio non admit-

ta-

tatur, niſi facta exequutione; ſeu, quod idem eſt, ut appellatio habeat effectum devolutivum, non ſuſpenſivum. Verum ad hoc ut reus ſit ſecurus, ſi forte per appellationem reſcindetur ſententia, tenetur actor cautionem præſtare de reſtituendo in caſu retractationis, ſive *ſuccumbentiæ*, ut ait pragmatica. Hæc eadem confirmantur in decreto Ducis Alcalenſis; & additur, idem obſervandum eſſe, quoties infra ſummam aureorum centumquinquaginta ſententia prolata fuerit in Magna Curia, etiam in prima inſtantia. Quod dicitur infra ſummam, intelligi debet, etiam ſi lis fuerit centumquinquaginta, nam ceſſat pragmatica tantum eo caſu, cum lis fuerit ultra eam ſummam, hoc eſt ultra aureos centum quinquaginta, idque & deciſum in Sacro Conſilio, refert de Franchis *deciſ.* 703. Illud autem quod proponit idem author *deciſ.* 308. an ſi lis fuerit circa ſpeciem, pragmaticæ ſit locus; extra omnem controverſiam eſt; nam dum exprimitur ſumma centum quinquaginta aureorum, comprehenditur & pecunia numerata, & ſpecies, ſive corpus æquivalens. Ut mittamus, quod pecunia generale nomen eſt, comprehendens & quantitatem, & res mobiles, immobileſque; nec ſolum ſpecies, & corpora, ſed jura quoque *l. pecuniæ* 178., *& l.* 222. *de verb. ſignif.*

VII. Circa appellationes a ſententiis prolatis in Magna Curia, ſpecialis quædam forma legibus noſtris introducta eſt. Jure Romano quoties appellandum erat a ſententia judicis inferioris, duplex conficiebatur libellus, unus ab eo, qui appellabat, & porrigebatur judici, a quo appellabatur: alter ab ipſo judice, qui illum tranſmittebat ad eum, qui de appellatione cogniturus erat, ſive Principem, ſive quem alium. Et hic libellus dicebatur *apoſtolus*, ſive *dimiſſorius* unde titulus in Pandectis *de libellis dimiſſoriis, qui apoſtoli dicuntur*. In hoc libello univerſa cauſa, ſententia, ejuſque ratio præſcribebatur; adhoc ut ſuperior cognoſcere poſſet utrum juſte pronunciatum foret, an ſecus. Non diſſimilis in omnibus ferme tribunalibus, ſive curiis methodus obſervatur, niſi quod pro dimiſſoriis ipſi actus judiciales tranſmitti ſoleant. At quoniam, ut dictum eſt, in Sacro

Conſilio Rex ipſe præerat, unde ſubditi eum adeuntes ſupplicibus libellis, aliquando ſe læſos querebantur a decretis Magnæ Curiæ, ideo ſolebat ille jubere, ut judices ipſi venirent ad ſuum conſiſtorium, ibique referrent, qua ratione hoc vel illud negotium geſtum eſſet; ut demum quid expediret, decerneretur. Hinc originem duxit methodus appellandi a Magna Curia, nempe ut judices ſeſe conferant ad Sacrum Conſilium, relationis faciendæ gratia. Quod aliquo modo abſurdum, & inconveniens videri poſſet, noſtrorum Tribunalium origines, atque primam inſtitutionem ignorantibus; etenim authoritas, quæ competit judici ſuperiori erga inferiorem, eſt tantum circa actuum judicialium reviſionem, ſententiæque reſciſſionem, vel confirmationem. Cæterum in perſonam illius imperium nullum habet, quia in genere authoritatis publicæ, pares ſunt inter ſe; & diſtinguuntur tantum ratione diverſi gradus juriſdictionis.

VIII. Ne autem in unoquoque libello ſupplici vocaretur judex ad conſilium Principis; ideo temporibus Ferdinandi I. Aragonenſis uſus erat, ut certa die fierent relationes. Hinc legimus in *pragm.* 8. §. 3. *de offic. Magiſtr. Juſtit.* ab eo Rege ſtatutum, ut qualibet die Saturni unus ex judicibus remaneret in Curia ad jus reddendum, reliqui vero relationis faciendæ gratia ſe conferrent ad *Caſtrum Novum*, ubi tunc temporis erat Regia, & per conſequens Conſilium Regis. Et licet poſtmodum Reges amplius Conſilio non præfuiſſent, & ſub Hiſpanis Principibus in unum, eundemque locum, nempe in Caſtrum Capuanum, prout hodie cernitur, utrumque Tribunal tranſlatum eſſet; nihilominus remanſit antiquus uſus relationis faciendæ per judices Magnæ Curiæ in Sacro Conſilio. Immutavit deinde idem Rex Ferdinandus tempus relationis hujuſmodi, ſtatuendo diem Mercurii. Verum ex inveterato uſu ſtatutus eſt dies jovis, vid. *pragm.* 18. *de offic. Sacr. Reg. Conſ.*, niſi ſit feriatus, quo caſu deſignatur utplurimum dies antecedens. Monet autem Rovitus in cit. *pragm.* 8. uſum referendi in Sacro Conſilio intelligi tantum *quoad incidentia*, ſeu decreta interlocutoria; nam quoties appellatur a ſen-

ten-

tentia definitiva Magnæ Curiæ, committitur appellationis cauſa uni ex Conſiliariis, ſecundum jus ordinarium.

IX. Quibus in cauſis appellationes admittantur in Magna Curia, & quæ in iis obſervandæ ſint, dicemus opportunius, cum de ordine judiciali inſtituetur diſputatio; ſiquidem in præſenti, cum de jure publico tractandum ſit, tantum inſpici debet, quænam ſit authoritas, & juriſdictio noſtrorum Magiſtratuum, quod ſane publice intereſt. Ob eandem rationem prætermitto, quod in eadem *pragm.* 8. decernitur, circa curiam regendam certis diebus per eoſdem judices; id enim cum præcipue inductum ſit in ſolemnitatibus liquidationis inſtrumentorum, commodius explicabitur, ubi dicemus de vi, & effectu publicarum ſcripturarum in judicio.

X. Præcipuum munus judicum civilium in Magna Curia conſiſtit in expeditione *Præambulorum*; ideo hac de re breviter dicendum eſt. Non autem hic agimus de ratione præambuli conficiendi ſecundum uſum jam receptum in foro, nam id cum pertineat ad jus privatum, proponetur in ſequentibus capitulis horum commentariorum. Tantum nunc inſpiciendum, quænam ſit hac in re authoritas Magnæ Curiæ, & unde originem duxerit. Quod utique cognitu neceſſarium eſt, ne, ſcribarum more, juris ſtudioſi formulas, conceptioneſque verborum tantummodo memoriæ mandantes, quid illæ ſignificent, & quo jure ſint inductæ, ignorent. Qui ex noſtris ſolam conſuetudinem forenſem inſpiciunt, generaliter aſſerunt, confectionem præambuli *privative* ad Magnam Curiam pertinere; adeout nec Sacrum Conſilium, nec Regia Camera talem authoritatem habeat, vid. Capyciumlatr. *deciſ.* 139. *in fin.*, & Petram *in rit.* 181. *num.* 11., alioſque. Qui vero ab origine ſua rem volunt repetere, id referunt ad jus Romanum; unde ſic ſcribit diſertiſſimus Franciſcus de Andreys *in conſult.* relata à Maradeo *in animad. ad obſervat.* 244. *Conſtat enim, decretum, quod vocamus præambuli, non aliud eſſe, quam bonorum poſſeſſionem decretalem, qua ſcilicet hæres per judicis decretum immittitur in poſſeſſionem rerum repertarum in hæreditate ad textum in l.* 1. §. *decretalis D. de ſucceſſ. edict.*

edict., *ut diſtingueretur ſcilicet a bonorum poſſeſſione edictali*, *quæ eſt ipſum jus petendi bonorum poſſeſſionem ex edicto Prætoris*. Sed, pace tanti viri dixerim, confundit ille jus Romanum cum moribus noſtris. I. Non omni ex parte bonorum poſſeſſiones, Prætorum edictis comprehenſæ, conveniunt præambulis apud nos introductis, ut ex ſubjectis apparebit. II. Falſum omnino eſt, ex decretali bonorum poſſeſſione immitti hæredem in poſſeſſionem rerum repertarum in hæreditate; etenim in *leg.* I. quam citat, ejus rei neque vola extat, neque veſtigium: Dein bonorum poſſeſſio, ſive edictalis, ſive decretalis, jus tantum tribuit hæredi ad hæreditatem adeundam; nam Prætores idem efficiebant, ac teſtantium voluntates, & leges ipſæ, ſcilicet, ut deferrent hæreditatem, ideſt tribuerent jus illius adquirendæ; cæterum adquiſitio, quæ pendebat ex voluntate, & ex corporali prehenſione rerum, omnino pertinebat ad factum ipſius hæredis. Hinc Ulpianus generaliter ait: *in omnibus vice hæredum bonorum poſſeſſores habentur l.* 2. *D. de bonor. poſſeſſ.* III. Minus recte bonorum poſſeſſiones decretales comparantur cum præambulis; nam præambula in quocunque caſu adquirendæ hæreditatis expediri poſſunt; at decretales bonorum poſſeſſiones in tribus tantum cauſis dabantur: in impubere, qui negabatur eſſe filius ex edicto Carboniano, de quo in Pandectis, & Codice eſt titulus. In impubere, nec parentem, nec tutorem habente ex ſpecie relata per conſtitutionem Theodoſii in *l. ſi infanti* 18. *in fin. Cod. de jure delib.* Denique in filio emancipato, qui inſtitutus erat, præterito eo poſthumo, qui putabatur eſſe in utero, cum mulier revera non eſſet prægnans, vid. *l.* 4. §. *ult.*, & *l.* 5. *D. de bon. poſſeſſ. contr. tabul.*, & *l. ventre* 84. *D. de acquir. hæred.* Omnes hæ dantur contra rationem juris civilis, & dantur ſupraſcriptis perſonis, non ſimpliciter, ſed ſub conditione, ſi cauſa ſit, cur dari debeant. Unde neceſſe eſt, hujus cauſæ cognitionem induci, ut quæratur, utrum ea cauſa ſubſit, necne ad permittendam bonorum poſſeſſionem. Ex his patet, decretalem, & edictalem bonorum poſſeſſionem non in eo differre, quod prima immittit hæredem

in

in poſſeſſionem, altera tribuit tantum jus illius petendæ: ſed in eo quod decretalis datur in certis caſibus, in quibus opus eſt decreto, hoc eſt cauſæ cognitione, edictalis ſtatim conceditur, utpote in verbis edicti comprehenſa, non in ſpeciali inquiſitione Prætoris circa factum. Unde decretum potius reſpiciebat cognitionem Prætoris, quam ejus pronunciationem, quæ etiam requirebatur in bonorum poſſeſſione edictali. Quapropter ſic nos monet Cujacius *ad tit. Cod. de Carbon. Edict. Edictalis bonorum poſſeſſio datur etiam de plano, in via publica, in tranſitu, in conſeſſu. Decretalis non datur niſi pro tribunali; omnis enim cauſæ cognitio tribunal deſiderat, omne decretum l. 3. §. penul. D. de bon.poſſ. Edictalis datur etiam die feriato, datur quacumque die: decretalis tantum die ſeſſionis, quo ſedet Prætor pro tribunali l. 2. §. dies D. quis ordo &c.*

XI. Sed, ut propius accedamus ad rem noſtram, Prætores, qui olim Romæ juri dicundo præerant, conſiderarunt, aliquando leges circa delationes hæreditatum, aut omnino deficere, aut ſtrictum jus continere; unde regula æquitatis adhibita, ex teſtamento, & ab inteſtato hæredes ſtatuebant, modo voluntates ipſas defunctorum, & legum diſpoſitiones adjuvando, modo ſupplendo, quod iis deerat, modo emendando, ſive potius ad æquiorem formam reducendo. Et inde ortum habuerunt variæ Prætoriarum hæreditatum ſpecies, quæ affatim proponuntur, & explicantur in jure Romano, & ſpeciali nomine bonorum poſſeſſiones appellantur; nam Prætores de proprietate vocabulorum ſolliciti, noluerunt hæredes vocare eos, quibus ipſi deferebant hæreditatem; cum illud vocabulum denotaret tranſlationem dominii, quod teſtatoris, vel legis tantum munus eſſe exiſtimabant; & propterea vocarunt ſimpliciter bonorum poſſeſſores. Sed effectu idem prorſus erat *dict. l. 2.* Quamvis autem ſequiori ætate in Italia, cæteriſque Europæ Provinciis jus Romanum in uſu eſſet, & nominatim in hoc Regno; tamen in foro, & in cauſis agendis, immutata magiſtratuum forma, & authoritate, circa adquiſitiones, & petitiones hæreditatum, ſolæ leges, ſive communes, ſive mu-

municipales, aut locorum conſuetudines ſervabantur; nulla autem ratio habebatur de Prætoriis edictis, & de antiquis vocabulis. Unde hæredes, præſertim deſcendentes, & aſcendentes, quique ex tranſverſalibus proximiores erant defunctis, ſeſe immiſcebant hæreditatibus, & hæreditates adquirebant rebus ipſis, & factis, per alienationes, locationes rerum hæreditariarum, & per ſolutiones æris alieni. Sed quoniam non raro eveniebat, præcipue in nominibus debitorum, ut in exactione pecuniæ debitæ exceptiones a debitoribus opponerentur circa perſonas hæredum, ideo paulatim inductum fuit, ut hæredes publica conficerent inſtrumenta, ſive judiciales atteſtationes, quibus oſtenderetur, ſe revera tales eſſe; nam judicum munus erat inquirere, ſive de validitate teſtamenti, ſive de gradu legitimo in ſucceſſione ab inteſtato.

XII. Hæc omnia clarius apparebunt, ſi in leges Regni diligentius inquiremus; nam in iis legimus, olim in ſcripturis ſolemnibus non ſolum publicos notarios adhibitos fuiſſe, ſed etiam judices juri reddendo conſtitutos, vid. conſtitut. *Bajulos, & omnes judices*. Verum poſtea cum illi litibus dirimendis occuparentur, viſum fuit commodius, certos, & ſpeciales judices ad eam rem ſtatuere; unde originem habent, qui adhuc hodie in publicis inſtrumentis adhibentur, judices ad contractus, qui & *cartularii* a noſtris dicuntur. Igitur cum vellet quis publice oſtendere ſe hæredem eſſe patris, fratris, avunculi, aut cujuſcumque etiam extranei, adibat judicem, ut ab eo conficeretur ſolemnis ſcriptura atteſtationis hæreditatis jam delatæ, & aditæ; non quod exiſtimaretur id omnino neceſſarium, ſed quod eo modo omnes controverſiæ circa delationem hæreditatis, & perſonam hæredis removerentur: etenim creditores, & debitores hæreditarii inſpecto ſolemni inſtrumento, authoritate judicis confecto, ſtatim acquieſcebant; quiſque enim jam ſecurus eſt, dum quod gerit, publica judiciali authoritate confirmatur. Hinc moribus, & conſuetudine introductum eſt, ut quædam, licet de jure ſubſiſtant, tamen judicialiter conficiantur, tantummodo ad idoneam probationem,

&

Digitized by Google

& ne aliqua deinde ſuboriantur impedimenta. Hujus generis eſt decretum prælationis, quod curant interponi creditores, qui dant pecuniam ad rem reficiendam, aut conſervandam, licet prælatio eis competat de jure ex *l. 5. & 6. D. qui pot. in pign. &c.* Ad conſtituendum debitorem in mora, interpellatio extrajudicialis ſufficit; imo interpellare, ut eleganter monet Donellus in *tract. de mora*, proprie eſt, interim debitorem appellare, prius quam jure, judicioque cum eo agatur: & nihilominus ad difficultates removendas, & ut liquido conſtare poſſit, debitorem eſſe in mora, ſemper in judicio fit interpellatio. Inventarium ſolemne ex *l. ult. C. de jur. delib.*, *& novell.* 1. *cap.* 2. fieri debet coram publico tabulario, & teſtibus: at multoties adhibetur judicis præſentia majoris cautionis gratia. Eodem modo finium regundorum controverſiæ a peritis ſolent terminari; ſed judicis interventus non ſemel a litigantibus petitur.

XIII. Igitur acquiſitio hæreditatis delatæ, ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato, licet recte fieri poſſet ab hæredibus, aut ſola voluntate, quam leges Romanæ aditionem appellant, aut rebus ipſis, & factis, quod eſt gerere ſe pro hærede, tamen ne qua impedimenta intervenirent ad actus hæreditarios exercendos, cœperunt fieri per publica inſtrumenta, ſive atteſtationes coram judice, ut omnibus innoteſceret, Titium *e. g.* Caji Seji hæredem eſſe. Ne autem hac in re aliqua ſuperſit dubitandi occaſio, perpendamus ſententiam ritus 181., ex quo omne jus præambulorum, & conſuetudinem forenſem circa ea, deducunt Doctores noſtri. Sed male ratiocinantur. Agitur ibi de liquidatione inſtrumenti (hæc eſt forma apud nos introducta, unde mixta quædam actio inſtituitur, civilis nempe, & criminalis contra debitores ex publico, & ſolemni inſtrumento, ut explicabimus ſuo loco); quæ proponitur ab hærede creditoris. Et ex generali regula, ut quando quis agit non ex perſona ſua, ſed aliena, debeat oſtendere ſe revera talem eſſe legitimis documentis, veluti cum quis dicit ſe tutorem, procuratorem &c. ad hoc ut actus judiciarii recte poſſint procedere; decernitur in ritu, inſtrumentum non poſſe liquidari, niſi an-

Digitized by Google

tea conſtet, actorem revera eſſe hæredem. Dubium tantum fuit ea ætate, utrum ad talem probationem requireretur præciſe publicum inſtrumentum, ſcilicet quod ſolitum erat confici coram judice ab omnibus iis, qui patefieri volebant ſe hæredes eſſe; an, ſi illud confectum antea non fuiſſet, poſſet actor in ipſo judicio liquidationis oſtendere, & probare ſe eſſe hæredem. Et recte ſtatuitur in ritu, id fieri poſſe, nam parum intereſt, utrum quæ pertinent ad judicis inſtructionem, præſertim circa legitimationem perſonarum, peracta ſint ante judicium incœptum, an perficiantur in ipſo judicio; *e. g.* ſi quæſtio oriatur, utrum actor ſit emancipatus, an in poteſtate patris, eundem effectum habebit, ſi ille inſtrumentum emancipationis antea confectum adducat, quam ſi in præſenti velit coram judice probare, ſe emancipatum eſſe. Hæc omnia manifeſtius apparebunt ſi ipſa ritus verba ſubjiciamus, quæ ſic ſe habent: *Item ſervat ipſa curia, quod ſi fit præſentatio inſtrumenti debiti in ipſa Curia, quod non eſt liquidum, puta quia dico hæredem Titii, cui feciſti inſtrumentum tale &c. licet non conſtet per publicum inſtrumentum, quomodo ſum hæres, tamen poſſum dare petitionem, & probare per quaſcunque probationes, me eſſe hæredem. Et interpoſito decreto, quod ſum hæres, procedat interrogatio. Aliqui tamen dicunt contrarium; dicentes, quod debeo probare in promtu per publicum inſtrumentum, me eſſe hæredem, prout in quadam alia obſervantia &c. Quarum quandoque fuit obſervata una, quandoque alia.* Ex illis verbis: *interpoſito decreto, quod ſum hæres, procedat interrogatio*, intelligimus unde vox *Præambulum* orta ſit in foro; nempe, dum lis inſtituitur, & ante decretum in cauſa principali, orta quæſtione circa perſonam actoris, an revera ſit hæres, quoties judex id declarat ſua ſententia, hæc appellata fuit ſententia *præambula*, quaſi quod ambulat ante ſententiam definitivam. Vox ſane nova eſt, & barbara, quæ non legitur in conſtitutionibus, aut capitulis Regni, ſed uſurpata tantum a rituum compoſitoribus, nam ejus fit mentio in *rit.* 286. Fortaſſis eam acceperunt ab Accurſio, qui in *l. divor-*

tio

tio 8. D. ſolut. matrim. pro vindemia antecedenti, dixit *vindemiam præambulam*. Verum hodie paſſim ea voce utimur in foro ad ſignificandum inſtrumentum, ſive decretum judicis de hæreditate jam delata, & adita; licet non ſemper ſit præambulum, nam dum petitur ſimpliciter, quando nulla lis adeſt, non recte dici poteſt præambulum, quia non eſt decretum, quod ambulat ante ſententiam definitivam. Sed relinquamus grammaticis quæſtiones vocabulorum examinandas.

XIV. Doctores igitur noſtri male ratiocinantur, dum aſſerunt, ex dicto ritu 181. provenire jus præambulorum; nam ibi tantum proponitur, quod generaliter jure ſtatutum erat, & forenſi conſuetudine confirmatum, ut dum hæres creditoris vult actiones hæreditarias inſtituere contra debitores, teneatur antea legitimis probationibus oſtendere in judicio, ſe revera hæredem eſſe. Et hinc apparet, male quoque eos ratiocinari, dum generaliter ajunt præambula eſſe decreta interloquutoria, ut videre eſt apud Capycium-latr., & Petram *ll. cit.* alioſque paſſim; nam ſunt decreta interloquutoria in ſpecie ritus, & in aliis ejuſdem generis, quoties lite jam incœpta, ſi quæſtio oritur circa legitimationem perſonæ hæredis, judex interim loquitur, hoc eſt ſuſpenſa cognitione ſuper cauſa principali, interea ſententiam pronunciat, actorem hæredem eſſe. At quando judicium nullum eſt inſtitutum, & petitur in Magna Curia declaratio hæreditatis jam delatæ, & aditæ, quænam tunc erit interloquutoria ſententia? Et multo magis quando inter duos inſtituitur judicium petitionis hæreditatis, & demum Magna Curia ſententiam profert vel pro actore; vel pro reo; ipſum præambulum locum obtinet definitivæ ſententiæ.

XV. Ex his quoque apparet falſum eſſe axioma jamdiu in foro receptum, expeditionem præambuli ſolius Magnæ Curiæ munus eſſe; nam id, præterquamquod nullibi in legibus Regni invenitur ſtatutum, ratione caret; quandoquidem ſi in Sacro Conſilio agitantur controverſiæ cujuſcunque generis, cur non poterunt ſententiæ pronunciari

V 2 cir-

circa hæreditates, & per conſequens declarari quisnam ſit hæres legitimus, vel teſtamentarius. Concedunt quidem noſtri, & uſus in foro confirmat, poſſe controverſias circa delationem hæreditatis, tum in prima inſtantia, tum in judicio appellationis tractari in Sacro Conſilio; ſed eodem tempore aſſerunt, non poſſe Sacrum Conſilium præambulum expedire, ſed tantum poſt prolatam ſententiam, Magnæ Curiæ mandare, ut procedat ad illius expeditionem; vel ſtatuere, ut Magna Curia non expediat præambulum inconſulto Sacro Conſilio; ejuſque rei variæ formulæ leguntur apud Carolum de Roſa in *prax. civil. cap. 3. circ. fin.*; quæ oſtendunt, antiquos Doctores noſtros, dum forenſem praxim compoſuerunt, exiſtimaſſe, capitalem inimicitiam intercedere inter authoritatem S. C., & præambulorum expeditionem; nam cui bono, ut finita jam lite in Sacro Conſilio circa actionem petitionis hæreditatis, partes adire debeant Magnam Curiam pro expeditione præambuli; cum ipſamet ſententia Sacri Conſilii id ſatis ſuperque declaret? Hoc ſane dilationibus, & diſpendiis tantum deſervit. Adhæc poterit hæres ſcriptus in teſtamento petere poſſeſſionem bonorum ex *l. ult. Cod. de edict. Div. Adr. toll.* (vulgo in foro dicitur *remedium immiſſionis*) etiam in Sacro Conſilio, qua de re idem Carolus de Roſa formulam decreti proponit *lib. cit. cap. 4. num.* 128.; & cur non poterit præambulum petere? Nam ſi Sacrum Conſilium poteſt ſententiam proferre circa poſſeſſionem, dilata interim quæſtione circa judicium petitionis hæreditatis, ut eſt ſenſus *cit. l. ult.*, cur non poterit pronunciare ſuper petitorio, & declarare hæredem? Demum, ſi verum eſt, quod nonnulli ex noſtris docent, prout ſupra annotavimus, decreta præambuli ſimilia eſſe bonorum poſſeſſionibus, olim dari ſolitis a Prætore; ea facultas magis propria erit Sacri Conſilii, in quo veſtigium aliquod apparet prætoriæ juriſdictionis, quæ potiſſimum conſiſtebat in danda bonorum poſſeſſione. Hæc autem non ideo a me proponuntur, ut velim invertere uſum jam introductum in foro, ſed tantum, ut juris ſtudioſis in aperto ſit, undenam quædam forenſes conſuetudines originem du-

duxerint; & ut omnibus innoteſcat, multoties forenſes quaſdam dilationes, & verborum concertationes non ex legibus ipſis provenire, ſed ex opinionibus, & doctrinis interpretum, qui ſæpiſſime uſque adeo addicti ſunt iis, quæ ſemel didicerunt, ut de juſtitia, & æquitate parum, aut nihil ſint ſolliciti.

CAPUT VI.

De authoritate Magnæ Curiæ in criminalibus.

POSTQUAM Tribunal Magnæ Curiæ diviſum fuit in partes duas, prout ſupra diximus, quidam ex judicibus ſpecialiter ad crimina punienda ſtatuti fuere; eorumque collegium, a cæteris ſeparatum, appellatur Magna Curia criminalis, de cujus authoritate nunc diſſerendum.

II. Publica poteſtas judicandi, ſive imperium, licet Romanis legibus in merum, & mixtum diſtinguatur, unde illo denotatur facultas animadvertendi in facinoroſos homines, hoc vero cauſarum civilium cognitio, & diſceptatio: tamen utrumque generali nomine juriſdictionis comprehenditur; ut animadvertit clariſs. Noodt *de juriſdict. cap.* 1. Hinc titulus de juriſdictone, qui extat in *Cod. Theod. & Juſtin.*, pertinet etiam ad criminum cognitionem. In juriſdictione quidem ineſt imperium; quod ſi lenius eſt, & ad privatorum tantum utilitatem regendam pertinens, appellatur *mixtum*; non quia cognitioni miſcetur, ait cit. Noodt *cap.* 4., ſed quia eſt temperatum, & non adeo vehemens, ut illud, quod dicitur merum, pertinens ad vindicandam Reipublicæ majeſtatem. Et eſt major, ſive ſumma poteſtas, vid. *l.* 2. *§. populo* 18. *D. de orig. juris, & l. unic. D. de offic. Præfect. Præt.* Ex quo conjicere poſſumus, obtinuiſſe olim in Italia vernaculo ſermone, *ut Poteſtas* abſolute, intelligeretur judex criminibus puniendis conſtitutus. *Merum imperium*, inquit Ulpianus, in *l.* 3. *D. de juriſdict.*, *eſt habere gladii poteſtatem ad animadvertendum facinoroſos homines*. Ubi notat Cujacius, eam definitionem con-

confectam eſſe a præcipua parte meri imperii, quæ eſt major, & ſeverior animadverſio, ſcilicet in vitam hominis. Cæterum eo nomine comprehenditur quævis poteſtas irrogandæ pœnæ legitimæ, hoc eſt impoſitæ legibus publicorum judiciorum, vid. *l. 6. D. de offic. proconſul. & l. 70. D. de regul. jur.* Hinc jus gladii abſolute, intelligitur poteſtas criminum coercendorum. Lampridius in Alex. *Honores juris gladii nunquam vendi paſſus eſt*. Et quoties magiſtratus aliquis ſtatuebatur cum facultate puniendi, addebatur *cum jure gladii*. Refert idem Cujacius *loc. cit.* antiquam inſcriptionem Neapolitanam: M. MERTIO. PRAEFECTO. ANNONAE. VRBIS. SACRAE. CVM. IVRE. GLADII.

III. Cum autem ex prima ſua inſtitutione, ſumma, & plena juriſdictio tributa eſſet Magnæ Curiæ, eo nominè comprehenſum quoque fuit imperium merum, ſive jus gladii. Quod & ipſum nomen ejus Præfecti, hoc eſt Juſtitiarii, ſatis demonſtrat; nam ſupra monuimus, juſtitiam ſequiori ætate acceptam eſſe pro juriſdictione; & Juſtitiarium pro eo, qui juriſdictionem exercebat. Quapropter cujuſcumque generis juriſdictio tributa fuit Juſtitiario, & per conſequens Magnæ Curiæ. Hinc apparet; moribus noſtris receſſum eſſe a Romanis legibus, quibus imperium merum non concedebatur jure magiſtratus, ſed extra ordinem: at Juſtitiario, Magnæque Curiæ illud competit ratione officii, nec ulla opus eſt ſpeciali conceſſione. Unde ferenda non eſt Pragmaticorum importuna diligentia, quod & alibi monuimus, dum paſſim conferre ſtudent magiſtratus Romanos cum noſtris; quandoquidem juriſdictionis munia legibus Regni diverſiſſimam formam accepere. Qua in re ſupra omnem feſtivitatem eſt quod noviſſime ſcribit Author *Juriſprudentiæ forenſis tom. 8. cap. 28. num.* 14. ad hunc modum: *Unde (* Juſtitiarius, & Magna Curia *) poteſt omnia, quæ Præfectus Urbis, & Prætor, quibus Juſtitiarium æquiparat Regens Tapia &c. . . . . Et omnia quæ Conſul poterat: cui etiam illum æquiparandum cenſuit Freccia &c. . . . .* Verum reprehenſione dignus ille non videtur, cum nihil quid-

quidquam de ſuo addit, ſed totus eſt in aliorum opinionibus coagmentandis, unde ingens opus prodiit in tot immania volumina diviſum. In quo tenuis non fuit labor; ſed vellem abſtinuiſſet vocabulo Juriſprudentiæ, quæ eſt *notitia juſti, atque injuſti*: cum ibi e contrario, dum omnia conſarcinantur ſine delectu, ac methodo, & quæcunque opinio vel abſurdiſſima abſque ullo examine proponatur, & confirmetur, dummodo ſcriptorum longa ſeries adducatur; videtur tanquam ex propoſito juriſprudentia oppugnari, & deſtrui quæcunque ars boni, & æqui.

IV. Non autem hic neceſſarium eſt repetere, quod & ſupra probavimus, juriſdictionem Magnæ Curiæ in criminibus non eſſe ordinariam in toto Regno, ſed tantum in territorio hujus civitatis. Et in delictis præcipue obſervanda eſt *prag. 2. ubi de delicto quis conveniri &c.*, nam pertinet ad bonum publicum, ut delinquentes inquirantur, & legitimis pœnis afficiantur ubi deliquerunt. Solet hic a quibuſdam objici, non debere ſubditos repelli, quoties ad ſuperiores recurrunt, ſive ut ab oppreſſionibus tuti ſint, ſive ut potentium & factioſorum maleficiis occurratur, quibus non ſolet aliquando ab inferioribus judicibus opportunum remedium afferri. Facilis reſponſio eſt: nos loquimur de jure ordinario, ex quo Magna Curia non debet juriſdictionem inferiorum judicum turbare. Cæterum cuicunque licet ſupremam authoritatem Principis implorare in caſu neceſſitatis, & extraordinariæ cognitionis; necnon etiam ſuperiorum Tribunalium auxilium, ubi opus eſt. Sed non inde ſequitur, etiam juriſdictionem ordinariam eſſe in toto Regno. Et huc pertinet edictum Ferdinandi primi Aragonenſis relatum in *prag. 12. de offic. magiſt. Juſtit.*, ut quoties a M. C. criminoſus aliquis remittitur ad ſuum judicem competentem, eidem comminetur infra menſem *juſtitiam fieri debere*; hoc eſt juſte, & legitime procedendum, reumque condemnandum. Quod ſane non denotat juriſdictionem ordinariam, ſed tantum authoritatem ſuperioris tribunalis, ut inferiores judices in officio contineantur. Authoritas autem verſatur tantum in cauſis appellatio-

num

num, in quibus obſervatur *pragm. 3. de offic. S. R. C.*, ſcilicet, ut a curiis inferioribus non appelletur immediate ad Sacrum Conſilium, ſed ad Magnam Curiam, licet contrarius uſus obtineat in cauſis civilibus. Imo *in pragmat. 46. eod.* nominatim injungitur, ut ſive in primo judicio, ſive in judicio appellationis proponantur cauſæ criminales in Sacro Conſilio, necnon etiam ea, quæ cauſis criminalibus cohærent, remittendæ ſint antea ad Magnam Curiam decidendæ. Eodem pertinet *pragm. 43. cit. tit.* Quæ authoritas Magnæ Curiæ in criminalibus uſque adeo confirmatur legibus noſtris, ut etiam qui ob privilegium proprios judices habent, ad eandem Curiam appellare teneantur. Hinc Carolo V. imperante ſtatutum fuit in *prag. 14. de offic. procur. Cæſar.*, ut in cauſis criminalibus, quæ tractantur in Curia artis ſerici, ſi quando appellatio interponi debet, id fiat, non ut antea in Regia Camera, ſed in Magna Curia. Et ratio redditur, quia ibi melius cognoſcuntur, & dijudicantur hujuſcemodi cauſæ, cum ſpecialiter illud Tribunal tali muneri ſit addictum. Verum ſuperior conſtitutio abrogata eſt uſu, ex quo inductum fuit, ut cujuſcumque generis cauſæ non minus civiles, quam criminales, propoſita appellatione, referantur in Sacro Conſilio ab ipſomet judice Curiæ artis ſerici; quod & Tapia notat in *cit. pragm.*

VI. Quoniam criminum animadverſio ad publicam utilitatem ſpectat, publicamque ſecuritatem inducit; ideo exemtiones, & privilegia, quæ nonnullis tribuuntur ratione officii, ſive artis, profeſſioniſque, intelliguntur tantum de delictis levioribus, quæ nempe vindictam publicam non requirunt, vel quæ ad officium ipſum, artem, profeſſionemque pertinent. Cæterum graviora, juriſdictionis ordinariæ ſunt, ſcilicet cognoſci debent a judice ſpecialiter criminibus puniendis conſtituto. Olim Procuratores Cæſaris, qui mittebantur in provincias ad vectigalia conquirenda, & impendia, ſi qua opus erat, facienda habebant quidem juriſdictionem in cauſis inter fiſcum, & privatos, necnon cognoſcebant de controverſiis eorum, qui ſcripturis conficiendis

dis rationum publicarum incumbebant: non autem deportandi, aut alterius capitalis pœnæ jus habebant *l. ult. D. de offic. Procurat. Cæſar.* Et propterea, ſi quando perſonæ iis ſubjectæ tale crimen perpatraſſent, ut ejus generis pœnam mererentur, animadverſio pertinebat ad Præſidem provinciæ, cujus erat jus gladii. Hoc clare oſtendunt verba Imperatorum Gratiani. & Valentiniani in *l. nullum* 10. *Cod. ubi cauſæ fiſcales &c. Nullum ex officio Rationalis* (hoc eſt Procuratoris Cæſaris, qui paſſim in libris juris Romani, Rationalis appellatur, unde titulus Pandectarum eſt *de officio Procuratoris Cæſaris, vel Rationalis*) *qui exactioni, vel cartis inſerviat* (ſcilicet ſcripturis ad exactionem vectigalium, quæ ſub cura erant Procuratoris, conficiendis) *in aliud judicium abduci oportet; niſi forte cujuſpiam caput accuſatio legibus inſtituta pulſaverit* (hoc eſt, niſi accuſatio inſtituta ſit, ſecundum leges publicorum judiciorum, in caput alicujus, nempe ad pœnam capitalem infligendam). Poterat tantum Procurator de capitali crimine cognoſcere, quando Præſidis vice fungebatur, ſcilicet, quando mittebatur ab Imperatore cum jure gladii, vid. Cujac. *lib.* 19. Reſponſ. Papin. in *l. ex conſenſu* 23. §. 1. *D. de appellat.* prout miſſus fuit in Judæam Pilatus, de quo ſic ſcribit Tacitus *lib.* 15. *Annalium: Per Procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus fuit*. Loquitur de Chriſto Domino. At in Evangelio Præſes appellatur, ut apud D. Matthæum *cap.* 27. *verſ.* 11. *Interrogavit eum Præſes &c.*

VII. Erant & in provinciis Imperii Procuratores patrimonii privati, hoc eſt earum rerum, quas Imperatores poſſidebant, non principatus, ſed proprio, privatoque jure; & propterea dicebantur Procuratores, & Actores rei privatæ, vid. *tit.* 4. *lib.* 10. *C. T.* Gaudebant hi ſane immunitate, & propriis privilegiis. Sed quia adminiſtrabant res Principis, inſolenter ſe gerebant, vexabantque provinciales; unde Imperator Conſtantinus ſeveriſſima lege juſſit, publice eos concremari, tantum ob calumnias, vel depredationes *l.* 1. *cit. tit. C.T.* Non minus autem ipſi, quam coloni, & conductores rerum privatarum, ſub earum cura, & adminiſtra-

tione degentes, quoties delinquebant, ſuberant ordinariis judicibus, hoc eſt Rectoribus provinciarum *l. cum aliquid* 8. *Cod. ubi cauſæ fiſcales &c.* Et quamvis ibi ſtatuatur, ut cauſæ colonorum delinquentium tractarentur, Rationale, ſive Procuratore rei privatæ præſente; tamen poſtea id ſublatum fuit ab Honorio, cujus conſtitutio extat in *l. minime* 11. *C. T. de juriſdictione*; ne Actorum malitia, & cunctatione differretur criminoſorum pœna; unde ſic concludit Imperator: *Utatur Rector provinciæ legibus, nullo interpoſito Rationali; latebris reus poteſtate judicis ordinarii protrahatur, ne per colludium Actorum, judicii fiat dilatio.*

VIII. Hæc & alia exempla, quæ non deſunt in libris Romani juris, oſtendunt, fruſtra ad privilegia, & exemtiones provocari, quoties crimen perpatratur contra *publicam diſciplinam*, ut ſunt verba *cit. l.* 8. Verum forenſes doctores, licet paſſim pro jure certo ſtatuant, cujuſcunque generis perſonas, quamvis in ſumma dignitate conſtitutas, in criminibus præſertim, Magnæ Curiæ ſubjectas eſſe; tamen unanimi conſenſu exceptionem proponunt de tribunali Regiæ Cameræ; & docent, non ſolum ejus Miniſtros, (de quibus eadem obtinere debent in gravioribus cauſis, præcipue criminalibus, quæ ſupra *cap.* 3. diximus de Regiis Conſiliariis) ſed & quaſcunque perſonas eidem addictas, ab omni alia juriſdictione exemtas eſſe; & pro delictis, etiam publicis, & graviſſimis, a Regia Camera cognoſci, & puniri debere; idque ſæpius ex facto deciſum referunt. Illud autem mirum videri poteſt, quod dum volunt Romanis legibus eam exceptionem probare, adducunt modo explicatam *l. nullum* 10., ut præ cæteris videre eſt apud Rovitum *deciſ.* 74., alioſque, qui longa ſerie citantur apud authorem Juriſprudentiæ forenſis *tom.* 8. *cap.* 26. *num.* 15., qui poſtquam generaliter ſic ſcripſiſſet: *Compertum, exploratumque eſt, Regiam Cameram Summariæ ſuorum cauſas officialium, ſeu agant, ſeu conveniantur, dijudicandi privativam habere poteſtatem, quæ in jure quoque civili nititur, & maxime in l.* 8. *& in l. nullum Cod. ubi cauſæ fiſcales &c.* demum hæc addit: *concludendum eſt, tribunal Regiæ Cameræ eſſe judi-*

cem competentem, cauſarum tam civilium, quam criminalium, atque mixtarum, ſuorum miniſtrorum, officialium, ac ſubditorum &c. Verum *cit. l.* 8. omnino eſt contraria, nam ex more forenſium allegatur, ſed non legitur. *L. nullum* 10., contraria quoque eſt in poſtrema ſui parte, prout jam explicavimus. Unde eadem controverſia dum tractatur a de Marinis *alleg.* 100. citatur *l. nullum*, tanquam contraria communi opinioni, quam ipſe quoque tuetur, & reſpondet, eam niti conſuetudini, & privilegiis Regiæ Cameræ. Quæ ſane privilegia nullibi extant in legibus Regni; nam in *volum.* 1. *privileg. pag.* 58. legimus tantum, preces porrectas fuiſſe a noſtris majoribus Conſalvo Cordubenſi, qui Regni dominium nactus erat pro Rege Ferdinando Catholico, ad abrogandam conſuetudinem jam introductam, non minus in Sacro Conſilio, quam in Regia Camera, & Magna Curia, necnon in Curia Præfecti claſſis maritimæ, ſive Admirati; ut officiales, actorum magiſtri, ſcribæ &c. eorum tribunalium, non poſſent coram aliis judicibus agere, vel conveniri; idque ſubditis admodum grave erat, & injurioſum. Eædem preces repetitæ fuere apud ipſummet Regem Ferdinandum Catholicum, vid. *cit. volum. pag.* 72. Igitur ſi volumus ad hæc privilegia recurrere, dicendum eſt, id ex uſu tantum introductum, non ex lege ſcripta, & non ſolum eum uſum obtinuiſſe in Regia Camera, ſed & in aliis tribunalibus, modo expreſſis. Et propterea neſcio, cur noſtri tam acriter exemtionem tantum defendant in perſonis addictis Regiæ Cameræ, non autem reliquis tribunalibus.

IX. Sed hæc omnis diſputatio videtur omnino temporibus noſtris ſublata, quandoquidem in pragmatica edita anno 1738. §. 1. *num.* 7. expreſſe cavetur, ut omnes cauſæ ſive civiles, ſive criminales, pertinentes ad eos, qui quocunque modo addicti ſunt, vel tribunali Regalis Cameræ, vel Sacri Conſilii, vel Regiæ Cameræ Summariæ, vel Præfecti annonæ, vel Magnæ Curiæ &c. cognoſci, & tractari debeant coram judicibus ordinariis; exceptis tantum cauſis, vel delictis, quæ circa officium ipſum verſantur.

Digitized by Google

Ex hac conſtitutione infertur, in publicis, & gravioribus criminibus enumeratas perſonas, in hac civitate ſubjectas eſſe Magnæ Curiæ, in provinciis Regni judicibus ordinariis locorum; ſiquidem ex generali regula, *cap. ult. de foro competenti*, ſortitur quis forum competens, ratione loci, ubi delictum commiſit. Hujus conſtitutionis ſententia, imo & verba ipſa adeo perſpicua ſunt, ut nullum omnino relinquant dubitandi locum, niſi ad cavillationes, & ſophiſmata recurrere velimus. Et vana omnino eſt ratio quorundam, quæ affertur a citato authore *juriſprudentiæ forenſis*, ſcilicet perſonas addictas Regiæ Cameræ, quoties aliis judicibus ſubjectæ erunt, non poſſe recte incumbere negotiis fiſcalibus, eaſdemque magis curare negotia privatorum, quam fiſci. Etenim non video quid fiſci interſit, utrum miniſter aliquis, rationalis, actorum magiſter &c. in Regia Camera agat, conveniatur, vel puniatur, an coram judice ordinario; nam cauſæ civiles recte per procuratores tractantur; quæ vero ſunt de publicis, & gravioribus delictis, cum reum ſuſpendant ab exercitio cujuſcunque officii, idem eveniet in uno tribunali, quam in alio. Neque dixeris, timeri damnum patrimonii fiſcalis, dum perſonæ addictæ Regiæ Cameræ aliis judicibus ſubſunt, unde indulgentiores privatis fient; quandoquidem ſi hoc timetur, multo magis eædem perſonæ non debent Regiæ Cameræ eſſe ſubjectæ, cum ob hanc ſubjectionem graviſſimo incommodo afficientur privati, quia modis omnibus curabunt fiſci tantum utilitati ſtudere. Quod utique leges ipſas offendit; nam Imperator Conſtantinus in *l. 2. C. T. de advocato fiſci*, ſic ait: *Potior apud nos privatorum cauſa eſt*, *quam fiſci tutela*. Quod multo magis ſub optimo Principe noſtro libere aſſerendum eſt, cui apprime conveniunt verba Plinii in panegyr.: *Quæ præcipua tua gloria eſt*, *ſæpius vincitur fiſcus*, *cujus mala cauſa nunquam eſt*, *niſi ſub bono Principe*,

CA-

Digitized by Google

CAPUT VII.

De Advocato, & Procuratore tum fiſci, tum pauperum.

INTER eos, qui ad criminum animadverſionem ſtatuti ſunt in Magna Curia, quibuſque illud tribunal componitur, numeratur advocatus, qui vulgo dicitur Fiſcalis, de cujus inſtitutione, atque munere ſeparatim hic tractandum eſt, ut facilius quæ pertinent ad publicam facinoroſorum hominum vindictam, & ad leges noſtras ea de re explicandas, intelligi, percipique poſſint.

II. Credunt communiter pragmatici, Romano jure fiſcum in criminibus non extitiſſe, ſed tantum in cauſis ad publicum patrimonium pertinentibus. Unde aſſerunt, legibus tantum noſtris ejuſmodi peculiare officium introductum, diſtinctionemque factam inter fiſcum criminum, & Regii patrimonii; quorum ille in Magna Curia, hic vero in Regia Camera aſſidet. Sed ne vulgaribus erroribus involvamur, paulo altius res repetenda eſt.

III. Sub libera Republica, imo & ſub Regibus, inter alios magiſtratus Romæ creati fuere Quæſtores, quorum cura erat quærere, ſive conquirere pecunias publicas, eaſque acceptas, & expenſas, in publicas tabulas referre; eorumque munus quoque erat pœnas pecuniarias exigere, & in ærario conſervare. Quod & ſub Imperatoribus uſitatum fuiſſe patet ex Tacito *annal. lib.* 13. Obtinuerat jam olim in uſu latini ſermonis, ut locus, ubi pecunia publica ſervabatur, diceretur abſolute *Fiſcus* (quod vocabulum ſui origine denotat inſtrumentum ad ſimilitudinem quali, hoc eſt vaſis viminei, in quo ponuntur olivæ, dum prælo ſubjiciuntur. Columell. *lib.* 12. *Deinde intrita oliva nova fiſco includitur, & prælo ſubjicitur*. Et quoniam pecunia aſſervari ſolet in crumena, ſive folli, facta ad ſimilitudinem fiſci, quæ major ſolet eſſe pro conſervanda pecunia publica; inde factum, ut locus ipſe, ubi talis pecunia reconditur, diceretur fiſcus, vid. Cujac. in *tit. Pandect. de jure fiſci*). Sed po-

ſtea idem vocabulum translatum fuit ad denotandum omne jus annexum, & cohærens publicis redditibus, univerſoque patrimonio publico. Fuit ſane olim aliquod diſcrimen inter fiſcum, & ærarium, unde ſic ait Plinius in panegyr.: *Et fortaſſe non eadem ſeveritate fiſcum, qua ærarium cohibes &c.* Jus populi, inquit *loc. cit.* Cujacius, ſive quod populus ſibi retinuit, nec contulit in Principem, veniebat nomine ærarii: reliquum omne quod populus a ſe abdicavit, & tranſtulit in Principem, nomine fiſci. At ſeneſcente jam ſub Principibus imperio, nullum fuit amplius inter fiſcum, & ærarium diſcrimen. Quoniam autem Auguſtus novos Magiſtratus induxerat, & præcipue Præfectum ærarii, & Procuratorem fiſci, quorum alter in urbe, alter in Provinciis publicæ pecuniæ curam gerebat, vid. Cujacium in *l.* 1. §. 1. *cit. tit.*; inde paulatim evenit, ut controverſiæ, quæ ea de re oriebantur, ad eorum juriſdictionem transferentur.

IV. Verum enim vero quoniam incommodum, & minus æquum videbatur, ut vel Præfectus, vel Procurator eſſent uno, eodemque tempore, & judices, & defenſores cauſarum fiſcalium; ideo ſapienter Hadrianus inſtituit Advocatum fiſci, vid. eund. Cujac. in *l.* 3. §. *divus D. cit. tit.*, qui nempe fiſci jura tueretur. Et eligebatur antiquior ex albo, ſive matricula advocatorum; ab eoque munere ad ſuperiores dignitates tranſcendebatur. Unde ſcribit Spartianus in *Caracalla*, Septimio Severo in advocatione fiſci ſucceſſiſſe Papinianum juriſconſultum; quem conſtat ad præfecturam prætorio perveniſſe. Erat autem annale, vel biennale illud munus, quo finito, fiebat Comes Conſiſtorianus. Interveniebat autem Advocatus fiſci, tum in provinciis apud Procuratorem Cæſaris, tum in urbe apud Præfectum ærarii. Igitur tali officio inſtituto, ſolebat advocatus, ut fiſci commoda procuraret, eos audire, qui deferebant, ſive nunciabant bona vacantia, caduca, commiſſa, vaga mancipia, theſaurorum inventiones &c.; quique delatores dicti ſunt, de quibus *lib.* 10. *Cod.* titulus legitur. Iidem deferebant ad fiſcum crimina publica, ut nos docet idem Cu-

Digitized by Google

Cujacius in *cit. tit. de delatoribus*, cum utplurimum bona reorum in fiſcum inferenda eſſent. Imo Imperator Conſtantinus in *l. 5. eod.* prohibuit delatores audiri ſine advocato fiſci. Hinc notat idem Cujacius ex *l. 5. §. advocatum D. de his, quæ ut indignis &c.*, patronum fiſci, & delatoris quodammodo patronum eſſe. Sed cum aliquando advocatus fiſci nimium delatoribus indulgeret, unde locus dabatur calumniis, ideo idem Imperator in *l. 3. Cod. de Advocatis fiſci* id prohibuit; ubi verbum *calumnias* Cujacius in paratit. interpretatur *falſas accuſationes*; nam auditis delatoribus, reos accuſabat fiſci advocatus. Paulatim optimi Principes eouſque delatores odio proſequuti fuère, ut ſtatuerint, eos, etiam poſt victoriam tertiæ delationis, capite puniri *l. 12.*, *& 13. C. T. de petitionibus, & ultro datis delationibus*. Imo ne audiri quidem tertio deferentes, ſed pœnam protinus ſubire voluerit Honorius in *l. 28. eod. tit.* Hinc factum fuit, ut cum delatores paulatim deficerent, ipſe fiſci advocatus crimina deferret in judicium; & propterea non minus in iis, quæ ad publicum ærarium pertinebant, quam, quæ ad crimina; fiſcus intereſſet. Quod Cujacius animadvertit in *paratit. Cod. de Advocato fiſci*: *& quos* (loquitur de Advocatis fiſcalibus) *deficiente alio accuſatore, ut fit hodie; & feciſſe Maximum Imperatorem Galliarum, Sulpitius refert in hiſtoria ſacra* (lib. 2.) *Princeps opponat accuſatores reis*. Hoc ipſum monet Gothofredus in *cit. tit. Cod. Theod.*

V. Ut autem ad inſtitutum noſtrum veniamus, Advocatus fiſci apud nos eandem originem, ac officium olim habuit, ac ſub Romanis Imperatoribus, nempe ut in Magna Curia aſſiſteret, ubi controverſiæ agitari ſolebant circa feuda, cæteraque ad Regium patrimonium pertinentia; cumque ibi etiam de criminibus cognoſceretur, præſertim gravioribus, ex quibus multoties publicationes, ſive *confiſcationes* bonorum proveniebant, idemmet advocatus pro eo, quod fiſci intererat, adhibebatur. Imo publicorum judiciorum conſuetudine ſublata, cœpit paulatim publici accuſatoris munere fungi. Quod multis in locis receptum

fuiſ-

Digitized by Google

fuiſse notat Grotius *lib. 2. de jur. bell. cap. 20. num. 15.*, idque prudenter ſtatutum cenſet Vinnius *tit. inſt. de public. judic.* §. 1., ad retinendam civium inter ſe concordiam; nam nullus privatus civis poteſt accuſatoris perſonam ſibi ſumere abſque maxima invidia, & odio ejus, cui diem dixerit; ex qua re facile ſeditiones oriuntur inter cives. Quod incommodum præclare vitatum eſt, univerſo hoc accuſandi munere demandato publicæ alicui perſonæ. Cum autem poſtea, novis tribunalibus inſtitutis in Regno, diviſa fuerit juriſdictio Magnæ Curiæ, ideo advocatus fiſcalis non ſolum in ea Curia adſiſtebat, ſed & in cæteris, ubi intererat publici patrimonii. Hinc refert Tapia in *rubr. jur. Regn. de offic. advoc. & procur. fiſcal.* uſque ad annum 1557. morem perduraſſe, ut unus, idemque fiſci advocatus adſiſteret tam in Magna Curia, quam in Regia Camera. Sed poſtea ob negotiorum multitudinem, ac varietatem, cum unus par non eſſe videretur, duo creati fuere, alter ut incumberet negotiis publici patrimonii in Regia Camera, alter criminum animadverſioni in Magna Curia, vid. Caravit. *rit.* 4.

VI. Apud Romanos Advocatus fiſci primus erat inter cæteros advocatos, unde non prohibebatur favore privatorum poſtulare, dummodo controverſia non eſſet contra fiſcum, vid. Cujacium in *paratitl. Cod. de advocat. fiſc.* Idem & apud nos olim obtinuiſſe clare patet ex *rit.* 18. Quod creditur perduraſſe uſque ad annum 1481., in quo a Rege Ferdinando I. id fuit prohibitum. Et deinde confirmatum generali lege a Philippo II. anno 1567., duplici ratione, prout habetur in *pragm.* 37. §. 8. *de offic. Magiſtr. Juſtit.* Primo quia Advocatus fiſcalis multitudine negotiorum, ad proprium officium ſpectantium, detinetur. Secundo quia e publico ſalarium habet. Exinde veriſimile eſt eveniſſe, ut apud nos dignitate advocatus fiſci ipſis judicibus, ac magiſtratibus æquipararetur, & cum iiſdem unum, idemque collegium, ſive tribunal conſtitueret. Hinc in *pragm.* 15. *de officialibus, & his quæ eis &c.*, dum uſus togæ advocatis, cæteriſque interdictus eſſet, & Miniſtris tantum, quos dicimus, permiſſus, imo expreſſe injunctus; inter eos nomina-

natim comprehenſus fuit Fiſcalis Regiæ Cameræ, & Magnæ Curiæ. Si igitur fiſci advocatus, qui olim inter cæteros advocatos primum locum obtinebat, poſtea gradum dignitatis adeptus eſt in eodem tribunali, cui aſſiſtit, ejuſdemque corporis membrum cenſetur; non video, undenam doctores noſtri dubitandi rationem arripuerunt, & per conſequens quæſtionis agitandæ, uter dignior habeatur, & præcedere debeat, Fiſcalis Regiæ Cameræ, an Magnæ Curiæ. Etenim Regia Camera ſupremi magiſtratus munere fungitur, ſive ſupremum tribunal eſt: contra Magna Curia, temporis decurſu, & novis legibus, facta eſt inferius tribunal; & propterea, quanto dignius eſt tribunal Regiæ Cameræ, Magnæ Curiæ tribunali, tanto illius advocatus hujus præſtantior habetur. Et inepta eſt quorundam ratio, quod antiquior ſit fiſcalis Magnæ Curiæ; nam antiquitas qui erat in Magna Curia, quoniam ibi incumbebat quoque publici patrimonii commodis, uno, eodemque tempore dici poterat, & fiſcalis Regii patrimonii, & criminum.

VII. Superiorem controverſiam præ cæteris doctoribus proponit Franciſcus Roccus in *tract. de offic. rubr.* 5. §. 7. ubi rationes, quas in contrarium adducit, nauci æſtimandæ ſunt; & præſertim ea, quod in Regia Camera agitur de rebus, in Magna Curia de perſonis, quæ illis digniores ſunt: ſiquidem non ex objectis, circa quæ verſantur judices, vel majores ſunt, vel minores; ſed ex authoritate, qua decorantur a Principe; nam ſecus ſuperiori argumento efficeretur, digniores eſſe judices Regiarum Audientiarum Præfecto Regiæ Cameræ, ſive Locumtenente. Ipſe autem Roccus, licet ſuperiorem ſententiam, quam & nos propoſuimus, defendat, utitur nihilominus, more pragmaticorum, futilibus argumentis, & præſertim ex *l.* 3. *D. de iis, quæ in teſtam. delentur*, ubi Marcellus juriſconſultus refert quæſtionem, habitam coram Imperatore inter advocatum fiſci, & advocatos quorundam legatariorum. Ex qua lege deducens Roccus argumentum, ſic ratiocinatur: *Idemque conſtat ex ejus præeminentia, quæ ſatis bene depromitur ex textu in l. proxime 3. &c., ubi advocatus fiſcalis judicium proferre poteſt,*

teſt, *nam ibi in textu habetur*, *quod Calpurnius Longinus advocatus fiſci judicium proferendo dixit: non poteſt illud teſtamentum valere &c.* Sed quænam eſt iſta tam inconcinna ratiocinandi methodus? quoniam advocatus fiſci ſuam coram Imperatore ſententiam protulit, igitur majori dignitate decoratur? Id equidem caſu evenit, nam poterat etiam de crimine quæſtio coram Imperatore agitari, nec propterea, qui vel accuſatoris, vel rei partes egiſſet, aliquem dignitatis titulum adeptus fuiſſet. Præterea in Marcelli reſponſo, etiam legatarii, atque advocati verba coram Imperatore prolata afferuntur: illi tamen doctorum noſtrorum acuminis ignari, legata tantum petierunt, nullum autem dignitatis titulum aſſequutos ſe crediderunt ob verba coram Imperatore prolata. Sed mittamus in re ſeria jocari.

VIII. Videamus modo, quodnam ſit advocati fiſcalis munus in criminibus; nam quod attinet ad publicum patrimonium, dicemus ſuo loco. Et ſane, ſi volumus ad ſuam originem illud referre, ex ſuperioribus apparet, fiſcum eas accuſationes proponere, & proſequi debere, quæ olim inter publicas numerabantur; necnon pœnis pecuniariis exigendis incumbere. Verum ex conſuetudine communiter jam recepta, & legibus noſtris confirmata, tale munus longius progreditur. Et primo generaliter mandatur in *pragm.* 39. §. 1. *de offic. Magiſtr. Juſtit.*, ut omnes cauſæ, quæ diſceptantur in Magna Curia criminali, tractentur audito fiſco. Verum tum ratio, tum verba *pragm.* 3. §. 3. *eod. tit.* efficiunt, ut id intelligatur tantum in cauſis, quæ fiſcum tangunt, hoc eſt, vel quando crimen eſt publicum, vel quando pœna pecuniaria infligenda eſt. Hinc cavetur in *dict. pragm.* 3. §. 2. *in fin.*, ut compoſitiones delictorum, hoc eſt pœnarum commutationes, fieri non debeant, niſi ex conſenſu fiſci. Et recte, nam ille inſpicere debet, utrum compoſitio ſit legitima, & utrum pœna, quæ exolvitur, minor ſit juſto. Idem confirmatur de fiſcali Regiarum Audientiarum in *prag.* 10. §. 36. *de offic. judic.*

IX. Cum in cit. *pragm.* 39. ſtatuatur, fiſcum audiendum eſſe in omnibus cauſis; id utique intelligendum erit in ſingu-

gulis partibus earum, hoc eſt tum in ſolemnibus judicii, ſive actibus judicialibus, tum in proferenda ſententia. Hinc in §. 2. *ejuſd. pragm.* ſtatuitur, advocati fiſcalis munus eſſe, vel proponere in Magna Curia, vel rejicere perſonam, cui committenda eſt quæſtio alicujus criminis, ſive, ut vulgo dicitur, quoties *informatio capienda eſt* extra urbem; ſicuti etiam quoties alicui ex judicibus eadem provincia demandanda eſt; nam intereſt fiſci perſpectum habere, quiſnam ad tale munus aſſumatur. Quoniam autem rei interrogandi, teſtiumque examinandorum officium, judicis proprium eſt, ideo illud non pertinet ad fiſcum. Tantum permittitur tum ei, tum procuratori in *pragm.* 4. §. 1. *eod. tit.* in tali examine intervenire. At quoties tormenta inferuntur, interrogare quoque iidem poterunt tum reos, tum teſtes; vid. *not. in eod.* §. 1. Olim uſu inductum fuerat, ut teſtes, qui pro reo adducebantur, examinarentur per fiſcum: ſed poſtmodum id omnino fuit ſublatum per eandem *prag.* 4. §. *ult.*; & tantum ei conceſſum aſſiſtere, quoties hujuſmodi teſtes examinantur in judicio appellationis; & in prima quoque inſtantia ex cit. *pragm.* 39. §. 5.; etſi Rovitus ſcholaſticorum more nimium ſubtiliter diſputando, diſſentiat. Quando reus ſuper objecto crimine audiri debeat extra carceres, id quoque ad fiſci cognitionem pertinet; quemadmodum ubi quæſtiones ordinario modo, an ſecus peragendæ ſint, ſive torturæ dandæ audito reo, an ex ſola informatione *dict. pragm.* 39. §. 6. Quod autem additur in §. 7., ut debeat ſervari uſus jam receptus circa articulos, ſive capitula, quæ ſolent produci pro reo defendendo, nempe ut illa videantur, & ſignentur a fiſco; non video quanam ratione ſit introductum, ſiquidem abſurdum quodammodo cenſetur, ut debeat reus publico criminum vindici, & per conſequens proprio accuſatori, oſtendere quid ad ſui defenſionem adducat. Quapropter uſui magis, & conſuetudini jam receptæ, quam legibus, aut rationi aſſignandum eſt, quod nullus ferme conficiatur actus judiciarius ſine prævia approbatione fiſci. Unde paulatim factum eſt, ut in criminum animadverſionibus plures fiſci ſint partes, quam ju-

dicum ; & reorum periculum , & fortuna ab eo magis , quam ab his pendeat . Non mirum igitur ſi ætate Caroli V. uſque adeo proceſſerat authoritas, ne dicam, inſolentia , Advocati fiſcalis , ut non ſolum quibuſcunque deliberationibus judicum Magnæ Curiæ ſeſe opponere vellet , ſed etiam ad actus juriſdictionis procedere , veluti conjectiones in vincula committendo . Unde per ſupplices libellos impetratum fuit a prædicto Imperatore , ne deinceps talia fierent ; ſed ut advocatus fiſcalis ex legum præſcripto in ſuo munere verſaretur , vid. *vol.* 1. *privil. ſub Carolo V. pag.* 140. Id ipſum confirmavit Philippus II. in *pragm.* 37. §. 24. *de offic. Mag. Juſt.*

X. Si in quocunque criminalis judicii actu , dummodo ejus interſit , advocatus fiſcalis audiendus eſt , multo magis idem dicemus in proferenda ſententia . Quod ſi ille fuerit abſens , non antea promulganda erit , quam ei oſtendatur , vid. *dict. pragm.* 39. §. 1. At ſi ſecus factum fuerit , ſententia nullas vires habebit , unde iterum cauſa tractanda erit ; idque inter præcipua jura , & privilegia fiſci connumerandum notat Cujacius in *l.* 3. §. *Divus D. de jur. fiſc.* ; nam privatorum cauſæ , propter abſentiam advocatorum non retractantur *l.* 4. *Cod. de poſtulando* . Sed cauſæ fiſcales retractantur propter abſentiam patroni fiſci , quia nihil actum eſſe intelligitur , ideſt res integra eſſe , necdum habetur pro judicata . Quoties vero omnia legitime peracta ſunt in criminali judicio , videtur minus recte fiſcum expoſtulare , ut iterum cauſa tractetur .

XI. Verum hic in diſceptationem venit , an fiſcus uti poterit ordinario appellationis remedio , ſi fortaſſis reus vel abſolutus omnino ſit , vel mitiori pœna condemnatus . Pragmaticorum communis ſententia eſt , Romanis legibus ejuſmodi appellationem admitti , ſed ex conſuetudine forenſi , & nominatim in hoc Regno eam rejici , vid. Grammat. *deciſ.* 14. de Franchis *deciſ.* 148. , Capyciumlatr. *deciſ.* 165. Petram *comment. ad rit.* 18. , alioſque paſſim . Illud autem admiratione eſt dignum , quod iidem Pragmatici , dum aliis in locis pro certo ſtatuiſſent , fiſcum in criminibus incogni-

gnitum eſſe jure Romano ; in præſenti nihilominus affirmant, eodem jure eundem fiſcum appellare poſſe. Sed undenam, quæret aliquis, ſuperioris aſſertionis probationes aſſumunt doctores ? Qui noviſſime hac de re tractat author juriſprudentiæ forenſis, præ omnibus ſufficiet, ſiquidem ille in more habet, ut quidquid reliqui eadem de re ſcripſerunt, in unum locum congerat, & tranſcribat. Ille igitur *tom.* 8. *cap.* 93. *num.* 10. ſic ait : *An fiſcus appellare poſſit a ſententia contra fiſcum lata pro reo? diſtinguendum eſt jus commune a jure Regni. Jure communi fiſcus poteſt appellare l. illud la 2. D. de appellat. Franchis, Petra &c.* Vel hic unus locus evidentiſſimum argumentum præbet, quoſdam ex forenſibus novam juriſprudentiam excogitaſſe, quæ ſpecie tantum legibus nititur; eamque nec ipſi legum authores intelligerent. Nam quis unquam credidiſſet, præfatum authorem, dum abſque ulla hæſitatione axioma proponit, & legem citat ejus confirmandi gratia, quis, inquam, credidiſſet, eam legem omnino extra propoſitum eſſe? Apponamus legis verba: *Illud ſciendum eſt, neque pupillum, neque rempublicam, cum pro libertate judicatur, in integrum reſtitui poſſe; ſed appellationem eſſe neceſſariam; idque ita reſcriptum eſt.* Sententia legis non minus perſpicua eſt, quam æqua, nam pupillus, & reſpublica, quamvis in judicio victi habeant extraordinarium remedium reſtitutionis in integrum, nihilominus illud ceſſare debet favore libertatis; ſed tantum experiri poterunt remedio ordinario appellationis. Quid hoc ad fiſcum in cauſis criminalibus? Sequitur idem author *Si tamen adſit accuſator non appellat l.* 1. §. 1. *D. ad Turpillianum*. In *cit. l. illud* agitur ſaltem de republica, & de appellatione: at in hac *l.* 1. ſermo tantum eſt de tergiverſatoribus, & calumniatoribus. Demum idem author citat *l. non intelligitur* 3. §. *Divus D. de jur. fiſci*. In hac lege proponitur, quod ſupra explicavimus, nempe retractandam eſſe cauſam fiſcalem, quæ acta eſt advocato fiſci non interveniente. Sed in immenſum creſceret hoc opus, ſi vellemus ſingula quæque noſtrorum doctorum errata, & opinio-

niones examinare, quas ipſi pro arbitrio ſibi confingunt, & poſtmodum in forum inducunt. Quid igitur dicemus? num habebit fiſcus appellationem in cauſis criminalibus? Id equidem in jure Romano expreſse non legitur; ſed, prout ex conjecturis aſſequi poſſumus, utique negandum eſt. Non loquimur hic de cauſis ad publicum patrimonium ſpectantibus, in quibus cum liceat privatis provocare, vid. *l. lata 22. Cod. de appellat.* (excipiuntur tantum debita fiſco ex contractibus, vel tributis, quæ differri non poſſunt ſine publico incommodo; & propterea ubi manifeſte ſunt convicti debitores, ad adpellandum non admittuntur *l.* 4., *& ult. Cod. quorum adpellat. &c.*), licebit etiam & fiſco. Sed ubi agitur de crimine vindicando, poſtquam fiſcus, quæ ſui muneris ſunt, peregit tum in actuum judicialium confectione, tum in prolatione ſententiæ, non eſt amplius quod ejus interſit; ſatis enim ſuperque publicæ ſecuritati conſuluit, dum crimen detulit in judicium, & curavit, ne quid admitteretur contra formam juris, unde non eſt, cur debeat ad ſuperiores judices provocare.

XII. At veniamus ad leges Regni. Extat inter capitula Caroli II. Andegavenſis *num.* 174. celebris conſtitutio, qua imponitur inferioribus judicibus, ut quando per ſententiam abſolutus ſit reus in judicio inſtituto per inquiſitionem, aut denunciationem, ubi accuſator nullus extitit, ne fortaſſis crimina remaneant impunita, literas tranſmittant, ſive per relationem notam faciant ſuperioribus judicibus, ad quos appellatio interponi deberet, inquiſitionis formam, & rationem ſententiæ jam prolatæ, adhoc ut illa poſſit vel reſcindi, vel confirmari. Sed paulatim ea conſtitutio in deſuetudinem abjit; etenim uſu fuit receptum, ut in cauſis criminalibus ſemper procederetur cum accuſatore; qui ſi deficiebat, dabatur ab ipſa curia, & dicebatur *coadjutor*; ſiquidem ejus officium erat veluti adjuvare criminum perſequutionem. Sed quoniam curia aliquando id negligebat, ideo Rex Robertus generaliter ſtatuit in *cap. ad conſultationem* 220., ut vel deficiente, vel deſiſtente accuſatore, teneatur ipſa curia idoneum virum eligere ad accuſationem proſequendam. Ex ſupe-

perioribus conſtitutionibus patet, ea ætate advocatum fiſcalem non fuiſſe ſolitum accuſationes inſtituere, & perſequi. Et inde fit, ut in curiis inferioribus, tum Regiis, tum Baronalibus, ubi non eſt advocatus fiſci, adhuc uſus permaneat, ut deficiente accuſatore detur coadjutor fiſcalis. Fingamus modo, reum abſolutum fuiſſe a judice, poteritne appellari ad ſuperiorem? Si adeſt accuſator, cujus intereſt, utique affirmandum eſt. At ſi non adeſt, ceſſabit tale remedium. Et hoc ſane ritus Magnæ Curiæ 258. oſtendit illis verbis: *Item non appellatur ab omnibus ſententiis abſolutoriis latis per ipſam curiam, ex mero officio, vel denunciatione criminaliter procedendo*. Hoc equidem conſonum eſt tum rationi, tum Romano juri, ex iis quæ ſupra diximus. Unde dum noſtri ajunt, in ſententiis abſolutoriis reorum circa appellationem, diſcrepare jus Romanum a legibus Regni, minus recte ratiocinantur. Et præſertim dum credunt, præfatam conſtitutionem Caroli II. a ritu correctam eſſe, ut ſcribit *loc. cit.* author *Juriſprud. forenſis*, nam in conſtitutione agitur tantum de relatione facienda ab inferiori judice ad ſuperiorem: at in ritu de appellatione, quæ utique, cum non poſſit inſtitui, niſi ad inſtantiam partis, ceſſabit, quoties ex mero officio, vel ex denunciatione proceditur; & quamvis a fiſco propoſita ſit accuſatio, tamen quoties ille in ſingulis partibus judicii peregit quæ ſua intererant ſecundum legum præſcriptum, jam functus eſt officio ſuo; & propterea ad ordinarium remedium appellationis devenire non poteſt.

XIII. Illud autem advertere debemus, per leges noſtras, ad cauſas criminales, ubi proceditur ad inſtantiam fiſci, protractam eſſe conſtitutionem Juſtiniani in *l. ult. Cod. de appellationibus*, ex qua appellatio ab uno ex litigantibus propoſita, intelligitur communis utrique; adeo ut poſſit judex etiam reformare ſententiam contra appellantem in favorem partis adverſæ. Hinc edita fuit *pragm. 7. de appellationibus*, eaque ſtatutum, ut licet fiſcus non poſſit appellare, tamen ſi ipſe reus condemnatus appellaverit, fiat appellatio communis cum fiſco; unde judex, dum juſtum

ei

ei videbitur, poterit graviori pœna reum appellantem afficere. Ex quo talis regula vulgo profertur in foro criminali: fiſcus non appellat, ſed inhæret appellationi per reum propoſitæ.

XIV. Ne autem ex nimia fortaſſis judicum indulgentia, publicæ diſciplinæ, ad criminum præſertim graviorum animadverſionem, detrimentum afferatur, introductum olim fuit, & adhuc hodie uſus fert, ut poſſit fiſcus ſuperiores adire, ab eiſque petere, ut lenior ſententia pro reo lata in duriorem reformetur; idque cauſa cognita permittitur. *Recurſum* vulgo dicunt noſtri; & fieri ſolet in Sacro Conſilio. Hoc ſane a ratione, & a bono publico non eſt alienum: expreſſum tamen in legibus non reperitur, & propterea, ut videre eſt apud de Franchis *deciſ.* 148. & Capyciumlatr. *dict. deciſ.* 165., qui talem uſum referunt ad jus canonicum ex *capit. 6. de electione*, a propoſito aberrant, nam in eo capitulo præſcribitur ex Concilio Lateranenſi forma electionis Pontificis, in quam concurrere debent duæ partes eligentium; & ratio affertur, quia cum non adſit ſuperior, ad quem *recurſus* haberi poſſit, requiritur major ſolemnitas, quam in aliis electionibus. Sed *recurſus* in ea decretali ſignificat ordinarium remedium appellationis; nam jure canonico competit adverſus electionem adpellatio, videſis *cap.* 10. *eod. tit.* Majori oſcitantia laborat cit. author *juriſpr. forenſ.*, dum citat auth. *ut ſponſalitia largitas* §. *aliud*, in quo decernitur, a ſententia Præfecti Prætorio appellari non poſſe, ſed tantum reclamari. Quæ conſtitutio, ſi vellemus ad rem præſentem transferre, & inde argumentum ſumere, efficietur, fiſcum appellare non poſſe in Magna Curia, ſed in eadem poſſe tantum proponere reclamationem. Quo ſane nihil abſurdius excogitari poteſt.

XV. Quemadmodum in cauſis privatorum ſolet eodem tempore advocatus conſtitui, & procurator; ita & in publicis. Unde non minus in Regia Camera, quam in Magna Curia, præter advocatum fiſci, adeſt ejuſdem procurator; ad cujus munus hæc pertinent: Petitiones proponere circa reos inquiſitos in Magna Curia, quæque ad actuum judicialium confectionem faciunt; iiſque proteſtationes apponere, ſive legitimas

ex-

exceptiones, ut colligitur ex lege Ferdinandi I. in *pragm.* 20. §. 3. *de offic. Magiſtr. Juſtit.* Idem debet qualibet hebdomada perquirere, utrum actorum magiſtri, & perceptor Magnæ Curiæ recte ſuum munus adimpleverint, circa annotationem proſcriptorum, contumacium, & pœnarum, quæ jam incuſatæ ſunt, prout mandatur in *cit. prag.* §. 5. Quoties cauſæ criminales per appellationem tractandæ ſunt in Sacro Conſilio, non minus advocatus, quam procurator fiſcalis intervenire debent; imo & expreſſe injungitur eos vocandos eſſe in *pragm.* 44. §. *ult. de offic. S. R. C.* Dum qualibet hebdomada regitur Curia, adſiſtere tenetur procurator ſimul cum fiſci advocato *pragm.* 37. §. 10. *de offic. Mag. Juſt.* Denique ea omnia a procuratore fiſcali agenda ſunt, quæ generaliter in cauſis tractandis tum negotii ipſius natura, tum officii neceſſaria diligentia requirit.

XVI. Quemadmodum in judicio criminali advocatus intervenit pro fiſco contra reum, ita æquitas ipſa ſuadet, ut & ſuum reus habeat defenſorem. Hinc Prætoris edicto, relato in *l.* 1. *D. de poſtulando*, etſi quibuſdam perſonis juſta de cauſa prohiberetur poſtulare in judicio, ut minoribus, ſurdis &c. tamen dabantur iis advocati, ſicuti etiam cuicunque, quoties vel ambitio adverſarii, vel metus impedimento erat, quominus invenirentur. Imo olim ſtatutum erat, ut Proconſules in provinciis darent advocatos petentibus, præſertim fœminis, pupillis, vel aliis debilibus, qui alieno auxilio indigebant; & nominatim mentecaptis, quoties aliquis pro eis petiiſſet; ſecus ultro tenebantur Proconſules dare ex officio, ne aliquis indefenſus remaneret *l.* 9. §. *advocatos D. de offic. Proconſ.* Eadem æquitatis, & pietatis ratione olim commotus Imperator Fridericus II. conſtitutionem edidit, quæ legitur ſub titulo *de dandis advocatis &c.* eâque juſſit, *pupillis, viduis, orphanis, pauperibus, ſeu quibuslibet debilibus, præſertim contra potentes agentibus, aut defendentibus cauſas ſuas*, non ſolum advocatos dandos eſſe per curiam, ſed & *pugiles* (fortaſſis hac voce uſus eſt Imperator pro pugillaribus, ad denotandas chartas, ſive quamcunque materiam aptam ad ſcribendum, prout uſus ea

ætate ferebat) gratis ſubminiſtrandos, & quaſcunque expenſas faciendas ſive pro teſtium examine, ſive pro ſalario apparitorum, tabellionumque, hoc eſt ſcribarum. Ex hac conſtitutione minus recte deducitur, officium advocati pauperum in Magna Curia, & in Regiis Audientiis introductum; nam ibi Fridericus tantum voluit, aliquem authoritate Curiæ eligi debere ex numero advocatorum, quoties enumeratæ perſonæ non habeant, unde ex ſe quærere poſſint advocatum, vel non inveniant ob potentiam adverſariorum. Quod & hodie fieri ſolet authoritate Principis. Unde non videtur Tapia percepiſſe ſenſum conſtitutionis, dum eam collocavit ſub titulo *de officio advocati pauperum*. Veriſimile tamen eſt, paulatim inductum, ut unus authoritate Curiæ deſignaretur advocatus, cui committerentur ſuperiores cauſæ. Et quo commodius vacaret ſuo muneri, ſalarium quoque aſſignatum fuit, ut colligitur ex *rit.* 19. Verum idem advocatus non prohibebatur privatorum patrocinium ſuſcipere; nec ſpeciali modo inter Regios officiales numerabatur, vid. *rit.* 23. ubi refert Caravita, ſua ætate ſolitum fuiſſe, advocatum pauperum una tantum hora ſingulis diebus aſſidere cum judicibus Magnæ Curiæ; & poſtmodum ad propria negotia pertractanda diſcedere. Tandem, togæ ornamento ſuſcepto, cœpit ille collegio Magnæ Curiæ adjungi, vid. Rovitum in *pragm.* 15. *de officialib.* prout cernitur noſtris temporibus.

XVII. Hujus advocati, ſicuti & procuratoris eidem adjuncti, officium verſari debet in omnibus iis, quæ pertinent ad pauperum patrocinium. Sed quoniam cauſæ criminales ſunt majoris momenti, & ejuſmodi, unde aliquando capitis periculum imminet, ideo illorum cura ad eas tantum, ex quadam conſuetudine, tranſlata eſt. Et propterea advocatus pauperum, ut fiſco opponatur, in Magna Curia criminali reſidet. Hinc actus judiciarii contra reos confecti, ſive inquiſitiones, antequam ad finem uſque perducuntur, tradi debent inſpiciendæ tum advocato, tum procuratori pauperum, vid. *not. ad* §. 6. *pragm.* 2. *de offic. Magiſtr. Juſtit.* Et quoniam non minus publice, quam privatim inte-

tereſt, cauſas quanto citius terminari, ideo in *pragm.* 4. §. 1. *de viſit. captiv.* injungitur, tam fiſci, quam pauperum advocato, ut procurent cauſarum expeditionem. Demum ſpeciali modo in cit. *pragm.* 2. §. 5. & 6. injungitur judicibus Magnæ Curiæ, ut audiant diligenter, quæ ab eodem advocato pro reis proponuntur. Quoniam appellationes a Regiis Audientiis interponi ſolent ad Magnam Curiam, propterea cavetur in *pragm.* 43. §. 4. & *ult. de offic. Mag. Juſtit.*, ut quemadmodum advocatus, & procurator fiſcalis ejuſdem Magnæ Curiæ curare debent, ut certiores reddantur per advocatos, procuratoreſque Regiarum Audientiarum de omnibus iis, quæ faciunt pro fiſco; eodem modo idem procurent pro iis, quæ faciunt favore reorum, tum advocatus, tum procurator pauperum.

XVIII. Quamvis autem, diverſa licet ratione, æquale ſit officium fiſci, pauperumque advocati, neſcio tamen, quo pacto ad inæquale jus paulatim redacta ſit utriuſque authoritas. Et ſane non minus intereſt Reipublicæ crimina puniri, quam legitimas reorum defenſiones proponere; & multo magis cum evenire poſſit aliquando, ut innocens a calumniis, oppreſſione, injuſtaque vexatione ſit liberandus. Unde prudenter, non multis abhinc annis, nomine hujus civitatis, & regni, ſupplicationes porrectæ fuere, vid. *volum.* 2. *privil. pag.* 281. ut non minus in Regia Camera, quam in Magna Curia, aliiſque tribunalibus, fiſci advocatus publice ſua jura proponeret, ut tam privatorum advocatus, quam pauperum, exceptiones, & cujuſcunque generis legitimas defenſiones opponere poſſet: præterea, ut advocatus pauperum, dum ſuffragia feruntur ſecreto a judicibus, eſſet præſens eodem modo, ac advocatus fiſci. Verum hæc impetrari non potuere, ſed tantummodo fuit conceſſum: *ut inſtantiæ fiſcales in cauſis civilibus fiant in ſcriptis, illarumque, partes, quarum intereſt, notitiam habeant: in criminalibus quatenus conveniat.* Uſus autem ſic ſe habet in Magna Curia, ut advocatus pauperum ſit ſolummodo præſens, dum fiunt relationes ex actibus judicialibus confectis ad Curiæ informationem, non autem dum feruntur ſuffragia.

CAPUT VIII.

Agitur de extraordinariis cognitionibus Magnæ Curiæ in criminibus, ſive, ut dicunt, præeminentiis; & præcipue de quæſtionibus inaudito reo, vulgo, ex proceſſu informativo.

QUONIAM leges Regni ſpecialiter quædam crimina voluerunt pertinere ad cognitionem Magnæ Curiæ; ideo noſtri appellant jus præeminentiæ, quod vocabulum ſupra explicavimus. Primum locum ſibi vindicat crimen læſæ majeſtatis ex conſtit. *ſtatuimus ut Magnæ Curiæ*; & confirmatur in *rit.* 47., ubi barbare dicitur *de guerra mota*: quæ utique præcipua eſt læſæ Majeſtatis ſpecies, quoties injuſſu Principis ſubditus bellum geſſerit, delectum habuerit, exercitum comparaverit *l.* 3. *D. ad leg. Jul. Majeſt.* Hoc ſane crimen ob ſui gravitatem pertinet nominatim ad cognitionem Magnæ Curiæ, ſive privative, ut loquuntur noſtri poſt Caravitam in *comment.* Verum hoc non minus uſu, quam poſterioribus legibus immutatum fuit, nam in *pragm.* 37. *in fin. de offic. S. R. C.* ſic ſtatuitur: *criminis læſæ Majeſtatis cognitio, nobis, vel judicibus per nos delegatis, ſive delegandis reſervatur*. In *eod. rit.* 47. nominatur etiam *crimen de privato carcere*; quod utique Principis Majeſtatem lædit: *l. unic. Cod. de privatis carcerib.*; & propterea de eo cognoſcit Magna Curia extra ordinem. Nominatur denique cognitio *de pœnis fiſcalibus*; ſcilicet de pecuniariis, ut interpretatur Caravita, quæ pertinent ad fiſcum Principis. Sed quoniam ejuſmodi pœnæ pertinere poſtea cœperunt etiam ad Curias inferiores, ut infra explicabimus in *tit. de juriſdictione Baronum*; ideo nulla amplius ea de re ſpecialis cognitio, ſeu præeminentia Magnæ Curiæ apparet. Et in ſumma omnia crimina, quæ Principi cenſentur reſervata in ſignum directi dominii, inter quæ eſt crimen falſæ monetæ, vid. de Franchis *deciſ.* 275., pertinent ſpecialiter ad cognitionem Magnæ Curiæ. Sed de

his

his latius infra ubi agimus de authoritate Regiarum Audientiarum.

II. Inter præeminentias Magnæ Curiæ numeratur præcipue a Pragmaticis facultas reos torquendi ex *proceſſu informativo*. Sed quoniam celebris tractatio hæc eſt inter noſtros, adeo ut de ea placuerit Hieronymo Calà integrum volumen componere; ideo, ne quid deſit ſuſceptæ diſputationi de authoritate Magnæ Curiæ in criminibus, rem totam hic breviter examinandam cenſui.

III. Quæſtiones in uſu latini ſermonis criminalia judicia aliquando denotare, a doctis viris animadverſum eſt; unde proprii judices dicebantur *Quæſitores*, qui quærebant, ſive de criminibus publicis inquirebant. Hinc notat Budæus in *l. 2. D. de origin. jur. decernere quæſtionem* apud Romanos ſignificaſſe, quod nunc in foro dicimus ordinare, ut fiat ſeu *capiatur informatio*, & contra delinquentes procedatur. Sed quoniam in informatione facienda, ſeu in inquirendo contra reos, actus judicarii majoris momenti ſunt tormenta, quæ illis a judice inferri ſolent, ut facti veritas innoteſcat; inde factum, ut nomen generis ad ſpeciem accommodatum ſit, quod non ſemel evenit inter juris authores. Et propterea, cum dicitur quæſtio reorum, intelligitur de tortura iis inferenda, ut patet ex *tit. de quæſtion. in Pandect.*, & *Cod. Theod.*, & *Juſtin.* Strictior inquiſitio dicitur in *l. 3. Cod. ad leg. Jul. Majeſt.*, ſcilicet quæ non fit per nudas interrogationes, aut teſtium depoſitiones, ſed per vim, & tormenta, cruciatuſque corporis. Quando proprie judex ad quæſtionem venire poſſit, & quid in ea ſervandum ſit, dicemus, ubi de probationibus delictorum erit diſputatio.

IV. Nullibi quidem in jure Romano expreſſe cavetur, ut antequam judex reum quæſtioni ſubjiciat, eundem audire debeat, ſe defendere volentem, ſitne juſte, an ſecus tortura decreta. At ſi diligenter rem examinabimus, ex eo jure difficile non erit deducere, reum ante torturam audiendum eſſe. Et ſane cum non uno in loco ſtatuatur quid judici obſervandum ſit, priuſquam ad actum torturæ perveniat, quibus in criminibus ea locum habeat, quæ perſonæ excipiantur;

ideo

Digitized by Google

Ideo ſequitur, audiendum eſſe reum, ſi fortaſſis allegare voluerit, non legitime contra ſe procedi. Ad hoc probandum non omnino aliena eſt ſpecies, quæ proponitur in *l. maritus* 20. *D. de quæſtionibus*: Maritus depoſitam ab uxore pecuniam, cujus hæres ipſe extiterat, a Soro quodam petiit apud Procuratorem Cæſaris, ejuſque rei probandæ gratia unum teſtem, liberti ſui filium perduxerat; & inſuper petebat a Procuratore, ut quæſtioni ſubjiceretur ancilla ipſius Sori, quæ depoſitum ſciebat, ut eo modo actoris intentio plene probaretur. Et quamvis Sorus multa pro ſe allegaſſet; nihilominus Procurator quæſtionem habuit de ancilla; unde reus ad Imperatorem appellavit. Cumque totum negotium Imperator cognoviſſet, pronunciavit, illicitam fuiſſe quæſtionem; nec unius teſtimonio credendum; adeoque recte appellatum eſſe. Cur igitur illicita fuit quæſtio? non alia reddi poteſt ratio, niſi quia Procurator ad eam devenit reo inaudito; nam inepta eſt ratio quæ redditur a gloſſa, *quia in cauſis pecuniariis ſervi in caput domini non torquentur*. Et decipitur mendoſa lectione legis 1. *Cod. de quæſtionibus circ. fin.*; cum ſatis conſtet, olim potuiſſe ſervos contra dominos torqueri in cauſis pecuniariis, vid. *l.* 12. *Cod. eod. tit.*

V. Igitur ſi verum eſt, ante torturam audiendum eſſe reum, ut ſua, ſi quæ habet jura, proponat, conſequens eſt, judiciales actus, ſive quæ contra eum in judicio probata jam ſunt, patefacienda eſſe. Hinc Bartolus docuit in *l.* 33. *D. ad leg. Jul. de adult.*, ad torturam veniendum non eſſe, niſi lite conteſtata, & teſtibus repetitis citato reo; & inde proceſſus publicationem ſequi. Quapropter judex non poterit ex ſola informatione, ſive ut in foro dicitur, *ex proceſſu informativo* quæſtioni reum ſubjicere. Ab hac tamen generali regula excipiunt pragmatici Magnam Curiam, eamque aſſerunt privilegium, ſive præeminentiam habere, ut in quibuſdam gravioribus delictis, & contra certas perſonas poſſit ad torturam devenire ex ſola informatione: quo jure utimur; vid. de Franchis *deciſ.* 143., & Caravitam in *rit.* 259. *num.* 10. Non deſunt tamen doctores, inter quos Rovitus

tus in *pragm.* 1. de bonis proditorum, qui accurata argumentorum conquiſitione probare nituntur, id quidem nulla lege, aut conſuetudine induci potuiſse, cum defenſio ſit juris naturalis, quæ reo nunquam poteſt auferri; & præſertim cum tortura irreparabile damnum ſecum trahat, cui certe occurri non poteſt, niſi antea reus audiatur. Verum his, cæteriſque argumentis affatim reſpondet Merlinus *lib.* 2. *controverſ. cap.* 33. & præcipue oſtendit, generalis juſtitiæ formam non lædi, quoties inſpecta criminis gravitate aliquantum receditur a regulis communibus, & extra ordinem differtur defenſio rei, ne probationes in re gravi pateſiant; eoque modo, contra publicam utilitatem, impunitas criminum atrociſſimorum proveniat. Huc faciunt Taciti verba *Annal.* 14. *Habebit aliquid iniqui omne magnum exemplum, quod contra ſingulos utilitate publica rependitur.*

VI. Non ſolum Doctores noſtri, ſed & exteri controverſiam, qua de agimus, tractarunt, & præſertim Laurentius Matthæu *de re crim. controv.* 25., qui oſtendit, generaliter ſuperiorem conſuetudinem introductam eſſe in omnibus ferme ſupremis Tribunalibus. Verum non omnia, quibus utitur, argumenta, ad rem facere videntur, & præſertim dum aſſerit, torturam eſſe actum extrajudicialem, & propterea non alias defenſiones requirere, niſi quas ad præparationem judicii ipſa ſummaria inquiſitio patitur; nam ex eo ſequitur, in quocunque delicto, reum ex decreto torturæ audiendum non eſſe, cum ſit actus extrajudicialis. Et ſane ſi tortura extrajudicialis actus eſt, neſcio, quid in criminali judicio proprie appellari poſſit judiciale. Sequutus fuit vir doctus hac in re interpretum ex Bartoli ſchola opinionem, qui poſt Brunum in *tract. de indic. & tort.*, Speculatorem, Angelum &c., cæteroſque, relatos a *Caball. reſol. crim. caſ.* 227. *num.* 19. ſic ratiocinantur: quemadmodum in teſte juramentum, tanquam actus judicialis die juridico recipi debet, ejus vero examen, tanquam quid extrajudiciale, poteſt etiam die feriato in honorem Dei: ita, cum præceſſerit in tortura cognitio indiciorum, quæ judicialis actus eſt; ipſa tortura erit quid-

Digitized by Google

quid extrajudiciale; & propterea quocunque tempore haberi poterit. Hujuſcemodi equidem argumentis ſolidioris juriſprudentiæ ſectatores omnino non moventur; nam ut mittamus diligentius examinare, an verùm ſit quod ipſi proponunt, non eadem ratio eſt juramenti, teſtiumque examinis, inter quæ aliquid diſcriminis conſiderari poſset, unde unum judiciale, alterum extrajudiciale dicetur; ac probationis indiciorum, & actus torturæ, quæ ſemper in ordine judicii peraguntur. Neque dixeris, probatis indiciis, ex quibus ad torturam devenitur, ipſam torturam extrajudicialem eſſe: nam multa ſunt, quæ in judicio ab aliis dependent, nec propterea deſinunt eſſe judicialia, & ſolemnia. Sit exempli loco conteſtatio litis, ad quam niſi prævia citatione perveniri nequit; & nihilominus quis unquam aſſirmavit conteſtationem litis extrajudicialem actum eſſe?

VII. Neque ab argumento, quo utitur Matthæù diſcrepat ratio, quam proponit; ait enim; cum minori 25. annis tortura infertur, curator præſens non eſt; igitur non eſt actus judicialis, qui proculdubio perfici nequit abſque curatoris interventu. Verum id movere nos non debet, ſive doctorum opiniones, ſive jus ipſum conſideremus; nam & authoritate graves, & permulti ſunt doctores, qui aſſerunt, invalidam eſſe confeſſionem minoris abſque curatoris interventu, vid. Antonium Matthæum de *crim. tit. de quæſt. nu.* 11. Unde quibuſdam placuit, curatorem dandum eſſe etiam cum in tormentis minor interrogatur, vid. Bocerum *de quæſt. cap.* 4. *num.* 20. & Marad. *tract. crim. part.* 2. *cap.* 3. Et quamvis id in foro Saxonico non obſervari notet Carpzovius *part.* 3. *pract. crimin. quæſt.* 118. *num.* 33.; non tamen ex eo infertur, torturam extrajudicialem actum eſſe; ſed potius dicetur, interventum curatoris, licet de jure requiſitum, nihilominus uſu ſublatum quibuſdam in locis; prout eſt in foro noſtro, vid. Roſam in *praxi decret. crimin. cap.* 12. *circa fin.*, qui ait, in Magna Curia obſervari, ut curator interveniat in actu juramenti, ſcilicet cum minor jurat, ſe verum dicere, non autem cum ſubjicitur quæſtioni. Concludendum igitur eſt, conſuetudinem torturæ inferendæ non da-

datis antea defenſionibus reo, non aliunde originem accepiſſe, quam ex publica utilitate, ut homines facinoroſi deterreantur; & ut facilius graviorum criminum cognitio haberi poſſet; non ex eo quod ſit actus extrajudicialis.

VIII. Fallitur præterea idem Matthæù, dum ſcribit, eum uſum Romanis quoque legibus probari; ſiquidem verba *l.* 1. *Cod. de cuſtod. reor.* quæ adducit, aliò referuntur. Statuit ibi Imperator Conſtantinus, ut de reis quanto citius fieri poteſt, quæſtio habeatur, ne diuturno vinculorum, & carceris ſquallore tabeſcant. Et ſane verbum *quæſtio* in hac conſtitutione in eam ſententiam adduxit non minus Matthæù, quam Rævardum *lib.* 4. *varior. cap.* 11. ut affirmarent, more Romano ſtatim reum exhibitum, tormentis ſupponi ſolitum. Quod omnino abſurdum eſt, imo contrarium ſtatuerat Imperator Auguſtus, ſcilicet, ut eſt in *l.* 1. *D. de quæſtion. a tormentis non eſſe incipiendum*. Et confirmatur in *l. milites* 8. *Cod. eod. tit.* In lege autem Conſtantini, *quæſtio* cum generale verbum ſit, denotat inquiſitionem de crimine, ad hoc ut actus judiciarii perficiantur, & exinde reus vel condamnetur, vel abſolvatur, ne diutius carceribus mancipetur. Eumque verborum Conſtantini ſenſum eſſe evidenter oſtendunt verba *l.* 8. *Cod. Theod. de accuſat.*: *Ne diverſorum criminum rei, vel deſidia judicum, vel quadam lenitatis ambitione, per provincias detenti in carceribus crudelius differantur; moneantur omnes judices, productos e cuſtodiis reos diſceptationi debitæ ſubdere, & quod leges ſuaſerint definire.*

IX. Itaque cum ex conſuetudine omnium ſupremorum tribunalium ſuperior extraordinarius modus torturæ inferendæ introductus ſit, credendum eſt, vel a primordio idem feciſſe Magnam Curiam, tum quia ſupremi magiſtratus munere fungebatur, tum quia, ob graviorum criminum frequentiam, ita viſum fuit publice expedire. Quapropter anxie cum doctoribus quærere non eſt neceſſe, quanam lege ea de re apud nos nominatim cautum ſit. Communiter credunt, id ſtatutum a Rege Roberto in *cap. ſi cum ſceleratis* 272. ubi Magiſtro Juſtitiario mandatur, ut contra inſignes, & famoſos latrones, ſive viarum graſſatores, fures, homici-

das, aut quoſcunque gravi crimine notatos, procedatur juris ordine non ſervato. Hæc conſtitutio ſic accepta eſt, quaſi Rex juſſiſſet, ut inter ſolemnia, quæ prætermittenda erunt, numeretur quoque defenſio rei, quoties infertur tortura, vid. Marad. *tract. crimin. part.* 2. *cap.* 12. Verum a communi ſententia recedit Hieronymus Calà *lib. cit. cap.* 2., exiſtimat enim, modum procedendi, de quo agimus, ſtatutum fuiſſe in *cap. in accuſatis*, & *in cap. juris cenſura*. Imo ait, in *dict. cap. ſi cum ſceleratis*, non ſolum id Magnæ Curiæ non concedi, ſed potius prohiberi. Et utitur futili ſane argumento, quia, inquit, literæ Roberti in eo capitulo comprehenſæ, directæ fuerunt Joanni de Aja tunc temporis Magiſtro Juſtitiario, cujus fidem pro juſtitia, & æquitate ſatis proſpectam Rex habebat, unde fuit electa induſtria perſonæ. Demum ſic concludit: *quod ſi ab illo capitulo arbitrium, ſive præeminentia habuiſſet originem, ex ejuſdem tenore hodie quoque conquieſceret*. Verum, etſi libenter conceſſerim, Robertum ſpecialiter in illa conſtitutione de tortura loquutum non eſſe; tamen ridiculum eſt affirmare, eam legem promulgatam fuiſſe intuitu Magiſtri Juſtitiarii; cum potius mens Regis fuerit, ut in criminibus gravioribus ordo ſit *ordinem aliquando non ſervare*, ut ipſe ait non ineleganter. Verum his omiſſis, videamus pro uſu forenſi, quænam ſint requiſita ad eam torturæ ſpeciem neceſſaria.

X. Quamvis Joannes de Nigris in *comment. ad cit. cap. ſi cum ſceleratis* decem proponat requiſita; tamen quædam ex iis generalia ſunt in quacunque inquiſitione, quædam uſu non confirmata; unde communis ſententia ſic ſe habet: criminis gravitatem, & indicia urgentia neceſſaria eſſe ad torturam inferendam ex proceſſu informativo, de Franch. *dict. deciſ.* 143., ubi addit, etſi Joannes de Nigris plura ad eam rem requirat, nihilominus Magnam Curiam ea uti præeminentia non adhibitis aliis circumſtantiis, niſi gravitate delicti, & urgentia indiciorum. Cum dicitur hic gravitas delicti, non accipitur eodem modo, ac in ordinario methodo torturæ inferendæ, ubi ſat eſt quod crimen ſit

ejuſ-

Digitized by Google

ejuſmodi, ut reus mereatur pœnam, ut noſtri dicunt, corporis afflictivam, vid. Carpzovium *pract. crim. part.* 3. *quæſt.* 119. *num.* 7.; ſed debet eſſe graviſſimum, & atrociſſimum, ut in exemplis propoſitis ex conſtitutione Regis Roberti. Cum dicunt urgentiam indiciorum, intelligunt indicia debere eſſe majoris momenti ac in cæteris inquiſitionibus, & quæ non leviter animum judicis movere poſſunt, vid. Carolum de Roſa in *prax. crim. cap.* 8. *n.* 61. Permulti ex DD., qui eandem materiam tractant, ut videre eſt apud Marad. *loc.cit.* & Calà *cap.* 17. addunt & tertium requiſitum, nempe levitatem vitæ, hoc eſt, ut inquiſitus laboret infamia vitæ male actæ. Illud autem in hac controverſia mirum videri poterit, quod doctores, licet diſſentiant inter ſe, omnes tamen pro ſua opinione, conſuetudinem, & uſum judicandi adducunt. Imo nec de facto conſtat inter eos; etenim Roccus in *tract. de officiis rubr.* 14. §. 14. *num.* 3. affirmat, ſua ætate, cum eſſet ipſe cauſæ commiſſarius, ſecundum opinionem de Franchis deciſum fuiſſe. At Maradæus *loc. cit.* eum de falſitate redarguit, affirmans in ea cauſa pro reo judicatum eſſe, ut ſcilicet datis defenſionibus torqueretur, quia bonæ famæ eſſet. Id ipſum refert Petra *rit.* 54. *in fin.* Ex his difficile non eſt judicare, quanta fides vel in rebus ad factum pertinentibus præſtanda ſit noſtris pragmaticis.

XI. Quid igitur in hac Doctorum diſſenſione dicemus? Et quidem ſi velimus verba Regis Roberti examinare in *dict. cap. ſi cum ſceleratis*, non dubitabimus in ſententiam eorum diſcedere, qui levitatem quoque vitæ in reo neceſſariam cenſent; id enim illa verba denotant: *ſi cum ſceleratis, & reprobis, quos notabiliter fama gravat, vel crebra commiſſio criminum dat inſignes &c.* Et infra: *Contra quoslibet notatos, ſeu denunciatos, aut infamatos, qui ſint diſrobatores ſtratarum, aut homicidæ, fures, ſeu latrones inſignes, vel aliorum gravaminum labefactatos infamia &c.* Verum hæc omnia magis puto prudentis judicis conſilio committenda eſſe; ſiquidem ea poterit ſpecies intervenire, quæ tam atrox contineat crimen, & indicia uſque adeo urgentia, ut pium, & prudentem judicem com-

pellant ad decernendam ex ſola informatione turturam; ne fortaſſis probationibus detrimentum aliquid afferatur, unde crimen occultari poſſit.

XII. Quæ hactenus dicta ſunt locum habent ordinario jure, a quo cives Neapolitani excipiuntur, qui a Carolo V. privilegium accepere, relatum in *pragm. 5. de immunitate Neapolitanorum*, ut excepto crimine læſæ majeſtatis, non poſſint torqueri ex ſola informatione, niſi adſit Regia diſpenſatio. Unde ea ætate, & deinceps tenebantur Proreges rem examinandam committere Regentibus Collateralis Conſilii, utrum Magna Curia, a qua fiebat relatio, juſtam habuiſſet cauſam, nec ne, eo modo procedendi. Tale privilegium a Philippo III. in *pragm. 22. de Baronibus* prorogatum fuit ad Barones, etſi Neapolitani cives non ſint; dummodo, ait conſtitutio, habeant vaſſallos, & juriſdictionem in Regno ab ipſo Rege conceſſam. Illud autem animadvertendum eſt, quod miror ab interpretibus prætermiſſum, non ſolum in *cit. pragm. 22.* privilegium ad Barones extendi, ſed etiam caveri, ut non in omnibus criminibus debeat concedi diſpenſatio, ſed in graviſſimis tantum, cujus generis ibi numerantur aſſaſſinium, falſa moneta, ſacrilegium, ſodomia. Et quamvis in precibus tantum Regi ab hac civitate oblatis illud ſit expreſſum; tamen cum generaliter a Rege fuerit reſcriptum, privilegium ad Barones extendi, veriſimile videtur, etiam reliquis in ſupplicatione expreſſis voluiſſe eum annuere.

XIII. Notatu autem digna ſunt, utpote ad forenſem uſum pertinentia, quæ proponit de Franchis in *cit. deciſ. 143.* nempe a decreto prolato per Magnam Curiam circa torturam inferendam ex ſola informatione, ne omnis defenſio omnino auferatur reo, appellationem interponi in Sacro Conſilio; ubi auditis advocatis, tum fiſci, tum rei, diſceptatur, utrum indicia fuerint idonea ad ſuperius decretum proferendum, & utrum extiterint cætera requiſita. Quod denotant illa verba *cit. deciſ. nu. 2. Nos in Sacro Conſilio videmus, an ſit caſus, in quo Magna Curia poſſit uti præeminentia prædicta, & an ſint indicia urgentia.*

tia. Hinc neſcio quid ſibi voluit Hieronymus Calà *eod. tract. cap.* 18. *num.* 13. dum ſcripſit, in propoſita ſpecie appellationis, cum a judicibus Magnæ Curiæ ſit relatio in Sacro Conſilio, indicia tantum examinari, quibus judices moti fuerunt ad torturam decernendam: *quia* (ſunt ejus verba) *delicti gravitas, & qualitas delinquentis in Sacro Conſilio non attenditur, ſed tantum indiciorum urgentia perſpicitur; quæ ſi videbitur non adeſſe, decerni ſolet, ut eadem Magna Curia cauſam expediat &c.* Et quidem, ut mittamus, male ſenſum deciſionis prædictæ a Calà acceptum eſſe, unde de praxi Sacri Conſilii teſtatur, ratio ipſa eum erroris redarguit; ſiquidem cum ſatis conſtet, plura requiſita neceſſaria eſſe, non video, cur potius de uno, quam de alio diſceptari debeat in Sacro Conſilio; quandoquidem non minus gravatur reus quoties decernitur tortura ex ſola informatione, dum non adſunt indicia neceſſaria, quam ubi delictum non eſt atrox, vel ubi non ſit ipſe mala fama notatus. Nec video, quænam ſit ratio, cur Sacrum Conſilium magis de uno requiſito, quam de reliquis debeat eſſe ſollicitum.

XIV. Quod autem attinet ad cives Neapolitanos, cum hi, ut modo diximus, non poſſint torqueri, niſi prævia diſpenſatione, locum non habet appellatio ad Sacrum Conſilium; dum enim pro diſpenſatione obtinenda ſit relatio per judices Magnæ Curiæ, præſumitur ſatis ſuperque coram Principe proviſum, ut ex juſtis cauſis ejus generis tortura decreta ſit. Verum refert citatus Calà *num.* 19. *& infra*, etiam poſt diſpenſationem aliquando ſolere appellari in Sacro Conſilio: quo caſu praxim obtinere, ut judex Magnæ Curiæ, intervenientibus Senatoribus Sacri Conſilii, apud quos diſceptanda erit appellatio, referat in Collaterali, (noſtris temporibus in Camera Regali) quænam ſit cauſa, quænam indicia. Unde, omnibus diſcuſſis, vel revocatur diſpenſatio, vel confirmatur. Et demum idem author ex iis, quæ proponit de Franchis in *cit. deciſ.* 143. concludit, Sacrum Conſilium tantum cognoſcere de urgentia indiciorum, Collaterale autem de gravitate criminis, & quali-

li-

Digitized by Google

litate delinquentis. Hæc ſane in præſenti ſpecie abſurda non ſunt, ſiquidem Neapolitanus civis non habet unde queratur, ſi tantum inſpiciat Sacrum Conſilium de urgentia indiciorum, cum cætera requiſita præſumantur recte in Collaterali diſcuſſa, & examinata. At quoties adverſus exterum decernitur tortura, videtur ab æquitate alienum, de indiciis tantum in appellatione diſceptari; cum potuerit de cæteris requiſitis minus recte rem examinari in Magna Curia, nec propterea remedium ullum erit in appellatione.

CAPUT IX.

De juriſdictione, & authoritate Regiarum Audientiarum in Provinciis Regni.

QUONIAM Juſtitiarius jam inſtitutus a Normannis Principibus, ſolus par non erat omnibus, & cujuſcunque generis diſceptationibus finiendis, quæ in Regno oriebantur; ideo commodius viſum fuit, & alios ſtatuere magiſtratus, qui eidem muneri incumberent; & diſtinctionis gratia Juſtitiarii ſimpliciter appellati fuere, cum ille diceretur Magnus, ſive Magiſter Juſtitiarius. Cum autem procedente tempore in provincias Regnum fuiſſet diviſum, in Metropoli uniuſcujuſque unus præpoſitus fuit, qui diverſimode cognominatus eſt: nam etſi in conſtitutionibus Juſtitiarii nomen utplurimum occurrat, aliquando tamen etiam legitur Præſes, vid. *conſtit. Præſides*. Unde poſtmodum, relicto veteri vocabulo Juſtitiarii, hoc tantum remanſit, prout hodie fert uſus. Sub Aragonenſibus aliquando dicebatur *Vicerex*; frequentius Gubernator provinciæ, vid. pragmaticas ſanctiones ſub *tit. de offic. Juſtit.*

II. Ex quo primum tales inſtituti fuere Juſtitiarii, veriſimile eſt, eis conſiliarios, ſive aſſeſſores adjunctos fuiſſe, ad hoc ut in jure reddendo omnia ex legum præſcripto obſervarentur. Illud ſane conſtat, ætate Friderici II. jam extitiſſe; nam Imperator in conſt. *Juſtitiarii per provincias*, non ſolum prohibuit Juſtitiarios creari oriundos de provincia,

eis

Digitized by Google

cis comiſſa, aut ex eadem uxores ducere; verum etiam aſſeſſores, & actorum notarios (hodie dicimus magiſtros actorum). Sed non liquet quando, & qua ratione aſſeſſores auditorum nomen accepere; & curia ipſa, ſive tribunal, ubi præeſt Juſtitiarius, dictum ſit *Audientia*. Si volumus hac in re conjecturis uti, dici poterit ea vocabula inducta fuiſſe, ut oſtenderetur, aſſeſſores primis temporibus juriſdictionem nullam habuiſſe, ſed notionem tantum, ſive cognitionem, non exequutionem. Ad rem notat Cujacius in *paratitl. C. de Epiſcop. audient.* hunc titulum ſic fuiſſe inſcriptum, ad denotandam non juriſdictionem Epiſcoporum, ſed tantum notionem; unde eorum ſententiæ exequutioni mandabantur per magiſtratus *l. Epiſcopale judicium* 9. *Cod. eod. tit.* Hanc conjecturam adjuvant verba conſtit. *Juſtitiarii*, ubi ſic ait idem Fridericus: *Juſtitiarii non per kalendas, ſed continuo Curias per ſe, vel per alios judices ſuos, quibus nihil aliud quam audientia quæſtionum debebit committi, regere debeant cauſas audiant, & decidant*. Senſus hic videtur: Cum in Curiis Juſtitiariorum quæſtiones, & controverſiæ proponuntur, illi teneantur non ſemel tantum ſingulis menſibus, ut antea fieri ſolebat, ſed continuo iis incumbere, ſaltem per judices, ſive aſſeſſores, quibus tantummodo committant, ut partes audiant, & cognoſcant: cæterum ad Juſtitiarios pertineat ſententiam pronunciare, eamque exequutioni mandare. Quod ſi volumus verbum *quæſtiones* de cauſis tantum criminalibus intelligere, dici poterit, voluiſſe Imperatorem, ut judicibus committerentur cognitiones, ſive inquiſitiones de criminibus; quod vulgo dicitur in foro *informationes capere*.

III. Verum procedente tempore juriſdictio, & imperium cœpit eſſe non ſolius Juſtitiarii, ſed univerſæ Curiæ; quæ dum appellatur audientia, denotat auditorium, hoc eſt locum cauſis audiendis deſtinatum. Auditorium habebant olim omnes magiſtratus, præſertim Præfectus Prætorio. Unde celebris controverſia, quæ refertur in *l. lecta* 40. *D. de rebus creditis*, agitata fuit in auditorio Æmilii Papiniani, qui erat Præfectus, aſſidentibus Paulo, & Ulpiano, quos

etiam

Digitized by Google

etiam nominatim Lampridius ſcribit, fuiſſe ejus aſſeſſores, ut notat Cujacius in *comment. ad eandem legem*. Apud ſcriptores corruptæ latinitatis audientia denotat actum ipſum judicandi; & proprie quando judex ſedet pro tribunali. Quo pertinet titulus *lib. 2. leg. Viſigoth.* apud Lindebrog. *Ut nulla audientia clamore, aut tumultu turbetur*. Et in *l.* 1. *audientia non tumultu, aut clamore turbetur, ſed illi ſoli judicium ingrediantur, quos conſtat intereſſe*. Verum conjecturis omiſſis circa vocabulorum origines, utplurimum ignotas, explicemus breviter quid antiquioribus Regni legibus ſtatutum fuerit circa authoritatem, & juriſdictionem Juſtitiariorum; unde paulatim devenimus ad ea, quæ noviſſimis legibus comprehenſa ſunt, tum ad Præſides ſpectantia, tum ad ipſa tribunalia audientiarum.

IV. Si volumus hac in re diligenter inquirere in leges Regum Normannorum, & Andegavenſium, non leve onus ſubeundum erit, nam in iis paſſim occurrunt obſcuritates, & aliquando manifeſtæ contradictiones; quarum removendarum gratia qui vult interpretes conſulere, multo incertior, quam antea efficietur; nam illi, dum toti ſunt in rebus inutilibus, & a propoſito alienis congerendis, prætermittunt quæ faciunt ad percipiendum legis ſenſum. Et quod deterius eſt, tempora, & leges ipſas confundunt; unde dum proponunt ea, quæ vel conſuetudine forenſi, vel novis legibus introducta ſunt in Regiis audientiis, paſſim citant antiquas conſtitutiones, & capitula Regni, in quibus quod ad rem facit raro inveniri ſolet; ut præ cæteris videre eſt in commentariis Andreæ de Iſernia, Matthæi de Afflictis, & Caroli Tapiæ.

V. Fuere temporibus Normannorum in quibuſcunque ſive civitatibus, ſive oppidis, ſive vicis, quidem inferioris notæ, &, ſi ita loqui placet, pedanei judices, qui dicebantur *Bajuli*. Quod vocabulum apud ſcriptores infimæ latinitatis diverſimode acceptum eſt. Bajulus apud Græcos ſignificabat pædagogum, & ſpecialiter, qui educationi filiorum Principis præficiebatur. Et apud ſcriptores hiſtoriæ Byzantinæ legitur Μέγας βαιουλος, hoc eſt Magnus Bajulus,

Digitized by Google

lus, penes quem erat filiorum Imperatoris cura, & educatio, vide Cancium in *gloſſ.* Qui etiam notat, in conſuetudinibus ſuæ regionis paſſim legi *tutores, vel bajulos*, nec non etiam *bajuliam, ſive tutelam*. At in conſtitutionibus Regni noſtri eo ſignificatu bajulus non dicitur, ſed balius, qui datur minori feudatario, ut explicabimus ſuo loco; bajulus enim ſignificat eum, qui apud eundem Cancium ballius dicitur; is nempe, cui juſtitiæ adminiſtrandæ cura demandatur; corrupte a voce bajulus. Animadverſione autem dignum eſt quod ſcribit idem author, ſcilicet in prima, & ſecunda Regum Francorum ſtirpe, Comites in Gallia juri dicundo præfuiſſe; ſed poſtmodum, cum illi, inclinata, & frequentibus Normannorum irruptionibus attrita, ac pene profligata Regum authoritate, comitatus ſuos ſibi proprietario jure aſſeruiſſent; eoſdem juris dicendi facultatem tradidiſſe Vicariis, quos bajulos, ac ballivos, vocabulo tunc temporis uſitato, vocarunt. Quod etiam fecere ipſi Reges in oppidis, ac civitatibus, quæ ſui juris remanſerunt. Idem in hoc Regno eveniſſe conjiciendum eſt, in re alioquin obſcura, & cujus apud hiſtoricos altum ſilentium; etenim Normanni, dum quaſdam regiones noſtras in ſuum dominatum tranſtuliſſent, earumque civitates, & oppida inter victoriæ ſocios diviſiſſent, Francorum morem voluerunt imitari, conſtituendo in ſingulis locis proprios judices, ſive bajulos, coram quibus privatorum cauſæ diſceptarentur, & criminum fierent inquiſitiones.

VI. Verum Rex Rogerius pacis artibus ſtudens, ne per ſolos bajulos res graviores adminiſtrarentur, voluit & magiſtratus ſuprema cum authoritate conſtituere. Et quemadmodum inter ſeptem primarios Regni officiales creavit Magnum Juſtitiarium, & Magnum Camerarium, eodem modo in provinciis ſtatuere voluit ſpeciales Juſtitiarios, & Camerarios. Quod ſic expreſſit Romualdus in *chron. ann.* 1143. *Rex autem Rogerius in Regno ſuo perfectæ pacis tranquillitate potitus, pro conſervanda pace Camerarios, & Juſtitiarios per totam terram inſtituit*. Ex his poſſumus intelligere ſenſum earum conſtitutionum, in quibus agitur de

authoritate, & juriſdictione Juſtitiarii, Camerarii, & Bajuli; & eodem tempore cognoſcere earundem uſum, poſtquam alia magiſtratuum officia introducta fuerunt, & nominatim poſtquam juriſdictio feudi jure cœpit aſſignari.

VII. Veriſimile ſane eſt, ante Rogerium bajulos non tantum in omnibus cauſis civilibus, ſed etiam in criminalibus cognitionem, & juriſdictionem habuiſſe, prout erant ballivi in Gallia. Sed deinde, inſtitutis Juſtitiariis, eorumque curiis, cauſæ civiles tantum, exceptis feudalibus, ad eos pertinuerunt, vid. *conſtitut. locorum bajuli*, quæ eſt Gulielmi I.; nam de criminalibus in eadem conſtit. cavetur, ut poſſent cognoſcere tantum de furtis minimis, *& offenſis* (hoc eſt delictis) *de quibus comprobati* (rei) *pœnam ſui corporis, vel ablationem membrorum incurrere non deberent*. Statuit inſuper idem Gulielmus in conſtit. *bajulus ſeq.*, debere bajulos furem de re magna captum ſimul cum omnibus bonis ejus (quæ ſolebant ea ætate ob pœnam furti in fiſcum vindicari) tranſmittere ad Juſtitiarium provinciæ, ſi fuiſſet extraneus; ſin autem de ſua ditione, traſmittendum quoque eſſe, ſed bona per ipſos bajulos in fiſcum redigenda. Quamvis autem jure ordinario a ſententiis bajulorum ad Juſtitiarios tunc appellatio interponi debuiſſet, nihilominus in cauſis civilibus provocatio erat ad magiſtros Camerarios. Quod intelligimus ex conſtitutione ejuſdem Gulielmi, quæ incipit *officiorum*, ubi Rex juſſit, Camerarios eo tantum caſu cognoſcere poſſe de cauſis civilibus, quas ſibi aſſumebant componendas in præjudicium bajulorum, cum requiſiti eſſent ab ipſis bajulis; aut in illorum defectu; aut ſi lis agitaretur inter Bajulos, & vectigalium conductores, quos *cabellotos* appellat conſtitutio. Idque facile eveniebat, nam cum Bajuli, præter alia ſui muneris propria, curam haberent de ponderibus, & menſuris rerum venalium, & de juſto pretio earum (*aſſiſiæ* dicuntur in conſtitutionibus, de quibus infra) in conteſtationem cum illis venire ſolebant; unde opus erat Camerarii definitione, cujus juriſdictioni tales conductores ſuberant. Denique juſſit Gulielmus, ut appellationes, quæ in cauſis civilibus

jam

jam ſolitæ erant interponi a Bajulis ad Camerarios, diligenter examinarentur, unde ſententiæ, vel confirmarentur, vel reſcinderentur; & eodem tempore prohibuit appellationes a curiis Camerariorum ad Juſtitiarios; ſed voluit, ut ad ipſum Principem deinceps interponerentur; ſive potius, ut credendum eſt, ad Magnam Curiam, quæ tunc Principis authoritatem repræſentabat. Hæc autem Camerariorum juriſdictio procedente tempore omnino ceſſavit; & tantummodo reſtricta fuit ad cauſas Regii patrimonii, quod infra pluribus dicemus, cum de Regia Camera inſtituetur diſputatio.

VIII. Sed paulatim juriſdictio Bajulorum imminuta fuit in cauſis civilibus, prout ſuo loco proponemus, ubi explicandæ erunt noviſſimæ leges circa eorum officium. Quod vero attinet ad criminalia judicia, placuit Friderico II. generalem promulgare ſanctionem, quæ legitur in *conſtit. Juſtitiarii nomen*, unde poſſet deinceps certo ſciri, quænam eſſe deberet cognitio cujuſque Juſtitiarii in provincia ſibi commiſſa. Unde ait, ſe confirmare ſtatuta ſuorum prædeceſſorum circa officium Juſtitiarii; & ne qua amplius deinceps oriretur controverſia, nominatim voluit, ad ejus cognitionem pertinere latrocinia, magna furta, fracturas domorum, inſultus excogitatos, incendia, inciſiones arborum fructiferarum, & vitium, vim mulieribus illatam, duella, crimen Majeſtatis, arma molita, defenſas impoſitas, & contemtas. Et generaliter, inquit Imperator, *omnia, de quibus convicti pœnam ſui corporis, vel mutilationem membrorum ſuſtinere deberent*.

IX. In hac conſtitutione quædam annotanda ſunt. I. Quod ſtatuta ſuorum prædeceſſorum appellat Fridericus *aſſiſias*, ſive *aſſiſas*. Quod vocabulum ea ætate in uſu erat, & proprie denotabat comitia publica, ſive conventus proborum hominum a Principe electorum ad lites dirimendas, vel ad ſtatuta conficienda res publicas ſpectantia, vid. Cancium in *gloſſar.* Fortaſſis ſic dicebantur ab aſſidendo, quia probati viri ſimul ſedebant ſive aſſidebant, ut decreta illa conficerent, quæ appellabant *aſſiſias*. Et quoniam ea ætate conſuetudo quoque erat, ut a bajulis pœnæ exigerentur ſuper

Digitized by Google

ponderibus, & menſuris a rerum venditoribus, quæ pœnæ publicis decretis comprehendebantur, ſive aſſiſis, vid. conſtit. *ad officium bajulorum*; inde factum eſt, ut *aſſiſæ* poſtmodum vernaculo ſermone apud nos dicerentur ipſamet pretia, a perſonis publicis ſtatuta ſuper rebus venalibus. Quod & olim obtinuiſſe patet ex illis verbis Matthæi Pariſienſis apud eundem Cancium: *Eodem anno Rex fecit generaliter acclamare, ut legalis aſſiſa panis inviolabiliter obſervetur &c.* II. Notandum eſt, magnum furtum quod dicitur in conſtitutione Friderici, ibidem explicari quod ſit ultra viginti auguſtales. Auguſtalis vocabulo, quod non ſemel legitur in conſtitutionibus Regni, denotabatur nummus aureus ab ipſomet Friderico excuſus, qui valebat quartam partem unciæ, ut legitur in chronico apud Riccardum anno 1231.; & propterea, ex iis quæ ſupra diximus, cum uncia valeat ſex ſolidos, auguſtalis valet carolenos quindecim; idque communiter noſtris Doctoribus placet.

X. Sequitur deinde Fridericus in eadem conſtitutione, authoritatem Juſtitiarii exponere in cauſis civilibus; aitque, ad officium ejus pertinere de iis cauſis cognoſcere in defectu Camerariorum, & Bajulorum. *Defectus vero* (ſunt verba conſtitutionis) *in camerariis, & bajulis tunc eſſe videtur, cum poſt duos menſes a die proclamationis ad ipſos factæ* (hoc eſt cauſæ introductæ, ſive inſtantiæ præſentatæ), *nec conquerentibus in rationibus ſuis ſatisfaciant. . . . . niſi neceſſitas terminum exigat largiorem*. Id ipſum ſtatuit Imperator *de dominis*; ſcilicet de dominis feudorum, quibus juriſdictio civilis conceſſa erat. Demum concludit, cognoſcere quoque poſſe Juſtitiarium de feudis non quaternatis; nam quaternata pertinebant ad juriſdictionem Magnæ Curiæ, ut ſupra diximus.

XI. Ex hac conſtitutione ſi volumus generaliter cognoſcere, quænam ſit Regiarum Audientiarum juriſdictio in ſingulis Regni provinciis, dicemus utique, eam eſſe ordinariam in certis delictorum ſpeciebus; nam ſi eſſet in omnibus, ſupervacuum fuiſſet in conſtitutione Friderici ea enumerare, quæ modo annotavimus; nam potuiſſet Impera-

perator generali definitione ſtatuere, Juſtitiarium de omnibus criminibus cognoſcere: at vulgare eſt Doctorum axioma: *exceptio firmat regulam in contrarium*. Quod vero attinet ad cauſas civiles, ex eadem conſtitutione pluſquam manifeſtum eſt, Juſtitiarii, & per conſequens Regiæ Audientiæ juriſdictionem eſſe tantum extraordinariam, ſive in defectu judicum ordinariorum, quemadmodum & in caſu gravaminis, ſive appellationis jure. Et hæc multo magis certa ſunt, poſtquam ſequentes Reges tot feuda conceſſerunt cum juriſdictione, unde Baronibus data fuit facultas judicum conſtituendorum, unicuique in ſuo feudo; eorumque juriſdictio ordinaria eſt, & Audientiarum authoritas vel ad eorum defectus amovendos pertinet, vel ad appellationes recipiendas. Quod tum ratio, tum leges ipſæ, tum conſuetudo confirmat, quæ & temporibus noſtris obtinet.

XII. Quamvis autem hæc ſint certiſſima, neſcio tamen cur placuerit doctoribus noſtris generaliter aſſerere, & tanquam indubitati juris regulam tradere: *Regias Audientias ordinariam juriſdictionem habere in provinciis Regni* vid. Capiblanc. in *pragm. 8. de Baron. tom. 2. cap. 58. in fin.* Confundunt illi facultatem extraordinariam, quæ data eſt Regiis Audientiis pro bono publico in cognitione quorundam graviorum criminum, de quibus infra, cum ordinaria juriſdictione, quæ competeret in quibuſcunque cauſis, ſive civilibus, ſive criminalibus: cum aliunde conſtet, & ipſimet doctores fateantur, dari remiſſiones cauſarum non minus ad Regias Curias Gubernatorum, quam ad Baronales, quoties in prima inſtantia aliquis convenitur extra proprium domicilium, prout diſerte cavetur in *prag. 2. ubi de delicto &c.* In eo autem falluntur doctores noſtri, & nominatim Antonius Police *de praemin. Regiar. Aud. lib. 1. cap. 10.*, quod pro vulgari opinione adſtruenda eo utuntur argumento, quod citatus per Regias Audientias debeat comparere, & petere, ſi locum habet, cauſæ remiſſionem: nam hoc veriſſimum eſt, ſed non probat juriſdictionem ordinariam, ſed tantummodo authoritatem ſuperioris judicis, cui omnes parere tenentur. Hinc rectiſſime poſt gloſ-

ſam

Digitized by Google

ſam docet Bartolus in *l. 2. D. de cuſtod. reor.* reum a majori judice citatum comparere debere : imo ſi eodem tempore citetur quoque a judice inferiori, potius ei eundum eſſe ad ſuperiorem ; nec propterea dicetur, ſuperiorem habere juriſdictionem ordinariam . Quod multo magis de Regiis Audientiis aſſerendum eſt , quibus cum datæ ſint cognitiones quædam ſpeciales , & eædem nominatim ablatæ ab inferioribus ordinariis judicibus , ſive, ut loquuntur pragmatici, *privative ad Regias Audientias* ; proculdubio unuſquiſque citatus comparere debet . Id autem non fit ratione juriſdictionis ordinariæ , ſed , ut ita dicam , *ſuperioritatis* . Quinimmo doctores pugnantia loquuntur , ſiquidem ſi juriſdictio Audientiarum ordinaria eſt , ut ipſi volunt , cur eodem tempore docent , citatos ab iis remittendos eſſe ad judices competentes , quoties conſiterit , cauſam non eſſe cognitionis ſpecialis Audientiarum ? Quod utique fieri non deberet , ſi Audientiis data eſſet ordinaria juriſdictio in provinciis, nam tunc quæcunque cauſa ad eos pertineret jure ſuo, nec opus haberent ad alios judices remittere litigantes . Denique haud ferendo in errore verſatur citatus author , dum anxie deciſiones, authoritateſque doctorum, & legum congerere ſtudet ad probandum, debere privilegiatum coram judice comparere , adhoc ut ille cognoſcat de privilegio , & exemtione ; nam non eſt privilegium , non eſt exemtio , ut quis conveniatur , & puniatur vel in loco delicti, vel domicilii, cum id ſit jus ordinarium ; ſed potius privilegium erit, ſive extraordinaria cognitio , dum Regia Audientia reum evocat ab ordinario judicio ad ſuum tribunal. Et minus ferenda eſt oſcitantia ejuſdem authoris, qui dum tractatum compoſuit *de præeminentiis Regiarum Audientiarum*, inter eas numerat ordinariam juriſdictionem cujuſque Audientiæ in ſingulis provinciis ; quandoquidem dum judex exercet juriſdictionem jure ſuo, ſive ratione officii, nihil habet, unde dici poſſit inter alios præeminere : ſed hoc tantum dicetur recte, ubi extra ordinem ſpecialis aliqua commiſſa ſit cognitio , quæ aliunde ei non competeret . Sumamus exemplum a

pri-

privilegio Romanis legibus ſtatuto, & noſtris confirmato circa electionem fori conceſſam miſerabilibus perſonis; quæ licet in conſtit. *ſtatuimus ut Magnæ Curiæ* fieri debeat in Curia Magni Juſtitiarii; nihilominus ex communi doctorum interpretatione, & uſu jam recepto, fit quoque recte in Regiis Audientiis; nam interpretes generaliter aſſerunt, quæcunque prærogativæ conceſſæ ſunt Magnæ Curiæ, eaſdem & Regiis Audientiis competere, prout fuſius infra explicabimus. Imo hac de re cavit quoque Rex Robertus in *cap. quia nulla*. Igitur cum dicimus, eam fori electionem fieri poſſe in Regiis Audientiis, id utique erit ratione cognitionis extraordinariæ, &, ut noſtri dicunt, præeminentiæ, cum nominatim ea facultas conceſſa tantum ſit auditorio Principis, non quibuſcunque judicibus ratione officii, & juriſdictionis ordinariæ, ut alibi expoſuimus.

XIII. Quæ hactenus dicta ſunt eo pertinent, ut generaliter, & ſummatim cognoſci poſſit, quænam fuerit primæva Regiarum Audientiarum inſtitutio, quænam de iiſdem antiquiores conſtitutiones Regni. Cæterum major rerum ordo naſcitur deinceps, dum volumus ad noviſſimas leges explicandas progredi, quas neceſſarium fuit variis temporibus ferre, partim ad juriſdictionem earum certis regulis ſtatuendam; partim ad quoſdam abuſus removendos, qui paulatim irrepſerant; partim ad controverſias ſedandas, quæ non ſemel ortæ fuerunt ſive cum tribunalibus ſuperioribus, ſive cum inferioribus curiis; partim denique ad componendas doctorum, & interpretum diſſentientes ſententias. Ut autem ordine procedat oratio, primo agemus de authoritate, & juriſdictione ordinaria Regiarum Audientiarum; deinde de extraordinaria, & quæ competit ſpeciali jure, & privilegio.

CA-

CAPUT X.

Exponitur quid noviſſimis legibus prohibitum, quid permiſſum ſit tum Præſidibus, tum Auditoribus Provinciarum: Et primo de Præſidibus.

QUAMVIS primis temporibus conceſſum fuerit Juſtitiariis jus dicere; tamen poſtea id omnino eis fuit prohibitum abſque conſilio aſſeſſorum, quod generali ſanctione cavit Regina Johanna I. *in cap. item quod prædicti* 280. illis verbis: *Item quod prædicti Juſtitiarii, & Capitanei nullum audeant capere, neque capi mandent, ſeu faciant de perſona, niſi conſilio judicis, & aſſeſſoris ſibi per curiam dati. Neque etiam aliquem actum judiciarium exercere attentent abſque conſilio judicis, & aſſeſſoris ſui &c.* Idem poſtea novis legibus fuit confirmatum. Eodem pertinet *pragm.* 10. §. 34. *de offic. judic.*, qua decernitur, non poſſe Præſidem abſque Auditorum conſilio carceribus mancipatum liberare. Hujus autem prohibitionis illa aſſignatur ratio, quia cum juriſconſulti, ſive legum doctores non ſint Præſides, propterea facere non poſſunt ea, quæ a juris diſpoſitione dependent. Quod uſque adeo verum eſt, ut nec etiam in iis quæ ſpecialiter, & extra ordinem commiſſa Præſidibus ſunt, quidquam illi facere poſſint, jus dicendo, niſi acceſſerit juriſconſulti authoritas. Sub Regno Philippi II. cum ex continuis Turcarum incurſionibus provinciæ noſtræ vexarentur, viſum fuit expedire, ut ex quibuſcunque civitatibus, oppidis, & vicis certi homines deſignarentur, qui præſto eſſent ad repellendos barbarorum ſubitos excurſus, & deprædationes; iiſque quædam conceſſæ fuere immunitates; præſertim, ut certis in cauſis, non ordinariis locorum, ſed Præſidi cujuſque provinciæ ſubeſſent in primo judicio: nam appellationis jure devenitur ad judicem totius militiæ, quam dicimus Auditorem generalem exercitus, in hac civitate degentem. Verum in *pragm.* 20. §. *ult. de militibus*, ubi ſuperiora ſtatuun-

tuuntur, expreſse injungitur Præſidibus, ut procedere debeant cum voto unius ex Auditoribus. Id ipſum jubetur quando ex ſpeciali Principis mandato Præſides peragrant provinciarum loca, ad perquirendos facinoroſos homines, eoſque puniendos extraordinem (*ad modum belli* dicitur in cit. prag. 10. §. 53. *de offic. judic.* quod infra fuſius explicabimus.) Quinimmo nec poſſunt Præſides, ex diſcrepantibus Auditorum ſententiis, quam voluerint approbare; nam eo caſu tenentur Principem conſulere, vid. *pragm.* 5. *de offic. juſtit.* Id autem, ex *notis ad eandem pragm.*, intelligendum eſt in cauſis criminalibus; nam in civilibus, ubi nullæ ſunt partes fiſci, ipſe Advocatus fiſcalis ſolet eligi ad paritatem ſuffragiorum dirimendam.

II. Ætate Friderici II. licet ad officium Juſtitiariorum potiſſimum pertinuiſſet provincias circumire, ut malis hominibus illæ carerent, vid. conſt. *capitaneorum*; tamen poſtea, ſive quia tali facultate abutebantur, dum extra neceſſitatem id faciebant, ſive quia ſubditis ſolebant graves eſſe, id novis legibus omnino fuit prohibitum, vid. cit. *pragm.* 10. §. 1., ubi generaliter jubetur, nec Præſidem, nec quemquam ex Auditoribus, abſque Principis licentia, poſſe e loco, in quo reſident, ſeſe in alium provinciæ transferre cujuſcunque negotii cauſa, etiam ex commiſſione ſuperiorum tribunalium. Excepto tantum, ubi ejuſmodi caſus ſupervenerit, qui requireret promtum, opportunumque remedium, vel ex præſentia Præſidis, vel Auditoris, qui totius tribunalis prævio conſenſu deſtinandus erit; & ſtatim de ea re ad Principem debebit referri. At quoties per civitates, & oppida iterfacit Præſes, vel Auditor, non debet quidquam petere ab Univerſitatibus. Quod in omnibus aliis perſonis publice deſtinatis alicui negotio gerendo, generaliter eſt proviſum in *prag.* 1. *de offic. Juſtit.* Et in *pragm.* 4. §. 5. *eod. tit.* cavetur, *ne prædicti officiales poſſint recipere beſtias, neque ad equitandum, vel portandum victualia, ſeu alia onera; niſi ſoluto competenti ſalario, & quod dictæ beſtiæ ſolitæ ſint locari.*

III. Hoc autem ſumma ratione fuit ſtatutum, ne an-

gariarum onere provinciales, & præſertim tenuioris fortunæ, & operibus ruſticis incumbentes, premerentur. Hanc vocem *Angaria* perſicam eſſe origine notat Gothofredus in *l.* 4. *C. T. de curſu publico*; & occurrit non minus in jure Romano, ut in *leg.* 11. *C. de ſacroſ. eccleſ.* quam in legibus feudalibus, & noſtris. Denotabat proprie ſervitium coactum, quando nempe quis adigebatur, etiam invitus, ad aliquod faciendum; eoque ſignificatu uſus eſt vetus interpres Evangelii D. Matthæi *cap.* 27. *nu.* 32.: *Invenerunt hominem cyrenæum nomine Simonem: hunc angariaverunt, ut tolleret crucem ejus*. Sub Impp. Orientalibus Angariæ erant equorum præſtationes ad curſum publicum, ut explicat Antonius Auguſtin. *lib. ſingulari ad Modeſtinum*. Eodem ſenſu Cujacius in *l. nullus C. de fabricenſibus lib.* 11. ait: *Angariæ ſunt jumentorum, vel plauſtrorum præſtationes. Separantur hac lege a navibus; quamquam & naves ipſæ angariari dicantur l. penult. D. de privileg. veteranorum*. Erant & Perangariæ. Et differentiam ſic exponit idem Cujacius in *tit. Cod. de curſu publico*: *Eſt angaria, quâ curſus publicus diſpoſitus eſt* (ideſt per viam, ubi diſpoſiti erant equi ad curſum publicum, quæ via regia, conſularis, prætoria olim dicebatur; vid. *l.* 2. *§. viarum D. ne quid in loco publ.*; & militaris quoque, vid. *l. ult. D. de locis, & itiner. public.*) *perangaria alioverſus*. Hæc onera ſubire olim tenebantur provinciales in publicis tantum neceſſitatibus, veluti in tranſvectione armorum, *l. ult. Cod. de fabricenſibus lib.* 11.; & in aliis ejuſdem generis, ut colligitur ex *l.* 12. *cit. tit. C. T.* At Rectoribus provinciarum earum onerum impoſitio omnino fuit adempta, vid. *l.* 5. *eod. tit.* Olim in Regno noſtro certa penſio, quotannis exigenda a ſingulis familiis cujuſque Univerſitatis, impoſita fuit, ut certis in locis ſtationes militum deſignarentur, ne illi cuiquam graves eſſent, aut oneroſi; & propterea non ſemel preces porrectæ fuerunt ab hac civitate ſub Regno Hiſpanorum Principum, ut iidem milites, dum transferuntur de uno in alium locum, nihil quidquam peterent ab Univerſitatibus, nec eis eſſent incommodo, vid. *vol.* 2. *privileg.*

pag.

Digitized by Google

pag. 101. ; e *pag.* 133. Verum neceſſitas militaris omnino exigit, ut animalia, & alia neceſſaria ad tranſvectionem, præſtentur ab Univerſitatibus, ſumtibus tamen ipſorum militum. At qui præſunt juriſdictioni, ejuſdemque generis perſonæ, dum negotii publici gratia iterfaciunt, tale jus nullum habent, tum quia nominatim legibus prohibetur, ut diximus, tum quia facillime habere poterunt, quæ ad iter opus habent, abſque eo quod ad imperium recurrant, aut coactionem. Quod peſſimi exempli eſt; ne videatur inde naſci injuriarum occaſio, unde jura naſcuntur; ut ait eleganter *l. 6. C. unde vi*. Vid. *pragm. 5. de actuariis, ſcribis, &c.*, & *prag. 6. de commiſſariis*.

IV. Si non poteſt Præſes, niſi impetrata prius licentia, ſeſe transferre de uno in alium locum provinciæ; multo magis, ubi extra Regni confinia eundum eſt. Cum ætate Philippi II. facinoroſis, & ſceleſtis hominibus opportuna occaſio daretur, gravioribus criminibus admiſſis, ſeſe transferendi e limine Regni ad contigua loca Pontificiæ ditionis, ideo prudenter conventio inita fuit cum Sede Apoſtolica, ut quemadmodum permittitur perſequi, & capere criminoſos confugientes in Regnum, ita e diverſo permitteretur ſive Præſidibus provinciarum, ſive aliis perſonis ſpecialiter deſtinatis, ingredi loca eccleſiaſticæ juriſdictionis ad ſpatium uſque decem milliarium, ibique tum proſcriptos, tum graviſſimorum criminum, veluti *hæreſis*, *rebellionis*, *ſacrilegii*, *falſæ monetæ*, *raptus*, *violatæ pacis*, *latrocinii*, *aſſaſſinii*, *homicidii* reos perſequi, & inde abſtrahere; dummodo abſtineatur a locis munitis, & muro circumdatis *pragm. 2. & 3. de perſequendis malefactoribus*. Et notabilis eſt conſtitutio Sixti V., quæ refertur in *pragm. 4. ejuſd. tit.*, nempe, ad coercendos, & meritis pœnis afficiendos facinoroſos, & proſcriptos, qui ea ætate per provincias noſtras graſſabantur, eccleſiaſticas perſonas non ſolum poſſe, & debere illos, eorumque *conſiliarios*, *complices*, & *fautores* denunciare, & detegere abſque ulla infamiæ nota, apud quoſcunque judices; ſed etiam contra eoſdem judiciale teſtimonium ferre, & examinari; nec propterea irregularitas ul-

Digitized by Google

la incurritur; licet ex talibus atteſtationibus mors naturalis, aut membrorum mutilatio proveniet. Quoties autem Præſes ad locum deſtinatum ſeſe confert, ubi negotii ipſius natura id exigit, poteſt ſibi adjungere unum ex Auditoribus pro jure reddendo, ut diximus, excepto fiſci Advocato, qui continuo debet Tribunali adeſſe, ne cauſis expediendis impedimentum afferatur; quæ ratio redditur in *d. pragm.* 10. §. 31.

V. Quoniam a Rege Præſidibus, & Auditoribus ſalarium ſingulis menſibus præſtatur; propterea tum in *dict. pragmat. 5. de actuar. ſcribis &c.*, tum in *pragmat.* 2. §. 8. *de commiſſariis*, & *exequut.* expreſſe iis prohibetur quidquam recipere, ſive pro ſubſcriptione, ſive pro appoſitione ſigilli cujuſcunque ſcripturæ. Imo olim ſtatutum fuerat in §. 9. *ejuſd. pragm.* 2., ut nec Præſidibus, nec Auditoribus, aut fiſci Patrono *dietæ* ſolverentur, dum ſeſe conferrent ad aliquem locum provinciæ, *ſive ad partium inſtantiam, ſive curiæ*. Quæ conſtitutio deinde abrogata fuit ex *pragm. 6. cit. tit.*, non ſine æquitatis colore, cum ejuſmodi commiſſiones ſoleant diſpendia quædam neceſſaria continere, quibus ſalarium præſtitutum non erit ſufficiens; & propterea ibi cavetur, ut ſex aurei in diem perſolvantur tum Conſiliariis, tum Præſidentibus Regiæ Cameræ, tum fiſci Advocatis, dum ab hac civitate diſcedunt alicujus negotii cauſa ad Fiſcum pertinentis; decem vero, ubi id fit ad litigantium petitionem; eademque ſumma decernitur Præſidibus provinciarum. At Judicibus Magnæ Curiæ præſtantur in primo caſu quatuor, in altero ſex aurei. In Auditoribus, & Fiſcalibus provinciæ præfinitur in eadem pragmatica ſumma trium aureorum, ubi fit *acceſſus* pro fiſco, quatuor pro litigantibus. Hac autem in re avaritiæ, & cavillationibus non eſt indulgendum, dum computatio fieri debet dierum itineris, & moræ, qua de re vid. Rovit. *deciſ.* 66. Quoties decernendum eſt quid Auditoribus perſolvi debeat pro *dietis* ad inſtantiam fiſci, id fiet in Tribunali Audientiæ *prag.* 10. §. 41. *de offic. Judic.* Refert autem Laganarius *in addit.* ad Rovitum *in cit. pragm.* 10., ex proviſione Collateralis Conſilii decretum fuiſſe anno 1630., ut id fieret deinceps in Regia Camera.

VI. Sunt

VI. Sunt quædam cauſæ, quæ licet noſtris legibus ad Præſides, eorumque Curias ſpectare poſſint; tamen quia pro majoribus habentur, viſum fuit expedire, Magiſtratibus tantum ſuperioribus illas decernendas committere. Tale eſt *remedium*, quod dicitur, *Capitulorum Regni*, de quo libro primo diſſeruimus; conſtitutiones enim Regis Roberti, iis capitulis comprehenſæ, fuerunt Juſtitiariis provinciarum directæ: verumtamen experientia docuit, gravitati ipſius negotii magis convenire, ut ea in re antea Princeps adeatur, a quo ſolet illud committi Sacro Conſilio. Et propterea, ubi occaſio ſeſe offeret, Præſes provinciæ debebit ad Principem referre, ejuſque juſſum expectare, vid. Tapiam in comment. ad cap. *finis præcepti charitas tit. quando Rex inter eccleſiaſt. & Rovit. in tit. de offic. Juſtit.* Eodem refertur quod legimus in notis ad *prag.* 3. *de juriſd. invicem non turb.* ſcilicet, non debere Audientias tranſmittere Literas *hortatoriales* (hoc nomine intelligunt noſtri Literas, quibus aliquando authoritate Principis hortantur eccleſiaſtici Prælati, ut in officio ſeſe contineant, nec fines ſuæ juriſdictionis egrediantur in præjudicium ſubditorum), ſed ubi res ipſa expoſtulabit, Principem conſulendum eſſe.

VII. Solent hic pragmatici quærere, an *carceratorum viſitatio* permittatur Præſidibus. Hac quidem in re duplex viſitatio diſtinguenda eſt, una juris ordinarii, altera extraordinarii. De prima cavetur in *prag.6.* §.4. *de offic. magiſt. Juſtit.*, ut ſemel in hebdomada unus ex Judicibus Magnæ Curiæ ad carceres ſeſe conferat, inquirendi gratia, utrum carceribus detenti, a cuſtodibus, vel a quibuſcunque aliis injuria afficiantur, & utrum ad vitæ neceſſariam ſuſtentationem aliquid iis deſit. Quod ſane recte, atque humaniter fuit proviſum; & propterea ejus generis viſitatio non tantum Præſidibus, Auditoribuſque non vetatur, quin potius injungitur; & non ſolum ut fiat in propriis carceribus, ſed etiam in carceribus Gubernatorum, ubi adeſt Tribunal, vid. *prag.* 10. §. 9. *de offic. judic.* At altera, de qua proprie agitur in *titulo pragmaticarum de viſitatione, ſeu recenſione captivorum*, egreditur omnino jus dicentis offi-

cium,

cium, & ſupremæ tantum authoritatis eſt; nam ſumma ejus tituli huc redit: ut unus ex Regentibus Cancellariam qualibet die ſaturni, aut alia ſi illa fuerit feſtiva, ad Magnam Curiam ſeſe conferre debeat, ibique facultatem habeat in levioribus delictis benignitate quadam uti erga reos. Poterit etiam ob æs alienum detentos, & omnino impares ſolvendo e carceribus dimettere, convenienter providendo, ut diviſis penſionibus creditoribus ſatisfiat. Eſt & viſitatio generalis, quæ dicitur, cujus fit mentio in *pragm.* 37. §. 3. *de offic. magiſt. Juſtit.*, eaque ter ſingulis annis comprehendit omnes in carceribus exiſtentes. Hæc omnia extra ordinariam authoritatem judicum poſita ſunt; unde ad Præſides, eorumque Auditores non ſpectant, cum opus habeant ſpeciali conceſſione. Refertur autem in *notis ad prag.* 1. *cit. tit. de viſit. captivor.* Audientiam Calabriæ *citra* eo privilegio uti, ut poſſit ibi fieri in cauſis civilibus viſitatio, dummodo agatur de debitis infra ſummam aureorum quindecim, & debitores quindecim dierum ſpatio extiterint in carceribus, nec bona habeant, nec cautionem ullam. Id ipſum ſcribit Rovitus in *prag.* 3. *cit. tit.* Qui tamen non ſine aliqua negligentiæ nota in *comment. ad cit. prag.* 6. confundit viſitationem juris ordinarii cum ea, quam extraordinem pragmaticæ ſanctiones induxerunt; eamque dum vult ad jus Romanum referre, citat *l. ult. C. de cuſtod. reorum*; ubi extat pars humaniſſimæ conſtitutionis Theodoſii Magni pro reis, ut legitur in *C. T. l.* 3. *de exhibendis reis*, & *l.* 6. *C. cit. tit.* qua juſſit, Commentarienſem (hoc nomine ſignificatur carceris præfectus, qui conficiebat commentarium nominis cujuſque rei, criminis, ætatis, & diei qua in carcerem detruſus erat) trigeſimo quoque die judici inſinuare debere numerum, varietatem, ordinem, ætatem incarceratorum; adhoc, ut eorum cauſæ accelerarentur. Sed quid hoc ad viſitationem, de qua jam diximus?

VIII. Habetur quidem Præſes tanquam caput, & præfectus Audientiæ; ac proinde ipſi incumbit aperire, atque exequutioni mandare Principis Reſcripta: Quod tamen in Tribunali, & coram Auditoribus fieri debere mandatur in *cit.*

cit. prag. 10. §. 17. Verum exceptio proponitur in *prag.* 7. §. 3. *de offic. Juſtit.* niſi ea Reſcripta nominatim ſoli Præſidi fuerint directa, tunc enim ejus arbitrio committitur utrum velit, an ſecus de iis Auditores certiores facere. Ob eandem rationem ad eum quoque pertinet ſingulas cauſas ſingulis Auditoribus committere, & qui ad eam rem eſt deſignatus, appellatur *cauſæ commiſſarius*, prout diximus de Regente Magnæ Curiæ. At ſi Præſes fuerit abſens, tunc ſuperior facultas conceditur antiquiori ex Auditoribus. Quod licet expreſſe non fuerit ſtatutum, tamen deducitur ex *cit.* §. 17., ubi quod jubetur Præſidi, in ejus abſentia jubetur Auditori antiquiori. Quando agitur de electione commiſſarii, qui ſe ad locum aliquem conferre debet, ſive ad petitionem fiſci, ſive litigantium, ne gratiæ, aut odio aperiatur occaſio, prudenter ſtatutum eſt in *cit. prag.* 10. §. 3., ut id fieri debeat audito Fiſco, ex ſuffragiis majoris partis Auditorum. Excipe, niſi a Principe mandatum fuerit Præſidi, ut Auditorem eligat pro informatione capienda certi alicujus negotii; eo enim caſu electio ſolius Præſidis eſt; qui poteſt & ipſum Fiſcalem eligere, vid. *not. in cit. prag.* 10. *in princip.* Denique ſuo tantum nomine, exceptis negotiis ad militiam pertinentibus, nequit Præſes proclamationes committere, vulgo *facere banna* (bannum apud antiquos Germanos, & Longobardos dicebatur pro edicto, ſive citatione; unde heribannum ſignificabat citationem ad exercitum, ſive delectum habere, vid. Cujac. *lib.* 1. *feud. in princip.*); ſed tenetur uti Auditorum conſilio, & totius Audientiæ nomine *cit. prag.* 10. §. 32.

IX. Dum ſententiæ feruntur in Tribunali, debet Præſes adeſſe, licet ſuffragii jus non habeat; ſiquidem juriſdictio neque ei ſoli, neque ſoli Audientiæ conceſſa eſt, ſed omnibus ſimul; ut generaliter definit de Magna Curia Joannes de Nigris in *cap. item* 45. Quod & in Audientiis dicendum eſt. At ſi ille fuerit aliquo modo impeditus, poterunt recte Auditores lites definire, omniaque peragere, quæ juriſdictionis ſunt *prag.* 7. *de offic. Juſtit.*, idque in loco ſolito, ſive in Tribunali; etenim generali ſanctione proviſum

ſum eſt in *prag. 6. de offic. judic.*: *ne Tribunalium Præſidentes in ſuis domibus ullo pacto cauſas tractent, vel decidant; nec etiam congregentur pro cauſarum expeditione alibi, quam in ordinariis Tribunalibus*. Ab hac prohibitione excipitur tantum Locumtenens Regiæ Cameræ, qui, ubi negotium aliquod, cui mora damnoſa eſſe poterit, ſeſe offeret ad Regale patrimonium pertinens; facultatem habet diebus feriatis Præſidentes in ſuam domum convocandi. Quamvis ſtatutis tantum diebus ad Tribunal ſe conferre debeant Auditores, ibique permanere tres horas; nihilominus neceſſitate exigente, poterunt authoritate Præſidis quocumque tempore convocari, necnon etiam cogi ultra tempus præfinitum, & quouſque negotium ad finem perducatur, ibi conſiſtere, vid. not. in *cit. prag. 7. & in prag. 14. de offic. S. R. C.* Denique, cum legibus Regni certis in caſibus permittatur feudatariis *ſubventionem* quandam, vulgo *adjutorium* exigere a ſuis vaſſallis; ſi hi queruntur, ultra legitimum modum ad ejuſmodi præſtationem adigi; talis cognitio ſpecialiter mandatur Præſidibus in *pragm.* 1. §. 10. *de ſalar. eor. qui mit. &c.* Sunt & alia levioris momenti ad Præſidum munus ſpectantia, quæ partim uſu, partim ipſa pragmaticarum lectione facile addiſcuntur; & propterea non indigent interprete.

X. Cum Præſides temporarii Magiſtratus ſint, non perpetui, ideo ultra triennium olim in officio permanere nequibant, nec etiam ad ſupplicationes provinciarum, ſub prætextu quod juſte, moderateque eorum munus adimpleſſent *prag.* 1. §. 1. *de offic. judic.* Poſtmodum reſtrictum fuit tempus ad biennium, quemadmodum & in Auditoribus obtinet *prag.* 3. *de offic. Juſtit. & prag.* 2. §. 8. *de offic. ad Reg. Majeſt. &c.* Verum quod ſtatuitur in *cit. prag.* 3., ut finito biennio a die adeptæ poſſeſſionis, ipſo jure cenſeatur officium vacare, adeout habeantur Præſides, & Auditores pro privatis perſonis, etiamſi in ipſorum commiſſionibus majus tempus reperiatur appoſitum; videtur abrogatum ex *prag.* 8. *de offic. judic.*, qua rectiſſime ſublatus fuit abuſus, unde ab univerſitatum adminiſtratoribus eligebantur vicarii ſta-

tim

Digitized by Google

tim ad finitum erat tempus officii Judicum, Gubernatorumque; & propterea decretum: *quod nullus officialis deputatus ad adminiſtrationem juſtitiæ, poſſit recedere a loco, in quo fuit deputatus, uſque ad adventum ſucceſſoris .... etiamſi finitum eſſet tempus*. Excipitur tantum ubi id fiet permiſſu, & voluntate Principis. Uſu etiam abrogatum eſt, quod cavetur tum in *pragm.* 1. §. 2., tum in *pragm.* 2. §. 5. *eod. tit.*, ut qui temporaria exercuerunt officia, non poſſint ad alia promoveri, niſi vacaverint ab iis ſpatio tantundem temporis; nam moris eſt, ut poſſit ſtatim ad aliud transferri officium, qui in priori convenienter verſatus eſt. Depoſito autem officio rationem reddere tenentur Præſides adminiſtrationis, ſive ſyndicatui parere *d. prag.* 3., ubi etiam injungitur, debere eos, quemadmodum ſolent omnes officiales temporarii, antequam ad poſſeſſionem, atque exercitium admittantur, cavere in Regia Camera *de ſtando juri, & ſyndicatui*, vid. *prag.* 1. §. 6. *de offic. judic.*

CAPUT XI.

De Auditoribus.

CIRCA Auditores Provinciarum, præter ea quæ hactenus annotavimus, primum omnium de eorum numero videndum eſt. Refert in *com. ad rit.* 53. Caravita, qui vixit ſub Regno Philippi II., ſua ætate binos extitiſſe Auditores in ſingulis Provinciis, excepta Provincia Calabriæ, ubi erant tres: nec mirum, quoniam tunc temporis nondum erat illa in duas diviſa, prout poſtmodum factum eſt, vid. Tap. *in princ. tit. de offic. Juſtit.* In Provincia Principatus *ultra* aderat unus tantum. Quamvis autem uſque ad Regnum Caroli II. Hiſpaniarum Regis varius uſus ea de re eſſet, nam utplurimum tres, aliquando quatuor, aut plures conſtitui ſolebant; nihilominus deinceps ad ordinarium numerum trium redacti illi fuere; quod & hodie ſervatur. Hinc peropportuna occaſio data eſt noſtris inquirendi, adhoc ut actus judiciarii recte perficiantur, ipſaque ſententia legitime

Digitized by Google

proferatur, quot Auditores neceſſario adeſſe debeant. Si volumus hanc quæſtionem ſecundum regulas Romani juris examinare, utique affirmandum eſt, omnes præſentes eſſe debere; nam, ut nos docet Cujacius in *l. Pomponius* 36. *D. de re judic.*, ubi privatorum cauſæ diſceptabantur coram Recuperatoribus in centumvirali judicio, ſi viginti *e. g.* judices dati eſſent, omnes oportebat judicare, omnes ſententiam ſuam promere; nam ſi vel unus deerat, irrita habebatur ſententia cæterorum. Permiſſum tantum erat ei, qui pronunciare in ea cauſa nolebat, ſe excuſare ignorantia facti; ſed tenebatur jurare illa formula: *mihi non liquet*. Quod & ſe feciſſe, dum in quadam controverſia judicare deberet, teſtatur Gellius *lib.* 14. *cap.* 2. Non autem liberabatur Judex, quoties jurabat, ſibi *nondum liquere*; nam eo caſu ſpatium ei dabatur ad deliberandum, quod *ampliatio* dicebatur. Unde notat Polletus *lib.* 4. *hiſt. for. Rom. c.* 15. ſymbolon, & inſigne ampliationis fuiſſe, ubi in tabella, quæ in urnam conjiciebatur, quæque ſuffragium cujuſque judicis continebat, ſcriptæ reperiebantur literæ N. L.; nam ſecus aut A. legebatur, & denotabat ſententiam abſolutionis, aut C., condemnationis. Aliquando ex petitione ipſorum litigantium differebatur judicium, & tunc dicebatur *comperendinatio*, aut *diffuſio*, vid. Budæum in *annotat. ad l.* 2. *D. ſi quis cautionib. &c.*

II. Sed omiſſis, quæ ad antiquitatem pertinent, veniamus ad leges noſtras. Extat *rit.* 53. *M. C.*, ubi clare decernitur, poſſe in Magna Curia Magiſtrum Juſtitiarium *cum uno ex judicibus, aliorum abſentia non obſtante, pronunciare, & cognoſcere*; nec abſentes requirendos, aut expectandos eſſe. Verum animadvertit Caravita, id raro evenire in Magna Curia, tum quia judices non ſoleant frequenter, ut antea, extra civitatem diſcedere, tum quia eorum numerus adauctus eſt: at in Regiis Audientiis eundem ritum ſervari, cum ſæpe accidat, ut Provincias, negotiorum expediendorum gratia, peragrare ſoleant Auditores; excepto tantum ubi cauſæ Commiſſarius ſit abſens, qui cum præſumatur inſtructior, & debeat res geſtas referre, videtur

tur abſurdum, abſque ejus interventu propoſitam litem definire; niſi diuturna eſſet abſentia, quo caſu alteri cauſa committitur: exemplo manumiſſionis, quam olim Senatus cenſuit, apud collegam expediri poſſe, quoties Conſul, apud quem nomina manumiſſoris domini, & ſervi manumittendi edita erant, infirmitate, vel aliqua juſta cauſa impeditus fuiſſet. Addit idem Caravita aliam exceptionem, niſi de cauſa criminali agatur, & Advocatus fiſcalis inſtet, abſentes expectandos eſſe. Verum hac in re tum ratio, tum publica utilitas expoſcit, ut diſtinctio adhibeatur inter ipſa, quæ pertractanda ſunt in Audientiis negotia; nam ſi proviſiones temporariæ ſint, & præſertim interloquutoriæ ſententiæ, quæ gravamen non contineant irreparabile; vel ſententiæ definitivæ circa cauſas, quas noſtri dicunt ſummarias, & exequutivas; tunc procu'dubio ſuperioris ritus ſententia obtinebit. At ubi res graviores tractantur, vel lites dirimendæ ſunt alicujus momenti; præſertim ubi ſuper cauſa criminali pronunciandum eſt, videtur a legum mente alienum, imo ab inſtitutione eorundemmet Tribunalium, quæ compoſita fuere pluribus judicibus, quò res melius, maturiuſque diſceptarentur; ut unius tantum conſilio ea perducantur ad exitum. Et huc ſane reſpicit *pragm.* 10. §.2. *de offic. jud.*, dum cavet, ne uno tantum præſente mora negotiis expediendis afferatur. Superiorem diſtinctionem confirmat conſtitutio Caroli V. in *pragm.* 1. *de quæſtion.*, nam decretum torturæ licet ſit interloquutorium, quoniam tamen irreparabile continet damnum, mandatur ea conſtitutione, ut exequutionem non habeat, niſi ſubſcribatur per omnes judices, vel per majorem ipſorum partem; idque tum in Magna Curia, tum in Regiis Audientiis. Idem confirmatur in *cit. pragm.* 10. §. 22. His conſequens eſt, extra Tribunal non poſſe Auditores quæſtionibus uti, ſive tormenta inferre, vid. *nct. in d. pragm.* 1. Quoties plures adſunt Auditores, tenentur omnes ſubſcribere ſententiam jam latam, etiam qui contrarium ſentiit. Sed quoniam evenire poterit, ut ejus ſententiæ ratio reddenda ſit, ad hoc ut appareat quale fuerit uniuſcujuſque ſuffragium,

gium, præſcribitur in *d. prag.* 10. §. 45., librum conficiendum eſſe, & aſſervandum a juniori inter Auditores, in quo ſuffragium uniuſcujuſque ſcribatur.

III. Qui primum locum obtinet inter Auditores, quique antiquior appellatur in pragmaticis, ſcilicet gradu, non ætate, aut officio, tenetur petitionibus partium in ipſo Tribunali oblatis providere, ſuumque ſuffragium ſubſcribere: cui ſi cæteri nolint conſentire, quod majori parti placuerit exequutioni demandabitur *d. pragm.* 10. §. 23. Dum Auditores aliquo in loco provinciæ adſunt, non poſſunt negotiis alienis, & extra commiſſionem ſe immiſcere; niſi aliter publica utilitas, & rei ipſius natura expoſtulaverit. Quo caſu, ſi neceſſitas urgeat, decernere poterunt, quod convenientius viſum fuerit; & interea tenentur Audientias ipſas certiores facere; earumque proviſionem expectare *d. prag.* 10. §. 28. In negotiis per Provincias pertractandis non poſſunt alios ſcribas adhibere, quam qui adſcripti ſunt numero eorum, qui Audientiis inſerviunt, quod & Præſes ipſe obſervare tenetur *d. prag.* 10. §. 35. Facultas tamen eis conceditur minus idoneos amovendi *prag.* 6. §. 1. *de offic. Juſtit.* Ubi in loco Tribunalis teſtes audiunt, ſententiam ferunt, relationem faciunt Auditores, vel quid aliud perficiunt ad officium pertinens, nihil quidquam exigere poſſunt, *d. pragm.* 10. §. 25. & 26. Excipitur tantum caſus comprehenſus in §. 10. *ejuſd. pragm.*: quoties ex more in Civitate, ubi adeſt Tribunal, eligendi ſunt adminiſtratores univerſitatis; tunc enim unius diei ſalarium eis præſtandum eſt. *Cauſas, lites proceſſus, vel acta*, ait *cit. pragm.* 6. §. 23., nequeunt domi expedire, ſed tenentur ea peragere in Tribunali; auditis Advocato, & Procuratore fiſcali, ubi quocunque modo eorum intereſt: Non poſſunt pro re familiari adhibere milites, ſive lictores, & apparitores publicis Audientiarum negotiis deſtinatos *d. pragm.* 10. §. 29.

IV. Sunt & quædam noviſſimis legibus ſtatuta, quæ generaliter comprehendunt ipſas Regias Audientias, ſive univerſum Collegium; veluti, ut earum unaquæque teneatur bis in anno notas contumacium ex delictis conficere,

Digitized by Google

& ad cæteras Audientias tranſmittere, ad hoc ut illi inquirantur, & legitimis pœnis afficiantur *prag.* 3. §. 3. *de emt. & vendit.* Eodem modo ter in anno tranſmittant *notas* ad Magnam Curiam. Non poſſunt contumaces effectos remittere ad judices ſuos, niſi illi judicio ſe ſiſtant, ſive *compareant perſonaliter*, & purgata, ſive ſoluta pœna contumaciæ, *pragm.* 6. §. 25. *de offic. Juſtit.* Pœnas corporales in pecuniarias commutare prohibentur; & ubi ejuſmodi compoſitiones in caſibus permiſſis decernuntur, id fieri debebit in Tribunali coram Advocato fiſcali, Actuario, & Magiſtro Cameræ, cujus officium eſt pecunias ex pœnis fiſcalibus exigere, & in publicis neceſſitatibus erogare *dict. pragm.* 6. §. 20. & 21. Quoniam inferiores Curiæ circa compoſitiones delictorum ſolent legitimum modum excedere; ideo in *cit. pragm.* 10. §. 12. ſtatuitur, debere Audientias Regiis Gubernatoribus mandare, ut eas ter ſingulis annis certiores faciant de iis compoſitionibus. Verum non poſſunt iiſdem Gubernatoribus, nec etiam Baronalibus jubere, ut notas conficiant criminum graviorum, ne videantur alienam juriſdictionem turbare; niſi ubi partes pro gravamine ad Audientias recurrunt; aut crimen ſit ejuſmodi, ut earum ſpecialis ſit cognitio, *d. pragm.* 10. §. 38. In iis quæ pertinent ad officium Perceptorum provincialium, qui incumbunt exactioni publicæ pecuniæ, nihil juris habent Regiæ Audientiæ. At ſi cognoverint, eos male in officio verſari, tenentur Principem certiorem facere. Sin autem delictum illi commiſerint grave, ſed alienum ab officio, tunc poterunt, vel in carceres eos detrudere, vel tradere fidejuſſoribus *d. prag.* 10. §. 42. Poſtremo prohibetur Audientiis, per civitates, oppida, & vicos tum Regios, tum Baronales, mittere generales commiſſarios pro capiendis obligationibus, niſi partes ipſæ petierint, *dict. pragm.* 10. §. 46., ubi in notis additur, prohiberi etiam Audientiis edicta, vulgo banna, promulgare ſive ad annonam, ſive ad rem nummariam pertinentia.

CA-

CAPUT XII.

De cognitionibus extraordinariis ad Regias Audientias pertinentibus.

QUæ in ſuperioribus capitibus expoſita ſunt, ordinario jure ad Audientias pertinent. Sed quoniam viſum fuit publice expedire, ut ſpeciales quædam cognitiones iiſdem concederentur, ideo ſeparatim hic eæ proponendæ, atque explicandæ ſunt. Monendi autem ſumus, tale jus ordinarium quoque dici poſſe, dum refertur ad leges, quibus placuit illud Audientiis competere: extraordinarium vero, dum refertur ad modum procedendi, ſiquidem aliquando ordinariæ ſolemnitates prætermittuntur; aliquando minus conſiderantur generales juriſdictionis regulæ, quam neceſſitas publicæ diſciplinæ ad graviora crimina removenda, & ad continendos ſubditos in officio. Et hoc ſenſu appellantur a noſtris *Præeminentiæ* Regiarum Audientiarum. Sed omiſſa diligenti vocabulorum inquiſitione, ad res ipſas explicandas accedamus.

II. Generalis traditur regula a Doctoribus: eaſdem prærogativas, ſive præeminentias competere Regiis Audientiis, quas habet Magna Curia, vid. Caravitam in *comment. ad rit.* 54. *&* 232.; qui & rationem addit ex Afflictis: *quia Curia Juſtitiarii eſt Curia Principis*. Quapropter neceſſarium non eſt hic repetere, quæ ſatis, ſuperque in *cap.* 8. expoſuimus circa privilegia Magnæ Curiæ. Tantum breviter annotanda hic ſunt, utpote hujus loci magis propria, quæ ibi prætermiſimus. Primo facultas cognoſcendi, ſive, ut forenſes loquuntur, *revidendi* ſententias *condemnatorias reorum*, latas per Curias inferiores Regni. Jure ordinario a ſententiis ſpecialium judicum, qui in ſingulis civitatibus, oppidis, & vicis conſtituuntur, appellatur ad Regias Audientias. Sed quamvis appellatum non ſit, quoties ſententia continet pœnam capitalem, præſertim condemnationem ad triremes, uſu inductum eſt, ut ea exequutioni non demandetur

mandetur, niſi prius ad Audientias tranſmittantur actus judiciarii, ut cognoſci poſſit, recte, an ſecus judicatum ſit. Quæ ſane conſuetudo optima ratione nititur; etenim non ſemper judices inferiores ea morum probitate, doctrina, & prudentia præſtant, ut in rebus gravioribus eorum judicio tute adquieſcendum ſit: Adhæc diligentius, maturiuſque plures idem negotium inſpicere, ac examinare ſolent, quam unus, licet prudentiſſimus, vel doctiſſimus. Et inde res majoris momenti utplurimum diſceptandæ committuntur judicantium Collegiis, ſive Tribunalibus. Similis conſuetudo obtinet in Magna Curia; ejuſque meminit Rovitus in *comment. ad prag. 6. de offic. magiſt. Juſtit.*, qua efficitur, ut condemnati ad triremes per Regias Audientias, ubi ad hanc civitatem mittuntur, non antea ad exequutionem pœnæ deveniatur, quam eorum cauſa revideatur in Magna Curia. Et quo melius res examinari, dijudicarique poſſint, ſtatuitur in *d. prag.* 10. §. 52., ut authentici actus judiciarii, ſive *proceſſus originales* ad eandem Magnam Curiam mittantur. Non in omnibus autem cauſis id obſervari debere jubet pragmatica, ſed tantum in iis, in quibus Audientiæ, *vel ex delegatione, vel ad modum belli judicarunt*. Ea fortaſſis ratione, quia appellatio cum non potuerit interponi in Magna Curia, æquum viſum eſt, ſententias iterum examinari. Quod idem cenſeo dicendum in quocunque caſu, ubi adpellatum non eſt; ne rei videantur pœnis ſubjici abſque ullo ſuperiorum judicum auxilio. Cum autem hæc facultas reviſionis ſententiarum extraordinarium jus cenſeatur, neſcio an civilis prudentiæ ſtudioſis probandum ſit, quod, uſu confirmatum in foro, defendere conatur Antonius Police *de præem. Reg. Aud. tit.* 1. *c.* 19., ſcilicet, nunquam in duriorem condemnationem reformari poſſe ſententiam, ſed ſemper in mitiorem. Hoc equidem admiſerim libenter, ubi non agitur de crimine atroci; nam ſecus non video, cur magis privatorum commodo conſulendum ſit, quam publicæ vindictæ; præſertim quoties manifeſtiſſima eſt, & ultra æquitatem, inferioris judicis indulgentia. Nec movemur verbis, quæ idem author citat, *ex prag.* 7. *de appellat.*, nam ibi

agi-

agitur de remedio ordinario appellationis: at in ſpecie noſtra cognitio extraordinaria eſt ad publicam utilitatem pertinens.

III. Dum de ſuperiori ſententiarum reviſione tractant noſtri, & nominatim Rovitus *loc. cit.*, conantur ejuſmodi forenſem uſum, qui invaluit apud nos juſtis de cauſis, ut diximus, a Romanis legibus deducere; unde citant *l. Divus Adrianus 6. D. de cuſtod. reor.* Sed manifeſte adparet, eos nec verba, nec ſenſum ejus legis percepiſſe. Cum ætate Imperatoris Adriani, & deinceps ſtatutum fuiſſet, ut graviorum criminum animadverſiones tantum pertinerent ad majores Magiſtratus, ut erant Præſides in provinciis; inde eveniebat, ut inferiores judices, ejuſmodi criminum reos, ne pœnis ſubtraherentur, vinculis coercere ſolerent, & ad Præſides remittere: quod & nominatim Defenſoribus civitatum injunxit Juſtinianus *Novel. 15. c. 6. §. audient.* Accidebat non ſemel, ut aliqua perpetrati criminis ab inferiori judice fieret inquiſitio; & aliquando interrogatus reus ſponte crimen fateretur; & propterea dum ille remittebatur, per epiſtolam certior fiebat Præſes, tum de ipſo crimine, tum de reo, ejuſque inquiſitione. Ne autem ejuſmodi epiſtolis omnino crederetur, neve rei antea a Præſidibus damnarentur, prudentiſſime ſæpe reſcriptum ab Imperatoribus refertur, & confirmatur in *cit. l. Divus*. Nam videtur ab omni æquitate remotum, aliquem damnari abſque ſolemnibus judicii, abſque defenſionibus. Sed quid hoc ad ſententiarum reviſiones moribus noſtris introductas, ubi omnia peracta ſunt ad curſum ordinarium judiciorum; & inferiores judices ex propria juriſdictione reos damnarunt? At Rovitus errores erroribus ſuperaddens, dum ſuperiorem uſum ad leges Romanas refert, iiſdem contineri opinatur quod ex *cit. §. 52.* jam ſtatui diximus; ſcilicet ut cum *proceſſibus originalibus* tranſmittantur rei; ejuſque rei probandæ gratia apponit illa verba cit. *l. Divus: igitur qui cum elogio mittuntur, ex integro audiendi ſunt*. Elogium interpretatur *proceſſum originalem*. Fallitur, nam agit ibi juriſconſultus de Irenarchis. Primum Auguſtus teſte Suetonio

in

in ejus vita *cap.* 32., ad inhibendos graſſatores viarum, diſpoſuit militum ſtationes per opportuna loca. Auxit Tiberius, vid. eundem Suetonium in *Tiberio*. Hi milites, & nominatim eorum Præfecti dicebantur ſtationarii, quia certis in locis ſtabant, & græco vocabulo *Irenarchæ*, hoc eſt ii, ad quos cura pertinebat tuendæ publicæ pacis, vid. Cujacium *lib.* 1. *obſer. c.* 33. Hi ſane, cum juriſdictione carerent, ſi quando latrones apprehendiſſent, debebant eos mittere ad Præſides *cum elogio*, hoc eſt indicato eorum nomine, & qualitate criminis: cæterum actus judiciarii a Præſidibus conficiendi erant; nam interrogabantur tantum illi ab Irenarchis circa ſocios, & receptatores, ut etiam hi vinculis coercerentur. Prudenter igitur in cit. *l. Divus* cautum eſt, ne ex hujuſmodi elogiis damnarentur rei; ſed ut obſervarentur conſueta judiciorum ſolemnia. Quod confirmant Tertulliani verba in *lib. ad Scapulam*: *Miſſum ad ſe chriſtianum in elogio, concuſſione ejus intellecta, dimiſit; ſciſſo eodem elogio, negans, ſine accuſatore ſe auditurum, ſecundum mandatum*. Intelligit proculdubio Tertullianus mandatum, ſive reſcriptum Imperatoris Antonini, cujus ſit mentio in cit. *l.* 6. Poſtmodum Irenarcharum munus militaribus viris ademtum fuit, quos experientia docuit, perturbatores magis, quam cuſtodes pacis eſſe, vid. *l. un. C. T. de Irenarchis*.

IV. Illa etiam non levis momenti Regiarum Audientiarum prærogativa eſt, quod poſſint de criminibus inferiorum Judicum, ſive officialium cognoſcere, ac judicare. Hanc ſane authoritatem Magnæ Curiæ tributam eſſe creditur ex conſtit. *Magiſter Juſtitiarius*, & patet ex ritu 49. An autem Romano jure idem obtinuerit, ut ſcilicet ſuperior Judex de crimine inferioris judicaret, tutò affirmare non poſſumus. Nam quod in dicto ritu ſcribit Caravita, Romanis legibus conceſſum fuiſſe Præſidibus officiales delinquentes in ſua provincia punire, vereor ne ſit falſum; ſiquidem ſi nomine officialis eum intelligimus, qui juriſdictioni præeſt, ut paſſim eam vocem accipiunt Pragmatici, id utique adverſatur *l. ult. Cod. de offic. Præfect. Auguſt.*, qua cavetur, ut

Præfectus Auguſtalis (ſcilicet Præfectus Ægypti, ſic dictus, quod Ægypto in provinciam redacta, primùm ſit ab Auguſto conſtitutus ex Dione *lib.* 51.) judicum inferiorum flagitia referendi ad Principem poteſtatem habeat, non autem eos amovendi, vel puniendi. At utitur Caravita §. *volumus*, & §. *quod autem primitus* in auth. *ut Judices ſine quoquo ſuffragio fiant*: quæ eſt *novella* 8. Sed quoniam Doctores noſtri utplurimum, ipſis legibus neglectis, contenti ſunt Bartoli, cæterorumque ejuſdem ſcholæ Interpretum, *ſummas*, quas vocant, percurrere, & ex iis jus ſumere, unde non ſemel falſas legibus interpretationes affingunt; propterea non eſt mirum, ſi citatus author, quid ſibi voluit in ea conſtitutione Juſtinianus, non percæpit. Ait quidem Bartolus in ſumma: *Judices, qui provincias regunt, juriſdictionem habent a lege in privatos . . . . . . Et etiam in officiales, & judices, qui de Principis curia emanant &c.* At ſi volumus novellæ conſtitutionis verba diligenter examinare, facile cognoſcimus, Imperatorem ibi loqui non de ordinariis Judicibus, qui per Civitates Provinciarum jus dicebant, ſed de iis perſonis, quæ alicujus negotii gratia Conſtantinopoli mittebantur in Provincias a ſupremis Magiſtratibus, eorumque *calculos*, & *juſſiones habebant*, ut eſt in Epitome Juliani anteceſſoris, & proprie dicebantur *Magiſteriani*, vel *Præfectiani*, quos idem Julianus in *novella* 17. generali nomine explicat *Agentes in rebus*. Magiſteriani dicebantur officiales Magiſtri Officiorum, a quo in provincias mitti ſolebant ad aliquod negotium expediendum; unde ſic ſe habent verba dictæ novellæ 17., quæ eſt auth. *de mandatis Principum* ex verſione Haloandri: *Qui hinc commeant ſive Magiſteriani ſint, ſive ex quocunque alio judicio &c.* Eodem ſenſu Præfectiani erant, qui mittebantur a Præfecto Prætorio, cujus erant veluti Apparitores, vid. Cujacium in *not. ad l.* 2. *Cod. de apparitorib. Præfect. Præt. lib.*12. Cum autem hi *Miſſi*, ſive *Agentes in rebus*, ſolerent a provincialibus injuſtas ſportulas exigere, id vetuit omnino in *dict. conſtit.* Juſtinianus, voluitque, ut coercerentur a Præſidibus provinciarum, quibus ſubjectos eos eſſe mandavit, & puniendi-

niendos etiam privatione cinguli, quo hujuſmodi Agentes ea ætate ſolebant decorari. Cingulum enim dignitatis erat inſigne; qua de re vid. Gothofr. in *l.* 3. *C. T. de poſtulando*. Igitur ſuperior conſtitutio ad rem non facit; & male intellecta, atque allegata eſt a Pragmaticis. His adde, quod eorum opinio contradictionem involvit, nam ſi poteſtas cognoſcendi de criminibus inferiorum Judicum conceſſa eſt a ſuperioribus Romanis legibus; & per conſequens a jure communi; eadem ratione competet & Magnæ Curiæ: Unde hac in re nullum ejus eſt privilegium, nulla prærogativa: Quomodo igitur eam numerant inter ſpeciales ejus præeminentias?

V. Hanc præeminentiam tradunt Tapia in dicta conſtit. *Magiſter Juſtitiarius n.* 8., Capiblancus de Baronibus in *prag.* 5. *nu.* 7. communicatam eſſe Regiis Audientiis. Verum ex quadam inedita conſtit. Friderici II., relata ab Afflictis in conſtit. *Capitaneum*, deducitur, proprio jure Regias Audientias ſuperiorem prærogativam habere; nam placuit Imperatori, ut generales Curiæ celebrarentur, quo facilius a gravaminibus inferiorum judicum provinciales tuti eſſent. Et poſtremo hæc addit: *Clamores autem factos contra alios officiales decidat Juſtitiarius*. Verum ne quis dixerit: cum hæc facultas ſit propria Regiarum Audientiarum, ſupervacaneum erit, eandem curam tribuere Magnæ Curiæ, quandoquidem in ipſis provinciis officialium delicta coercentur: ſciendum eſt, in foro hanc diſtinctionem obſervari, uſu, & reſcriptis Principum confirmatam, vid. Tapiam *loc. cit.*, & Danzam *de pugna Doctorum tit. de præem. Reg. Aud.*, ut adverſus officialem Regium cognitio pertineat ad Magnam Curiam, adverſus Baronalem vero ad Regiam Audientiam. Et refert idem Tapia, ad citationem Officialis non procedi, in ſpecie propoſita, per Magnam Curiam, niſi prius ea de re Princeps conſulatur. Quod & juri Romano conſonum eſſe, patet ex iis, quæ modo diximus; & legibus quoque noſtris, prout colligi poteſt ex *capit.* 258. *verſ. ita tamen.*

VI. Competit etiam Regiis Audientiis prærogativa quæſtionis exercendæ ex ſola informatione; dummodo

agatur de graviſſimis criminibus, & ea omnia obſerventur, quæ ſupra diximus obtinere in Magna Curia, ubi ad eum pervenitur extraordinarium modum procedendi. Quærunt autem hîc Doctores, an proprio jure tale privilegium Audientiis ſit conceſſum. Cenſet quidem Caravita in *rit.* 259. *num.* 10., illud legibus noſtris nominatim competere Magnæ Curiæ, ſed uſu ad Regias Audientias protractum. At ſi verum eſt quod idem author, cæterique ex noſtris trâdunt, ex *capit. ſi cum ſceleratis*, & *capit. ſi cum accuſatis*, eam prærogativam provenire, dicendum utique eſt, id ipſum decretum olim fuiſſe expreſſe de Curia Juſtitiarii ab Imperatore Friderico in conſt. *Juſtitiarii non per Kalendas*; nam ibi injungitur, ut contra famoſos latrones, & publicorum itinerum aggreſſores Juſtitiarii procedant *nullis dilationibus*, *ſeu accuſationum ſolemnitatibus expectatis*. Quæ verba non male aptari poterunt torturæ inferendæ.

VII. Ex Superiori fortaſſis conſtitutione Friderici introductum fuit, ut in quibuſdam delictorum ſpeciebus extraordinem procederent Regiæ Audientiæ, ſive *ad modum belli*, ut Doctores, & noviſſimæ leges loquuntur; quaſi ad ſimilitudinem ejus, quod in more habent exercituum Duces, præſertim dum ſunt in expeditione, ut ad continendos milites in officio, abſque ſolemnibus, & ſtrepitu judiciali, nulla mora interpoſita, in ſontes animadvertant. Sed illud genus loquendi minus proprium eſt; etenim ex communi noſtrorum ſententia *procedere ad modum belli* idem denotat *ac procedere ex delegatione*, vid. Calà *de præem. M. C. cap.* 19., ſcilicet cum Judex ordinarius ſpeciali Principis reſcripto in aliqua cauſa procedit; quo caſu, licet dicatur, concedi terminum extraordinarium, ſolemnia tamen judicii obſervantur; & tantum appellationi locus non eſt, niſi ad ipſum Principem delegantem ex *cap. ſuper* 27. *de offic. & pot. jud. deleg.* Noſtri dicunt *reclamationem*. Vid. Rovit. in *tit. prag. de offic. Juſtit.* Et propterea Pragmatici docent, in Regiis Audientiis quod dicitur *procedi ad modum belli*, in Magna Curia dici *ex delegatione*. Cæterum ſolemnitates ju-

dicia-

Digitized by Google

diciales ſemper obſervandæ ſunt, etiam leviores, ut eſt teſtium repetitio, vid. *pragm.* 10. §. 51. *de offic. Judicum*; ubi tantum excipitur caſus, quando legitima adeſt rei confeſſio, tunc enim, licet talis repetitio prætermitti poſſit, nihilominus terminum adverſus confeſſionem dandum eſſe mandatur. His adde, quod ea facultas dum ſoli Præſidi committitur, ad perſequendos proſcriptos, vulgo *bannitos*, graſſatores viarum, cæteroſque ejuſdem generis facinoroſos homines, publicam Provinciarum tranquillitatem perturbantes; tenetur ille ſibi adjungere unum ex Auditoribus, cujus conſilio actus judiciarii perficiendi, & demum ſententia proferenda erit, *dict. pragm.* 10. §. 53. Igitur generalis admodum, & impropria hæc loquutio eſt *ad modum belli*; cum fortaſſis quis credere poſſet, noſtris legibus eadem permiſſa, civiliter agendo, quæ in bello ipſa neceſſitas, & rigor militaris diſciplinæ requirit: quod equidem haberet aliquid iniqui. Et propterea *cognitio extraordinaria* dicetur rectius; ſive ex ſpeciali Principis commiſſione. Idque duabus potiſſimum in rebus conſiſtit: Primo, ut tortura inferatur ex ſola informatione; nam generaliter tradunt noſtri regulam, ex opinione Bartolomæi de Capua, relata in com. de Nigris ad *cap. diu jam* 234., ut quando ad modum belli proceditur, torturæ ex proceſſu informativo ſit locus; ſive *non data copia repertorum* (his vocabulis Forenſes intelligunt nomina teſtium, & atteſtationes, quæ reperiuntur in actibus judicialibus). Secundo, ut terminus ordinarius dierum reducatur ad horas. Hoc ſane neque Romanis, neque Regni legibus conſtitutum eſt. Solitum tantum fuit Romæ, horarum ſpatium præfiniri aliquando tum accuſatori, tum reo, eorumque advocatis ad dicendum, ut in cauſa Milonis refert Aſconius, vid. Pollet. *hiſt. for. Rom. lib.* 1. *cap.* 11., in qua accuſator duas, reus tres habuit horas, ob naturalem favorem erga laborantes. Cæterum cum controverſiæ, præſertim inquiſitiones criminum, celerrime ad finem tunc perducebantur, neceſſarium non erat ea de re ſpeciales leges rogare. At deinceps auctis civilium, criminaliumque cauſarum anfractibus, unde forenſes concerta-

tio-

tiones perpetuæ quodammodo factæ ſunt; viſum fuit publice expedire, ad hoc ut facinoroſi, & promti ad maleficia deterrerentur, in gravioribus delictis brevi ſpatio includere univerſam actionem; ideſt probationem delicti, & defenſionem rei; unde vulgo dicitur *procedi ad horas*. Quod moribus introductum in Magna Curia, & in Regiis Audientiis, confirmatum fuiſſe pragm. edit. *an.* 1584. per Ducem Oſſunæ Proregem, notat de Luca *ad deciſ.* 520. de Franchis.

VIII. In ſuperiori extraordinaria cognitione major quodammodo adparet authoritas Audientiarum, quam ipſiuſmet Magnæ Curiæ, quæ nunquam ea poteſt uti, niſi ubi in aliquo ſpeciali caſu Reſcriptum Principis intervenerit, delegationem mandans. Sed quoniam in Provinciis enormia delicta ſunt frequentiora, præſertim latrocinia, iiſque opportunior præbetur occaſio in locis a civili conſortio remotis; ideo generaliter quibuſcumque Præſidibus, & Audientiis conceditur *poteſtas ad modum belli*. Ne autem deinceps dubitatio aliqua exiſteret, utrum commiſſum delictum ordinariæ, an extraordinariæ cognitionis eſſet; ideo in cit. *pragm.* 10. §. 48. hæc numerantur, in quibus poteſt procedi ad modum belli: Primo in furtis commiſſis in viis publicis, & extra urbes, ſive oppida; vulgo *extra habitatum*, *& in campanea*. II. In incendiis domorum, vel tuguriorum, non minus in locis habitationi deſtinatis, quam ruri. Id ipſum obtinet, ſi ignis immiſſus ſit in ſylvas, nemora, meſſem, ſive ea terræ adhuc cohæreat, ſive in area ſit repoſita; dummodo adſit dolus. III. In plagii ſpecie, quæ noſtris dicitur *recaptus*, & proprie committebatur olim tale crimen frequentiſſime *a bannitis*, qui iterfacientes obſidum loco ſibi retinere ſolebant, uſquedum certæ pecuniæ quantitas eis eſſet perſoluta. IV. Cum multæ ſimul perſonæ, ſaltem quatuor numero, armatæ incedunt, cum armis legibus Regni prohibitis, & per agros, viaſque publicas maleficiis ſeſe immiſcent, licet dum capiuntur eadem arma non habeant. V. In raptu manifeſta cum vi commiſſo ruri contra mulieres cujuſcumque conditionis. VI. In cri-

criminibus, quæ in mari committuntur piratarum more. Denique cavetur, ut in omnibus ſuperioribus delictorum ſpeciebus, comprehendantur etiam complices; & ut, ſi gravior aliquis acciderit ſimilis caſus, Princeps certior fiat, a quo eadem facultas ſpecialiter committetur.

CAPUT XIII.

De origine, authoritate, & juriſdictione Gubernatorum in ſingulis locis Provinciarum Regni. Ubi quædam adnotantur circa officium Bajulorum.

NON leve ſtudium, aut perfunctoria diligentia in hoc capitulo adhibenda eſt, ſive rem ipſam conſideremus, ſive publicam utilitatem, adhoc ut authoritas, & juriſdictio Gubernatorum, qui in ſingulis civitatibus, oppidis, & vicis conſtituuntur in Regno, concludatur certis finibus, & regulis, ne partim ex abuſu, partim ex prava legum interpretatione, nimium quorundam inſolentiæ, & avaritiæ permittatur. Et ſane, licet jure publico Magiſtratuum Collegia, ſive Tribunalia ſtatuta ſint, in quibus plurium induſtriæ, doctrinæ, atque prudentiæ legum exequutio commiſſa eſt; tamen neceſſarium viſum fuit, ut & in locis ſingulis ſpeciales adeſſent Judices, quò facilius, & commodius, in primo ſaltem judicio, jus petentibus redderetur. Scio communiter in hanc ſententiam itum eſſe, particularium judicum conſtituendorum conſuetudinem, Romanis ignotam, barbaris Nationibus acceptoferendam eſſe; adeout Author *hiſt. civil. lib.* 3. *cap.* 2. §. 3. non vereatur affirmare, hac in parte Romanis Gothos antecelluiſſe; nam dum illi contenti erant in unaquaque Provincia, vel Conſularem, vel Præſidem ſtatuere; hi è diverſo, præter eoſdem ſupremos Magiſtratus, voluerunt in ſingulis locis Comites, ejuſdemque generis inferiores judices creare; unde ortum habuit Gubernatorum uſus, qui adhuc hodie permanet in Regno noſtro.

II. Verum Gothorum prudentiæ concedamus quod ex Gro-

Digitized by Google

Grotio aſſerit citatus Author : non recte tamen generaliter dicetur, ſub Romanis omnino defuiſſe in locis ſingulis judices : quandoquidem ſtante Republica, Coloniæ, & Municipia ſuos habuere Magiſtratus, ut alibi diximus. Quæ vero Regiones in Provincias redactæ fuere, Magiſtratus Romanos cum ſuprema authoritate accipiebant; cæterum veriſimile eſt, & ſpeciales uniuſcujuſque loci fuiſſe Judices, ſaltem in cauſis levioribus. Quod equidem ſub Imperatoribus affirmandum eſt libentius; qui cum tanto ſtudio, & diligentia ſubditis conſuluiſſent, optimas, prudentiſſimaſque leges rogando circa Judicum electionem, atque officium, ut videre eſt in *Cod. Theod. & Juſtin.*, & præſertim in not. Gothofr. *tit. de offic. Rector. Provinciæ*; quis unquam ſibi perſuaſerit, eoſdem voluiſſe, labore, & diſpendio miſerum in modum ſubditos defatigari, dum neceſſe haberent e remotiſſimis regionibus Provinciarum Rectores adire? Adhæc, cum ſceleratorum perfidiæ aliquando in tempore occurrendum foret, videbatur omnino inconveniens, Rectorum juſſum, & deliberationem expectare. Sed mittamus conjecturis rem agere, & utamur clarioribus argumentis ex *l. ult. C. de pedaneis judic.*, ubi Imperator Julianus poteſtatem facit Præſidibus Provinciarum creandi in quibuſdam negotiis pedaneos judices (hos interpretatur Cujacius in *paratitl. agipedes*, *planipedes*, quod non pro tribunali judicant, ſed de plano, ſtantes, aut ſedentes; imo collatitio, aut fortuito ſcamno, fortuito ceſpite ex *nov.* 71. & 81.). Ex verbis autem hujus conſtitutionis infertur, eos judices in locis particularibus conſtitutos; nam ait Imperator : *Moderatorem provinciæ ſuperfluum eſt expectari*. Quaſi dicat, incommodum eſt, ut in unaquaque cauſa, vel minima, expectatur Rector Provinciæ; & ideo tales judices creandi ſunt, ut de minimis, & humilioribus cauſis cognoſcant. Uſus autem eſt verbo *expectari*, ſiquidem ea ætate moris erat, ut hyeme ferme tota in Metropolibus Provinciarum Rectores juri dicundo conſiſterent, vid. *l. 6. C. de offic. Rect. Provinc.*, æſtate vero, ut Provincialium deſideria commode audire poſſent, per Provinciam diſcurrerent, vid. Gothofr. in *l. 4. C. T. tit. tit.*

III. Præ-

III. Præter hos pedaneos Judices, erant & Defenſores Civitatum. Horum munus proprium fuit plebem ab injuria, & oppreſſione tum Rectorum provinciæ, tum militum defendere; & ne ab exactoribus tributorum, ſive ſuſceptoribus vexaretur, vid. Gothofr. in *parat. C. T. de defenſ. civit.* Poſtmodum juriſdictione donati fuere; nam antiquitus provinciales apud eos injurias tantum ſuas conteſtabantur, ideſt, ut explicat idem Gothofredus, geſta, & acta de iis conficiebant, & ad Judices, ideſt Rectores Provinciarum mittebant, vid. *l. 3. C. T. de ſuperexactionibus*. Non autem habebant jus multæ dicendæ, neque quæſtionis exercendæ *l. 2. cit. tit. C. T. de defenſor. civit.* (quam legem corrupte in Codicem Juſtiniani *l. 5.* tranſtulit Tribonianus, addens illa verba *ſæviores quæſtiones*; quaſi ordinariæ licuiſſent, quod eſt contra mentem ejus legis.) Verum Juſtinianus in *nov. 15.* reſtituto munere Defenſorum jam pro vili habito, quoniam exerceri tum ſolebat ab hominibus humilioris fortunæ; non tantum eorum cognitionem ampliavit in cauſis civilibus uſque ad ſummam aureorum trecentum, cum antea fuiſſet uſque ad quinquaginta; ſed etiam in criminalibus voluit, eos habere cognitionem, & coercitionem, quoties ageretur de lenioribus delictis; ideſt privatis, non publicis; in quibus tamen placuit præhenſionem ſolummodo eis concedere; ideſt, ut poſſent reos vinculis mancipare, & ad Præſides mittere.

IV. Non igitur pro vero habendum eſt, ſub Romano Imperio ſpeciales locorum Judices defuiſſe; ſed tantum aſſerere poſſumus, a Gothis ampliorem juriſdictionem iis tributam fuiſſe, eoſdemque diverſis nominibus deſignaſſe; prout etiam ſub Regno Longobardorum. At ſub Normannis Bajuli fuerunt ordinarii locorum judices, ſive Ballivi, ut alibi annotavimus. Eorum autem juriſdictio, Friderici II. temporibus, non minimi momenti erat, ut patet ex conſtitutionibus ejus Imperatoris. In unaquaque Civitate plures creabantur: verum cum eorum multitudo negotiis impedimentum potius afferret, juſſit Imp. in *conſtit. ſæpe contingit quod multitudo*, ut tres tantummodo, & non

Digitized by Google

plures in locis quibuslibet ſtatuerentur. Credendum autem eſt, eos utplurimum fuiſſe juris imperitos; & propterea Aſſeſſores, ſive Conſultores habuiſſe, qui Judices appellantur in iiſdem conſtitutionibus, ſecundum morem ejus ætatis, in qua Judex utplurimum intelligebatur legum Doctor, juris Profeſſor, vid. exempla apud Cangium verbo *Judex*. Hinc idem Fridericus in *conſtit. pro ſcripturis tit. de ſalario pro ſcripturis ſententiarum*, ne pro arbitrio ſalaria exigerentur a Bajulis, mandavit, centeſimam partem æſtimationis rei in litem deductæ exigendam; eamque voluit ſolvi a victore, & deinde repeti a victo: diviſionem autem fieri debere æquis portionibus inter Bajulum, Judicem, hoc eſt Aſſeſſorem, & Notarium, quem nunc dicimus Actorum Magiſtrum. Ex hac conſtitutione fortaſſis inductum poſtea fuit, ut in Sacro Conſilio poſt litem finitam, certa quantitas, hoc eſt unus cum dimidio pro centenis aureis (vid. *prag. 79. de offic. S. R. C.*) ſolveretur, quod appellatur *Jus ſententiæ*. Cavit etiam prudenter idem Imperator, ut in jure reddendo omni diligentia, & ſtudio verſarentur Bajuli, Judices, & Notarii; & propterea in conſtitut. *cum juxta providum, & ſalubre* decrevit: ut ſingulis quatuor menſibus ſpecialis fieret de iis inquiſitio; generalis vero ſingulis annis; & ſi depræhenderetur, odio, amore, prece, aut pretio, proprio officio eos defuiſſe, aut contra jus pronunciaſſe, voluit manus mutilatione tanquam perjuros puniri; ſin autem ex ſimplici negligentia, confiſcatione tertiæ partis mobilium.

V. Verum authoritas Bajulorum ſenſim defecit. Et licet certum tempus aſſignari non poſſit, tamen veriſimile eſt ſi dicamus, id eveniſſe ſub Regibus Andegavenſibus, tum quia in eorum conſtitutionibus, ſive capitulis, vix illorum mentio fit; tum quia ea tempeſtate frequentius cœperunt concedi feuda cum juriſdictione; unde dum feudatarii volebant proprios judices creare, Bajuli qui ab antiquo conſtituti reperiebantur, ne viderentur prorſus inutiles, cœperunt tantum ſuam juriſdictionem interponere in cauſis levioribus, & præſertim dum actiones propone-

ban-

Digitized by Google

bantur tum de pauperie, tum ex lege Aquilia. Quæ facultas ſpecialiter data iis fuit a Friderico II. in conſtit. *animalia in vineis*; etenim cum anterioribus conſtitutionibus ſtatutum fuiſſet, ut animalia inventa in alienis fundis coram Juſtitiario adducerentur pro reſarciendo damno, placuit Imperatori conſtituere, ut id deinceps fieret coram Bajulis; ne pro damno, utplurimum minimo, cogeretur quis longum iter ſuſcipere, Juſtitiarii adeundi gratia. Quoniam autem hac in re frequentes controverſiæ, & querelæ oriebantur, præſertim quod Bajuli pecuniarias pœnas immodicas exigere ſolebant: ideo viſum fuit Regi Ferdinando I. Aragonenſi generali ſanctione decernere in *prag. 1. de offic. bajuli*, quid pro jure certo habendum eſſet. Et primo loco mandavit, ad probationem ſufficere unum teſtem, adhibito juramento *inventoris*, ideſt ejus qui actu invenit animal damnificans. At ſi idem inventor animal manu præhenderit, & ad Bajulum duxerit, ſimplici ejus aſſertioni cum juramento ſtandum erit; ſiquidem non ſemper facile eſt in locis campeſtribus teſtes adhibere. Pœnam autem, præter æſtimationem damni, voluit Rex auguſtalem excedere non debere, ideſt, ex communi interpretatione, carolenos quindecim. Sed hoc intelligitur, ex verbis pragmaticæ, quoties fit damnum *in territoriis bannitis*, hoc eſt ubi antea propoſita fuere edicta, ne quis cum animalibus accederet ad alienos fundos; nam ſecus, ultra æſtimationem damni, nihil quidquam erit præſtandum. Quoties autem damnum modicum eſt, pœna nunquam egredietur æſtimationem illius, nec ſolvi debet, niſi antea reſtituto damno. Quæ omnia & in Sacro Conſilio deciſa fuiſſe refert Anna *ſingul.* 138. & 139. Hac autem in re animadverſione digna eſt *pragm. 2. eod. tit.* quæ licet de Bajulo hujus Civitatis ſpecialiter loquatur; tamen quia generali ratione nititur, & abuſus in Regno quoque eſt, generaliter accipi debet; nempe, ut non poſſit Bajulus compoſitiones inire; hoc eſt de certa ſumma paciſci cum dominis animalium, ſolvenda ſingulis annis; unde illa poſtea habeantur tanquam immunia a quibuſcumque pœnis, & libere damnum committant. Quod

idem eſſet, ac præbere occaſionem maleficia impune perpatrandi, & alienis rebus damni inferendi. Sed hæc parum, aut nihil obſervantur, ob privatorum avaritiam, & commodum.

VI. Quæ in ſuperiori pragmatica clariſſime, atque juſtiſſime decreta ſunt, Doctoribus noſtris placuit ſuis interpretationibus, atque diſtinctionibus involvere, non ſine publico detrimento. Et ſane, cum jamdiu conſuetudo introducta fuiſſet, ut Baronibus jus Bajuli eligendi, vulgo *jus Bajulationis*, concederetur in feudum, quæſitum eſt, an conſtitutio Ferdinandi ad eos quoque pertineret. Qui ſolidæ juriſprudentiæ principiis imbuti ſunt, nunquam in dubium revocarunt, juriſdictionem Baronibus conceſſam, iiſdem legibus, iiſdem regulis contineri, ac eam, quæ jure publico competit omnibus Judicibus, & Magiſtratibus. Sed vulgo inter noſtros invaluit opinio, quam pluribus infra examinabimus, diſtinctionem fieri debere inter juriſdictionem conceſſam in proprietatem, & conceſſam in officium. Et propterea ex eadem diſtinctione, legem Ferdinandi, etſi generalem, non ad omnes Barones pertinere creditur, ſed ad eos tantum, qui habent ſimplicem juriſdictionem. Hinc de Ponte *de poteſt. Proreg. tit.* 3. §. 1. *num.* 42. ſic ſcribit: *Et reſpective ad hanc cauſam publici boni, ſicut poteſt Judex augere pœnam a lege ſtatutam, ex regula text. in leg. fin. C. de modo multarum, ſic Baro habens tamen merum, & mixtum imperium, cum ſit Judex ordinarius ſuorum vaſſallorum, ut diximus &c. . . . . . . Et licet textus in cap. Reg. incip. item ad inquiſitionem, diſponat; quod Baro in bannis, quæ facit, non poteſt imponere pœnam ultra auguſtalem; intellexerunt tamen Doctores capitulum illud in habente ſimplicem juriſdictionem; ſecus autem ſi habeat merum, & mixtum imperium, ut late ibi per Joan. de Nigris &c.* Capiblancus in *prag.* 8. *de Baronib. part.* 1. *n.* 382. authoritatem de Ponte ſequutus, tanquam jus certum pronuncians, ait, pragmaticam noſtram non habere locum in Barone habente merum, & mixtum imperium, vid. Maradæum *in an. ad ſing.* 261. & 262. Primum omnium nititur hæc diſtinctio *cit. l. ult. C. de modo multarum*; ſed peſ-

ſime

ſime inde argumentum deducitur; nam ibi agitur de multis, non de pœnis: illæ imponuntur a judice ſuis decretis, vel edictis, & propterea pro arbitrio, & juſta cauſa exiſtente, augeri, aut minui poſſunt: hæ autem, cum legibus definitæ ſint, non pertinent ad arbitrium judicis, etiamſi ſint pecuniariæ; ſecus efficerentur judicantes, legum deſtructores; & ipſarum legum inutilis redderetur diligentia in decernenda hac, vel illa pœna, vid. *l. aliud eſt frans* 131. *verſ. & multa quidem D. de verb. ſignif.* Sed infra hæc plenius diſcutientur. In conſtitutione autem Caroli primi, quæ citatur a de Ponte, & in pragmatica noſtra, agitur de expreſſa legis definitione, qua cavetur, non poſſe pœnam exigi ultra auguſtalem. Sed demus aſſumtum verum eſſe; quid intereſt, utrum Baro ſimplicem habeat juriſdictionem, an juriſdictionem cum imperio mero? Errant hic magnopere Pragmatici dum credunt, ex ſimplici juriſdictione pœnam pecuniariam imponi non poſſe Judicis edicto; & propterea aſſerunt, ad irrogandam pœnam requiri merum imperium. Sed notiſſima hæc ſunt juris principia, pœnam pecuniariam ad merum imperium pertinere, ſi judicio publico criminali irrogatur, ſin autem exequendæ juriſdictionis, ad imperium mixtum, vid. Scip. Gent. *lib. 3. de juriſdict. cap.* 10. & Cujac. *in l.* 1. *D. eod. tit.* Quapropter dum ipſi aſſerunt, poſſe exigi pœnam a Barone, *ultra damnum* (ait citatus de Ponte, hoc eſt ultra æſtimationem damni) *ratione contemtus*; cur non poterit ille qui habet ſimplicem juriſdictionem? *Omnibus Magiſtratibus*, (inquit Ulpianus in *l.* 1. *D. ſi quis jus dicenti non obtemperaverit*) *ſecundum jus poteſtatis ſuæ, conceſſam eſt juriſdictionem ſuam defendere pœnali judicio*. Sed hic alius error depræhenditur; nam credunt Doctores, augeri poſſe pœnam quando adeſt contemtus: igitur quando non adeſt contemtus exigetur pœna ordinaria auguſtalis. At hoc eſt expreſſe contra verba pragmaticæ, quæ pœnam eo tantum caſu exigi vult, cum ſit contra edictum judicis: *intelligitur damnum dediſſe*, ait pragmatica, *quicumque in poſſeſſionibus alienis contra banna cum animalibus &c.* Et pro-

pte-

pterea ubi non adeſt bannum, nullus eſt contemtus, & non exigetur pœna; ubi adeſt, ſequitur contemtus, & pœna exigetur jam definita, hoc eſt infra auguſtalem; nunquam tamen ultra quantitatem ſortis, hoc eſt damni. Poſtremo, demus ratione contemtus augeri poſſe pœnam; cur quæſo non idem obtinebit, ubi Bajulationis officium immediate conceditur a Rege, non a Barone? Num major erit injuria, quoties contemnitur edictum Regii Judicis, ac Judicis Baronalis? Sed hanc diſputationem ulterius producere omittamus; quæ fortaſſis inutilis non erit ſolidæ juris diſciplinæ ſectatoribus, adhoc ut in foro, & in litibus pertractandis, definiendiſque, authoritas Baronalium judicum ſuis limitibus concludatur, ne infelices ſubditi magis, magiſque injuſtis exactionibus premantur.

VI. Non ſolum in ſuperiori ſpecie, circa damnum datum ab animalibus, Bajuli officium verſatur; ſed etiam circa legitimum pretium victualibus imponendum. Quod poſtmodum translatum fuit ad Adminiſtratores cujuſque Univerſitatis, vid. Tapiam in conſtit. *ad officium Bajulorum*. Præfiniebant etiam olim juſtum, & legitimum modum ponderibus, ac menſuris. Hæc ſane cura ponderum, & menſurarum præcipua ſemper eſſe debet, cum inde damnum non leve provenire poſſet tum publice, tum privatim. Apud Romanos id pertinebat ad Ædiles, ut colligitur ex *l. item* 13. §. *ſi quis menſuris D. locati*. Et quo major fides adhiberetur, publicæ menſuræ, & pondera in Capitolio adſervabantur, ad quorum modum privatorum menſuræ, ſi quando controverſia eſset, exigebantur. Hinc inſcriptio illa, relata a Gothofredo in *l.* 19. *C. T. de ſuſceptorib*, veteris menſuræ, ſeu congii ænei: IMP. CÆSARE VESPASIANO VI. CONS. T. CÆS. AUG. F. IV. MENSURÆ IN CAPITOLIO. Sub Imperatoribus Orientalibus ad ipſos Principes pertinebat exagium ponderum, ſive exagia, ut eſt in *Novel. Valentiniani* 25. relata inter *Novellas Theod.*, ſive cura eorum exigendorum, hoc eſt examinandorum. In *novel.* 1. *Majoriani*, ad evitandas fraudes circa varietatem ponderum, jubetur, ut a *Prætoria-*

riana ſede ad ſingulas , non ſolum Provincias , ſed etiam Civitates , pondera examinata mittantur , quibus omnis exactor , quam negotiator utatur ; ſub capitali pœna . Juſtinianus in *auth. de collatorib. & aliis capit.* quæ eſt *novel.* 128. *cap.* 15. decrevit , pondera in *ſanctiſſima uniuſcujuſque civitatis Eccleſia ſervari* . At in Regno noſtro de ponderibus , & menſuris cognitio olim erat Curiæ Principis , ut videre eſt in conſtit. *mercatores quoslibet* ; deinde Secretorum , vid. *capit. item prædicti ſecreti* 65. (hi erant Officiales publicis exactionibus rerum venalium deſtinati in Emporiis , vulgo Dohanis Regni , ut paſſim in capitulis Regum Andegavenſium). Demum Tribunal conſtitutum fuit *Regiæ ſiclæ* vulgo dictum , cujus ſumma cenſebatur authoritas , etiam in cauſis criminalibus propriorum Officialium : conſule *deciſ.* 599. de Franchis . Et licet in hac Civitate conſiſteret , tamen in univerſo Regno authoritatem ſuam exercebat ; quæ tandem ad territorium Neapolitanum reſtricta fuit ; nam in ſingulis locis Regni ea quoque facultas Univerſitatum eſt ; niſi ſpecialiter a Principe conceſſa fuerit in feudum ; quo caſu officialibus Baronum committitur , juſtum , & præfinitum modum inquirere tum in ponderibus , tum in menſuris . Scribit Tapia in *comment. ad cit. conſtit. mercatores* , ceſſaſſe univerſalem in Regno ſupradicti Tribunalis juriſdictionem , ex quo Univerſitatibus , & Baronibus ea vendita fuit . Tempus autem ejuſmodi venditionis ignoratur ; ſicuti etiam ignoratur quando , & qua ratione tum jus *aſſiſæ* imponendæ , tum cognoſcendi de ponderibus , & menſuris vulgo adpellatum ſit *Catapania* . Placuit Imperatoribus Orientalibus , dum ſæculo decimo novum Magiſtratum in Apulea , quæ tunc eorum dominio ſuberat , creaſſent , eum appellare Catapanum . De cujus vocis origine non ſatis conſtat : Cangius tum in notis ad *Alexiadem* , tum in *gloſſario* cenſet , idem ſignificare , ac Capitaneum , hoc eſt Præſidem , Præfectum Provinciæ , vel Civitatis . Probabile autem eſt , tale vocabulum in vulgo uſurpari ſolitum fuiſſe pro viro aliquo deſignando alicujus authoritatis , unde adhuc hodie quibuſdam in locis Re-

gni

pni Gubernator Capitanei nomine appellari ſolet. Cum igitur jus aſſiſſæ imponendæ, & cognoſcendi de ponderibus, ac menſuris translatum fuiſſet ad Adminiſtratores Univerſitatis, qui inter eos præſtantior erat, fortaſſis Catapanus cognominatus quoque fuit, eique munus injunctum circa pretium rerum venalium, pondera, & menſuras, *Catapania*; quemadmodum, & hodie fert uſus.

VII. Duplex autem hac in re crimen diſtinguendum eſt, nam aut quis utitur ponderibus, & menſuris omnino falſis, hoc eſt vel falſo, & adulterino ſigno notatis; vel dedita opera deminutis: & eo caſu tenetur pœna *legis Corneliæ de falſis l. 6. §. onerant D. de extraord. crimin. l. penult. in fin. D. ad leg. Cornel. de falſis*: aut utitur juſto, & legitimo modo præfinitis, verum publico ſigno eorum, ad quos pertinet, deſtitutis; & eo caſu pecuniaria tantum pœna, & veluti civilis, & privata eſt actio; nam nihil admiſſum eſt contra publicam utilitatem, ſed tantum contra commodum ejus, cujus lucro cedit ſignorum impoſitio. Ex hac diſtinctione illud quoque ſequitur, ut in primo caſu cognitio ſit Judicis criminibus coercendis conſtituti; in altero, Officialis pro ſignis imponendis deſtinati. Et qualitas pœnæ longe diverſa eſt; nam prætermiſſis Romanis legibus, in Regno extat Friderici II. ſanctio in conſtit. *ad legitima pondera*, ut qui falſitatem, aut fraudem in menſuris, & ponderibus inventus fuerit commiſiſſe, ſolvat Fiſco libram unam auri puriſſimi; *quam ſi dare non potuerit* (ait Imperator) *cum pondere, aut menſura ad collum ejus appenſas, per terram, in qua fraudem commiſit, fuſtigetur. Manum ejus deinde, ſi ſecundo fuerit deprehenſus in ſimili, decernimus amputandam. Et ſi tertio iteraverit, ipſum ſuſpendi jubemus*. Sed hæc, utpote ſeveriora, jamdiu uſus abrogavit; & pœna, ex qualitate fraudis, conſilio prudentis judicis remittitur. At quoties abſque publico ſigno adhibentur pondera, & menſuræ, pœna tantum pecuniaria eſt, quæ in legibus Regni nuſquam adparet definita; & propterea cujuſque loci conſuetudo ſervanda eſt. Nam quod ſcribit Tapia in *comment. ad cit. conſtit. ad officium*

Digitized by Google

ficium Bajulorum, quem cæteri ferme ſequuntur, ut Riccius *in praxi civil. part.* 1. *tit.* 5. *cap.* 7. *ſpec.* 3., olim *in controventione aſſiſæ*, & in ponderibus, & menſuris non ſignatis publico ſigno, ex dicta conſtitutione pœnam fuiſſe ſex aureorum, ſed ex *prag.* 1. *de offic. Bajuli*, redactam ad caronelos quindecim; admittendum utique non eſt; quandoquidem videntur nec conſtitutionis, nec pragmaticæ verba diligenter legiſſe. In conſtitutione generaliter decernitur de omnibus pœnis *bannorum*; nam voluit Rex Gulielmus confirmare jus Romanum, in *tit. Cod. de modo multarum*, ſcilicet, ut multæ edictis, ſive mandatis judicum comprehenſæ exigantur diligenter; ſed non ultra unciam. Verba conſtitutionis ſic ſe habent: *Pœnas bannorum etiam ab eiſdem* (loquitur de Bajulis) *de conſilio judicum*, & *aliorum noſtrorum Regni fidelium*, *non ultra unciam puniendorum*, *exigant*, & *ſine remiſſione recipere non omittant*. In pragmatica, ut ſupra explicavimus, tantum agitur de pœna damni dati ab animalibus alienis.

VIII. Controverſiæ ad limites juriſdictionis uniuſcujuſque judicis aſſignandos, frequentiſſimæ & olim fuerunt, & hodie ſunt; unde non ſemel in Foro diſceptatum fuit, quænam cauſæ pertineant ad Curias Bajulorum, quænam ſecus. Quia in rè utilius eſt, ubi leges ſcriptæ deficiunt, mores, & conſuetudinem jam receptam inſpicere, quam vanas Doctorum diſputationes, utplurimum ſtudio partium ſuſceptas; veluti dum quærunt, an poſſit coram eis judicium liquidationis inſtrumenti proponi; etenim non video quænam ſit dubitandi ratio, quoties ex conſuetudine id fuit receptum; nam ſi agitur de cauſis exequutivis, præſertim ubi probatio eſt in promtu ex publicis ſcripturis, parum intereſt, utrum ab uno, an ab alio judice jus reddatur; præſertim quod omnes concedunt, poſſe in Curiis Bajulorum *obligationes penes acta* incuſari; quo judicio, ut dicemus ſuo loco, nullum magis eſt exequutivum. Illud autem animadverſione dignum eſt, in Civitatibus, cæteriſque locis demanialibus, hoc eſt immediate Regiæ juriſdictioni ſubjectis, ampliorem Bajulos juriſdictionem obtinere,

nere, utplurimum ex inveterato uſu, aliquando ex privilegio; prout in hac Civitate, in qua e nobilium numero eliguntur Judices, iiſque datur Aſſeſſor; cauſæque minimæ, hoc eſt intra duos auguſtales, tantum in ea Curia pertractantur; cæteræ majoris ſummæ, & ibi proponi poſſunt, & coram Regiis Judicibus. Quod forenſes noſtri ſic exprimunt: *cauſæ intra carolenos triginta pertinent privative ad Curiam Bajuli; ultra, cumulative cum aliis Curiis.* Diebus nundinalibus in Foro, ob commodum mercatorum, jus reddit; vulgo *regit Tribunal.* Habet præterea ſuos Notarios, ſive Magiſtros Actorum, Apparitores, carceres, & quæcunque juriſdictioni expediendæ deſerviunt. Subeſt tamen ſingulis annis ſyndicatui, vid. *pragm.* 1. §. 4. *& deinceps prag.* 3. *&* 4. *de offic. Bajuli*; *& Tapiam jur. regni eod. tit.* Quod attinet ad cæteras demaniales Civitates Regni, cujuſque loci conſuetudo ſervanda eſt, ut diximus. At ubi juriſdictio immediate Baronum eſt, ſolent utplurimum Bajuli de ſolis cauſis damni dati inquirere; cætera enim ſive juriſdictionis ſint, ſive imperii, ad Gubernatores, hoc eſt ad ordinarios judices, pertinent.

IX. Sed quonam tempore facultas Baronibus in hoc Regno cœpit concedi, tum Bajulos conſtituendi, tum Gubernatores, non omnino expeditum eſt; quandoquidem inter noſtros Scriptores ea de re nihil certi affertur. Illud ſane conſtat, in generali conceſſione feudi non compræhendi juriſdictionem, quæ cenſetur quid diſtinctum a feudo. Et quamvis inter feudalis juris Interpretes nonnulli exiſtimaverint, conceſſo Caſtro (hoc nomine intelligunt quemcunque locum habitationi deſtinatum, ſive Urbs ſit, ſive Oppidum) conceſſam quoque tacite cenſeri juriſdictionem, quæ ipſi Caſtro cohæret; tamen verius videtur, ſpecialem conceſſionem requiri; nam vulgares admodum ſunt Doctorum regulæ deſumtæ ex *lib.* 2. *feud. tit.* 51., in generali conceſſione nunquam venire regalias, hoc eſt jura ſummi imperii; inter quæ primum locum ſibi vindicat juriſdictio. Et eleganter Cujacius ſcribit *lib.* 4. *de feud. tit.* 19.: *in generali ſermone, ea quæ nobis cariora, & pretioſiora ſunt, non con-*

Digitized by Google

contineri. *In generali alienatione*, *Curtis ſcilicet*, *vaſſalli non continentur*, *niſi nominatim dictum ſit*. *Idem ergo dixerim etiam de juriſdictione*; *quæ ex Curte illa deſcendit*; *juriſdictionem puta non ſequi alienationem Curtis*, *niſi nominatim dictum ſit*, *ſive venierit ſola*, *ſive cum feudis*; *nihil enim commune habent feuda cum juriſdictione*. Neque hac in re audiendus eſt Joſephus de Roſa in *prælud. feud. lect.* 2., qui vulgarem opinionem confirmans, addit, ea de cauſa antiquitus in Regno juriſdictionem tantum civilem Barones obtinuiſſe, quia illa etiam ſine ſpeciali conceſſione annexa erat feudis, & per proprios Judices, nempe Bajulos exercebatur; cum e diverſo, criminalis, quæ ſpectabat ad Juſtitiarios Provinciarum, cenſebatur ab iis remota. Nam ſi hoc verum eſſet, ſequeretur, noſtra ætate, dum juriſdictio, & civilis, & criminalis conceditur uniuſcujuſque loci proprio judici, & per conſequens ei cohæret, conceſſo feudo, eam quoque conceſſam intelligi debere; quod falſum eſt, nam juriſdictio ſeparatim datur. Quapropter hac in re, ne longis diſſertationibus, & dubiis conjecturis involvamur, dicendum eſt, quemadmodum ipſorum feudorum aſſignationes, ita etiam conceſſiones cujuslibet juriſdictionis, a Principum voluntate diverſam, variamque formam accepiſſe. Etenim, qui primi feuda ſtatuerunt in Italia Reges Longobardi, quibuſdam Supremis Ducibus non tantum juriſdictionem dedere, ſed & veluti partem quandam ſummi imperii, ut præ cæteris legimus de celebri Ducatu Beneventano, Spoletano, Taurinenſi. At quibuſdam feudatariis ſimplicem juriſdictionem tantum, quibuſdam vero nullam aſſignarunt. Nam falſiſſimum eſt aſſerere, juriſdictionem ſub Longobardis non competiiſſe Baronibus; quandoquidem, præter innumera argumenta, contrarium adparet ex *l.* 2. *legum Longobard. lib.* 2., in qua cavetur, ut ſi Vaſſus Regis (ſcilicet qui feudum immediate tenet a Rege, vid. Hothom. *de verb. feudal.*) *juſtitiam non fecerit*, *tunc Comes*, *& Miſſus in ipſa cauſa ſedeant*, *& de ſuo vivant*, *quouſque juſtitiam faciat*. Quibus verbis illud ſignificari cenſeo, ut ſi vaſſallus, ſive feudatarius, cui ex ſpeciali Regis con-

ceſſione juriſdictio in proprio feudo competit, fuerit negligens in illius adminiſtratione, tunc Comes, in cujus Comitatu illud feudum continetur, & Miſſus a Rege, ut in Judices inquirat, permaneant in illo loco, impenſis ipſius vaſſalli, donec cauſa terminetur. Hic quidem non exprimitur nec civilis, nec criminalis cauſa, ſed generaliter *juſtitiam facere*; quod utique de utraque accipi poteſt; nam nihil eſt impedimento, quominus dicamus, eam legem generalem fuiſse pro omni feudatario, ſive civilem, ſive criminalem juriſdictionem habente, prout diverſimode conceſſum fuiſſet feudum. In Regno noſtro idem obtinuiſse veriſimillimum eſt; nam conſtit. *ea quæ ad ſpeciale decus*, unde communiter noſtri deducunt, temporibus Friderici II. juriſdictionem criminalem Baronibus non competiiſse, probat tantum, non debere eos uſurpare, quæ ſpeciali conceſſione non fuerunt expreſſa. Etenim, ut ſolent qui authoritatem ſuam ultra limites præſcriptos protrahere ſtudent, ea ætate majores Feudatarii, & præſertim Prælati Eccleſiarum poſſidentes feuda Regalia, non ſemel ſibi aſſumebant quæ propria erant Juſtitiarii uniuſcujuſque Provinciæ; quod merito prohibere voluit ea lege Imperator. Eodem pertinet *cap.* 83. Caroli I. Andegavenſis, quo prohibet, Comites, Barones, ac Feudatarios, quos generaliter Rex adpellat *Terrerios*, quia *Terras* poſſidebant in feudum; aliquem capere de perſona, privatum carcerem facere, tormenta inferre &c. Quod ſane denotat, Regem voluiſse intelligere de iis feudatariis, qui cum nullam omnino juriſdictionem accepiſſent in feudum, ſuperiora injuſte ſibi uſurpabant. Nam ſi eam legem de imperio tantum mero accipimus, abſurda erit interpretatio; quoniam capere aliquem de perſona, privatum carcerem habere, pertinet etiam ad eos, qui civilem tantum juriſdictionem habent. Concludendum igitur eſt, feudatarios eam tantummodo juriſdictionem olim exercuiſſe in Regno, quam Principes iis conferebant nominatim, & expreſſe. Et quod noſtri poſt Afflictum generaliter aſſerunt, Alphonſum primum Aragonenſem cœpiſſe criminalem juriſdictionem Baronibus concedere, monu-
men-

mentis Hiſtoricorum non convenit; quandoquidem & Regem Robertum eandem nonnullis Baronibus conceſſiſſe refert *lib. 6. hiſt.* Angelus de Conſtantio. Quod credendum eſt, & feciſſe ſequentes Reges, qui belli neceſſitate ducti, non ſolum feuda, ſed & regalias, ut ærarii conſulerent inopiæ, vendiderunt. Et quo pretium creſceret, ſingulos gradus juriſdictionis exprimere fuerunt ſoliti. Hinc generalis definitio *prag.* 8. de Baronibus, quæ conſona eſt legibus feudalibus, ſic ſe habet: *Prohibemus etiam Barones, & alios utiles Dominos, ut non exerceant merum, aut mixtum imperium, aliamve juriſdictionem, aut exerceri mandent, niſi quatenus eis virtute ſuorum privilegiorum, vel legitima præſcriptione liceat: ſcientes, qui ſecus fecerint, uſurpatæ juriſdictionis eos crimen incurrere.* Quæ equidem definitio pugnat cum ſuperiori Doctorum aſſertione, qua ſtatuunt, conceſſo Caſtro intelligi conceſſam juriſdictionem ei cohærentem.

X. Inter ea, quæ jure publico diligenter ſtatuta ſunt, nihil magis ſervandum eſt, quam juriſdictionis exercendæ officium legum regulis includere, non arbitrio privatorum permittere. Hinc pro certo habendum eſt, ex quo primum juriſdictio dari cœpit in feudum, noluiſſe Reges aut ſubditis præjudicium afferre, aut Feudatarios a legum ſanctionibus liberare; cum & ipſi Principes, licet civilibus legibus ſoluti, glorientur tamen legibus vivere, vid. §. *ult. Inſtit. quib. mod. teſtam. infir.* Et propterea nunquam mihi perſuaſerim, potuiſſe olim Barones in Regno per ſe ipſos judicare in cauſis vaſſallorum; ut communiter credunt noſtri, ex authoritate Andreæ de Iſernia in *cap.* 1. *quid ſit inveſtit.*, quod videtur confirmare de Afflict. in conſt. *de quæſtionib.*; nam hi Doctores ſtatuunt tantum, feudatarios eſſe judices ordinarios vaſſallorum. Quod utique intelligi poteſt, eos habere ordinariam juriſdictionem: cæterum exercitium juriſdictionis, committendum eſſe hominibus peritis in judicando. Quod aliquando Barones cum conarentur pervertere, & ſibi aſſerere juris dicendi munus, non ſine legum, & ſubditorum præjudicio;

ideo

ideo prudenter inductum fuit, ut a Regiis Tribunalibus id eis prohiberetur; prout noſtris temporibus obſervatur, vid. de Franchis *deciſ.* 511., & Rovit. in *prag.* 2. & 3. *n.* 14. *de ſuſpitionib. offic.* Juriſdictio igitur Baronibus conceſsa in eo tantum verſatur, ut idoneos judices eligant; horumque munus iiſdem legibus includitur; quibus reliquorum judicantium. Imo arctiori vinculo continetur, nam etſi Regiis Judicibus aliquando, vel ubi in jure expreſſum eſt, vel ubi adeſt ſpeciale Regis reſcriptum, concedatur quædam judicii ſolemnia prætermittere; in Baronalibus tamen aliter ſeſe habet; nam ſuprema Principis authoritas, quæ pro bono publico ſolet quandoque obligationes legum diſsolvere; utique non pertinet ad Barones; quibus ordinaria tantum, & conſueta facultas conceſsa eſt in uſu juriſdictionis. Faceſsant ergo quorundam Pragmaticorum, juri publico pugnantes voces, quibus aſserere non verentur, *Barones veræ Reges eſſe in ſuis Terris*, ut loquitur Capiblancus in *prag.* 8. *de Bar.* *p.*1. *n.* 68., quo neſcio an quidquam abſurdius ſtatui, imo & pronunciari poſſit. Quinimmo, licet privilegia, & conceſſiones ampliſſimæ feudorum, juriſdictioniſque occurrant; ſemper tamen ſuis limitibus includendæ ſunt, ne quid eminens Principis authoritas, & communis ſalus ſubditorum detrimenti capiat. Unde prudentiſſime olim in Sacro Conſilio hoc axioma propugnatum, confirmatumque fuit: *nunquam in conceſſione meri imperii favore alicujus Baronis, cenſeri ea conceſſa, quæ Regi reſervantur in recognitionem directi dominii*, vid. de Franchis *deciſ.* 275. Sed quoniam veriſſima hæc publici, privatique juris principia, Doctorum falſæ interpretationes evertere ſtuduerunt, unde paulatim Baronalis juriſdictio legitimos fines tranſgreſſa, ipſis legibus vim attulit, præſertim iis, quæ magis neceſſariæ cenſentur, nempe ad criminum animadverſionem comparatæ: ideo res ipſa expoſtulat, ut hic diſpiciamus quid Judicibus, præſertim Baronalibus permiſſum ſit circa pœnarum commutationes, quas vulgo dicunt compoſitiones, & tranſactiones; quid ipſis Baronibus in criminum indulgentia, ſive in gratia vaſſallis concedenda, ut eſt formula Forenſium.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XIV.

De Commutatione pœnarum : vulgo de Tranſactionibus, & Compoſitionibus delictorum.

NON tantum in cauſis civilibus, ſed etiam in criminalibus permittunt Romanæ leges litigantibus per tranſactiones a lite diſcedere. Verum inter utraſque non leve diſcrimen eſt; ſiquidem in civilibus, utpote in quibus, præter privatum commodum, nihil aliud conſideratur, fere ſemper partium conſenſus in tranſigendo comprobatur jure; at in criminalibus, quoniam publice intereſt, facinoroſos accuſari, & puniri, facultas tranſigendi anguſtiſſimis finibus circumſcribitur. Qua de re extat celebris conſtitutio Imperatoris Diocletiani in *l. tranſigere* 18. *Cod. de tranſactionibus*, in hanc ſententiam: *De publicis ſive capitalibus criminibus (excepto adulterio) ſanguinis pœnam ingerentibus, licet tranſigere, vel paciſci: de aliis publicis criminibus, ideſt ſanguinis pœnam non ingerentibus, non licet tranſigere ſine periculo, & pœna falſi*. Capitalia delicta, quorum permittitur in hac conſtitutione tranſactio, intelliguntur ea, ex quibus mortis naturalis pœna infertur, ut recte ibi explicat Donellus. Et quamvis in uſu juris crimen capitale dicatur illud, cujus pœna eſt mors, aut ſervitus, aut exilium, quia his modis eximitur caput, ſive homo de Civitate *l.* 2. §. 1. *D. de public. judic.*; tamen hic tantum de morte ſignificationem eſſe, clare patet; quandoquidem exprimuntur crimina, quæ ingerunt pœnam ſanguinis. Quam ſpecialem ſignificationem capitalis pœnæ exprimit *l.* 4. *D. de pœnis*. Idque apertius demonſtrat *l.* 1. *D. de bonis eorum, qui ante ſent. ſib. mort. &c.*, ubi refert Ulpianus, Imperialibus decretis ſtatutum, non nocere reo, ſi adverſarium corruperit, quoties capitali crimine detinetur, hoc eſt quod pœnam mortis continet; & rationem addit illis verbis: *Nam ignoſcendum cenſuerunt ei, qui ſanguinem ſuum qualiterqualiter redemtum voluit*. Et hæc

ea-

eadem ratio eſt ſuperioris conſtitutionis Diocletiani, nam indulgent reis leges, dum pro morte evitanda, pacta ineunt, & tranſactiones cum accuſatoribus. Quod alioquin ferendum non eſt in cæteris criminibus, quorum levior eſt animadverſio; & propterea ſi in iis fiat tranſactio, ſtatuit in poſtrema parte conſtitutio, tranſigentes incidere in Senatuſconſultum Turpillianum, quo tenentur, qui ab accuſatione non legitime recedunt *l.* 1. *C. ad Senatuſcon. Turpil.* Cur autem in ſpecie ſuperiore adulterium excipitur, eam reddit rationem Gyphanius, quia in tali crimine qui habet jus accuſandi, ut eſt Pater, vel Maritus, tranſigendo, præſumtionem inducit lenocinii. Quod utique turpitudinem continet, & propterea improbatur. Quærunt autem Interpretes, an in caſu, quo permittitur tranſactio, ea jam inita, adhuc liceat Judici proſequi judicium, & ad rei condemnationem devenire. Negat Gyphanius in commentario. Sed ejus ſententia, & communi Doctorum conſenſu, & uſu ipſo judicandi rejicitur; ſiquidem in publicis, & gravioribus delictis intereſt Reipublicæ a facinoroſis pœnas exigere, ne cæterorum creſcat audacia. Neque obſtat accuſatoris tranſactio; nam ut mittamus argumenta, generalis definitio Juliani adhibenda eſt ex *l. ita vulneratus* 52. §. 2. *D. ad legem Aquil.*: *Multa autem jure civili contra rationem diſputandi pro utilitate communi recepta eſſe, innumerabilibus rebus probari poteſt*. Accuſator quidem remittendo; tranſigendo, juri ſuo poterit derogare; at nihil quidquam facere in præjudicium Reipublicæ, vid. Gloſſam, & Bartolum in *leg.* 2. *D. ad S. C. Syllan.* Et quamvis Farinacius *prax. crim. lib.* 1. *tit.* 1. *quæſt.* 4. cenſeat, ex partis remiſſione, ſive tranſactione pœnam ordinariam, hoc eſt a jure ſtatutam, non poſſe Judicem infligere, ſed debere eum extraordinaria uti; tamen illius opinio refellitur a Carpzovio *part.* 3. *pract. qu.* 148. Huc pertinet pragmatica Regis noſtri edita *die XV. menſis Junii* 1738. ubi in §. 13. cavetur, in homicidio remiſſionem partis nihil omnino operari, adeout, ea non obſtante, debeat Judex legitimam pœnam imponere, reumque condemnare eodem modo, ac ſi nulla interveniſſet remiſſio.

II. Quas

II. Quas modo expoſuimus tranſactiones, in Foro non ſolent ſic adpellari, ſed remiſſiones; nam Pragmatici dum dicunt tranſactiones criminum, intelligunt commutationes pœnarum factas per Judices; eaſque etiam compoſitiones adpellant. Et hoc ſenſu in volumine Pragmaticarum extat titulus de *Compoſitionibus*. Quod ſane ab uſu latini ſermonis, & Romanarum legum abhorret, in quibus compoſitio accipitur aliquando pro conventione inita inter accuſatorem, & reum ſuper propoſito crimine coram Judice; quod idem ferme eſt, ac tranſigere, vid. *l.6.*ibique *gloſ. D. ad S.C. Turpillianum*. Sed nunquam invenies componere pro commutare pœnam arbitrio Judicis. Hinc affirmaveris libenter, Joannem Calvinum in *lexico jurid.* vel inconſideratè ab inepto aliquo Scriptore tranſcripſiſſe, (ut ſolent non ſemel, qui lexica, & vocabularia conficiunt) quod apponit verb: *compoſitio*, ad hunc modum: *Compoſitio eſt conventio quædam per reum cum Præſide facta, ex cauſa lite pendente; de dubio criminis ſtatu, de ſolvendo Fiſco certam ſummam, ad effectum redimendi vexationes litis. Probantur hæc omnia in l. ab accuſatione, l. deſtitiſſe, & l. ſeq. D. ad S. C. Turpil. §. quia vero auth. de defenſ. civit. c. fin. de tranſact.*; vel potius dicendum eſt, temetum, dum hæc ſcriberet, eum bibiſſe; nam in citatis legibus nihil omnino ad propoſitum faciens reperitur, ut facile legenti patet. Verbum autem *tranſactio*, reſpectu Judicis, legitur in jure Romano, ſed raro admodum, ut in *l. ordine 15. D. ad municipalem*, ubi docet Papinianus, duriori ſententia damnatos a Judice, infames non fieri, licet crimen ſit ejuſmodi, unde irrogatur infamia; & rationem hanc reddit: *durioribus etenim pœnis affectos, ignominiâ, velut tranſacto negotio, poſtea liberari*. Clarius hoc ipſum exprimitur ab Ulp. in *l. quid ergo 13. §. pœna gravior D. de his qui not. infam.* In his ſpeciebus non denotat tranſactio commutationem pœnæ legitimæ in præſtationem pecuniæ, ſed tantum compenſationem, veluti quandam durioris ſententiæ, ex criminis circumſtantiis, cum infamia, quæ ob id remittitur. Cæterum credendum eſt, Romanos

Prudentes in pœnis criminum ſtatuendis, elegantiſſima Ciceronis verba in *Præt. urb.* ſemper præſetuliſſe: *Lex eſt, pœna eſt. Quid hoc ad eum, qui jus dicit? In pœnis ferendis nullæ ſunt partes Judicis.* At ſequiori ætate, ſive quod nimia legum aſperitas diſpliceret in judicando; ſive quod Judices ſibi perſuaderent plus licere, quam quod jure permiſſum eſſet; ſive denique quod ipſæmet dubiæ probationes id viderentur exigere: inductum eſt, ut in Foro tranſactiones permitterentur, hoc eſt commutationes pœnarum. Scio inter viros doctos non defuiſſe, qui tranſactiones hujus generis non indiſtincte permittendas exiſtimaverint, ſed tantum cauſa cognita apud Supremos Magiſtratus, aut prævia licentia Principis. Sed communiter contrarium obtinet; imo inferiores Judices facilius eas ſolent adhibere. Quod ubi paſſim, & pro arbitrio conceditur, divites paratam occaſionem habent, unde leges eludant. Prudenter nos monet Antonius Matthæus *de crim. tit. de injur. c. 2.* pecuniarias pœnas non ſemper tuto imponi ad continendum unumquemque in officio; & exemplum deſumit a Gellio *lib.20.c.1.* de Lucio Neratio, homine egregie improbo, atque immanis vecordiæ, qui Romæ deambulando, habebat pro delectamento os hominis liberi manus ſuæ palma verberare: & cum 12. *tab. lege* pro injuria ſtatuta eſſet pœna vigintiquinque æris; ſtatim jubebat ſervo, qui dedita opera eum ſequebatur cum crumena aſſium plena, ut injuriam paſſo pœna pecuniaria numeraretur. Quo deinceps factum fuit, ut talis injuriæ pœna antiquaretur.

III. Introducto jam tranſactionum, ſive compoſitionum uſu, noſtræ leges ei ſeſe accommodarunt: ſed certum modum præſcripſerunt. Primum omnium advertendum hic eſt, aliquando leges Regni compoſitionem adpellare ſolutionem pœnæ pecuniariæ, expreſſim jure impoſitæ, ut in conſtit. *aſperitatem*, ubi Fridericus II., aſperitatem veterum legum leniendo, mandat, componi poſſe cum Curia, ad ſolvendam duplicatam pœnam pecuniariam, impoſitam contra portantes arma, eum qui arma contra aliquem extraxit,

xit, ſed non offendit. Verum hæc improprie dicitur *compoſitio*. Occurrit etiam componendi, & tranſigendi verbum in aliis conſtitutionibus ejuſdem Imperatoris, ſed illud refertur ad accuſatorem, & reum, non ad Judicem, ut in conſtit. *poſtquam tit. de tranſact.*, in qua permittit Imp., poſtquam citatæ partes comparuerunt coram Juſtitiario, conventiones, & tranſactiones inire, ſed tantum in injuriis non atrocibus. At contrarium ſtatuit in conſtit. *poſt citationem*, nempe, ut permittantur compoſitiones inter partes poſt citationem, *lite nondum in criminali judicio conteſtata*, *nec aliqua partium comparente*; dummodo aliquid eo nomine non ſolvatur inconſulta Curia. Verum hæc forenſis uſus abrogavit, nam & de quocunque delicto in qualibet parte judicii admittuntur *remiſſiones*, nec amplius Curiæ requiritur licentia circa præſtationem pecuniæ. Commutationes pœnarum, ſive compoſitiones reſpectu Judicis, primus videtur confirmaſſe Rex Robertus in *cap. exercere volentes* 221. Quod explicabimus in *cap. ſeq.* At in Ritibus M. C. cum generaliter compoſitiones permittantur, certæ ibidem regulæ ſtatuuntur, ut in *rit.* 272., in quo prohibetur compoſitionem admitti, niſi ex conſenſu partis, cujus intereſt, ſive *parte non contenta*, & *concordata*, ut ait ritus. Id ipſum confirmatur in *ritu ſequenti*; ſed additur, id obſervandum; ſive criminale judicium inſtitutum ſit ex ſimplici denunciatione, ſive ex accuſatione, ſive ex officio. Quod ſumma ratione ſtatutum eſt, nam ubi pœnâ legitima liberandus eſt reus, pecuniæ ſummam aliquam Curiæ ſolvendo, eſſet ſane iniquum, ſi id permitteretur abſque conſenſu ejus, cujus intereſt, vid. *prag.* 7. *de compoſitionibus*. Quibus autem competat hoc jus remittendi, & quæ requirantur ad ſolemnem remiſſionem peragendam, dicemus cum de judicio criminali tractandum erit. Additur præterea in ritu, compoſitionem fieri debere præſentibus Judicibus, Actorum Magiſtro, & Ærario ipſius Curiæ, qui in *prag.* 9. §. 4. *de offic. Magiſt. Juſtit.* deſignatur Perceptor proventuum, & Magiſter Cameræ. Imo cavetur, nec Regentem M. C., nec Judices, aut Præ-

 ſides

ſides Provinciarum, Auditoreſque poſſe pecuniam ex compoſitione provenientem apud ſe detinere, ſed Perceptori omnino tradendam eſſe, a quo liber confici debet, ibique annotari pecuniarum quantitates ex compoſitionibus *cit. pragm.* §. 7. vid. *pragm.* 6. §. 21. *de offic. Juſtit.* Requiritur præterea, dum ad compoſitiones admittuntur rei, interventus Advocati Fiſcalis, vid. *prag.* 2. §. 11. *de offic. Jud.* & *prag.* 10. §. 36. *eod. tit.* Pecunia, quæ ex compoſitione redigitur, pertinet ad Fiſcum Principis. Excipitur tantum caſus expreſſus in *prag.* 25. §. 38. *de offic. & his quæ eis &c.* In locis Baronalibus pertinet ad Barones; in locis demanialibus, in quibus adſunt Regii Gubernatores, uſus fert, ut cedat lucro ipſorum Gubernatorum: fortaſſis in locum ſalarii, quod nullum accipiunt a Principe, prout habent tum Judices Magnæ Curiæ, tum Auditores Provinciarum, tum qui in cæteris Tribunalibus ab eo ſtatuuntur. Ne autem ſub prætextu compoſitionis, rei eximantur a pœna, & ne fraus fiat legibus, cavetur in *prag.* 8. *de compoſit.*, ut ſi elapſi ſint dies quindecim poſtquam reus ad compoſitionem fuit admiſſus, & pecunia non ſit ſoluta, compoſitio habeatur pro infecta, unde pœna legitima erit ſubeunda.

IV. Compoſitio, dum eſt pœnæ commutatio, ut diximus, ſequitur, locum ei non eſſe, niſi ubi conſtiterit de delicto, & per conſequens ubi pœna legitima eſt imponenda. Quò ſane reſpexit ritus 276. M. C., dum ſtatuit, non admittendam compoſitionem; *niſi demum probato delicto per teſtes, vel per confeſſionem rei accuſati, vel denunciati, aut ex officio inquiſiti*. Verum cum ſoleant aliquando probationes criminum deficere, vel dubiæ eſſe, atque incertæ; ideo Pragmatici diſtinctionem fecere inter compoſitionem, & tranſactionem, videſis Caravit. in *com. ad tit. rit.*; nam compoſitio erit, ubi conſtitit jam de delicto, & tantum ſequi debet condemnatio: at ubi nondum omnes confecti ſunt actus judiciales, & plena probatio haberi non poteſt, tunc quaſi de re dubia, & lite incerta, tranſactio igitur inter Judicem, & inquiſitum. Hæc diſtinctio, etſi juris authoritate deſtituatur, & fortaſſis ratione, ſi ad exa-

ctiſ-

ſtiſſimum examen redigitur, improbanda non erit, quoties fraudes amoventur, & cavillationes; nam ſolent, præſertim inferiores Judices, & locorum ſingularium Gubernatores, ſtatim ab initio, vixdum incœpta informatione, etſi plenæ probationes non deficerent, ad tranſactiones reos admittere: alii è diverſo, ut compoſitionibus utantur, ſtudent adigere inquiſitum de crimine nondum probato, ut ſponte confiteatur, ſe revera reum eſſe, ſed Judicis benignitati fortunam ſuam committere, a quo demum fit compoſitio. Hanc peſſimam juris cavillandi methodum, quam in foro adpellant *cautelam*, primus adinvenit Paris de Puteo in *tract. ſyndicatus*, *verſ. compoſitio*, ne Judices in ſyndicatu tenerentur, compoſitiones admittendo, nondum probato delicto. Sed abuſum experientia ipſa monſtravit; unde ea de re ſic ſcribit Caravit. *loc. cit. Cautelam tamen ponit idem Paris ibid. ut Officialis ad evitandum iſta, faciat quod inquiſitus confiteatur ſe culpabilem, & petat ſe admitti ad tolerabilem compoſitionem. Quam cautelam ſæpe practicant Officiales Baronum excoriantes ſubditos, & cœlum, & terram; & faciunt quod ad hoc ut inquiſitus non valeat de compoſitione conqueri, confiteatur crimen, dicendo ſe culpabilem, ac remittat ſe gratiis Curiæ*. Ex hoc uno exemplo, (quanquam adduci poſſent innumera) luce ipſa clarius adparet; ſolidioris juriſprudentiæ ignorantiam peperiſſe quidquid mali, & incommodi in cauſis agendis, criminibus puniendis, & generaliter in univerſa judicandi facultate, quotidie experimur. Et, quod dolendum magis eſt, res eo paulatim pervenit, ut nec remedia, nec vitia pati poſſumus; Hinc quotidie novæ leges promulgantur. Sed pro iis eludendis non deſunt novæ fraudes. Et ne a propoſito recedamus, juvat hic aliud exemplum apponere ex ipſa, qua de agimus, tranſactionum, & compoſitionum materia.

V. Roberti Regis temporibus abutebantur, credo, Judices facultate componendi in delictis; unde Rex ille prudentiſſimus, & juſtitiæ cultor religioſiſſimus, cenſuit quamcumque occaſionem removendam abuſus, & propterea ſtatuit in *cap. ne quis* 251, neminem admitti debere ad compoſitio-

ſitionem , quoties *perſonaliter foret plectendus*. Sed quoniam generalis admodum, & per conſequens rigida nimis videbatur ea lex; ideo ad conſultationem Juſtitiariorum placuit in *cap. ſeq.* eam hac ratione moderari, ut admittatur compoſitio, quoties *perſona aliqua non malæ conditionis, & famæ quemquam offenderit, vel percuſſerit, nec lethale vulnus intulerit; & ex offenſione, vel percuſſione hujuſmodi offenſi, ſeu percuſſi, mors, aut membri mutilatio non ſequatur*. Sequitur deinde Rex: *In perſonis autem malæ conditionis, & famæ primam ordinationem noſtram præcipimus tenaciter obſervari*. Hoc eſt quod ſtatuerat in conſtitutione antecedenti. Sed quoniam diuturnitas temporis legum deſuetudines inducere ſolet, nominatim ubi de pecunia conquirenda agitur; propterea Rex Ferdinandus I. neceſſarium duxit, nova, & clariori lege facultatem componendi explicare. Extat conſtit. in *prag. 9. §. 1. de offic. Magiſtr. Juſtit.*, cujus verba, quoniam continent univerſum jus, quod hac de re etiam hodie obtinet, libenter huc tranſcripſi: *Statuimus, & mandamus, quod Regens, & Judices M. C. V., Gubernatores Provinciarum, Capitanei Civitatum, & Terrarum, & alii Officiales dicti Regni, cujuſcunque gradus, ſeu authoritatis fuerint, nec poſſint componere delicta, nec corporales pœnas in pecuniarias commutare, ubi veniret imponenda pœna mortis naturalis, vel mutilationis membri, abſque expreſſa conſultatione, voluntate, conſenſu, & ordine Regio, vel noſtro, ſub pœna privationis officii; & quod talis compoſitio, ſeu commutatio, contra hujuſmodi Regiæ pragmaticæ ſanctionis tenorem facta, nulla ſit, nulliuſque efficaciæ, vel valoris*. Hæc eadem poſterioribus legibus confirmata fuere, prout in *prag. 1. de compoſit.* & in *prag. 6. §. 20. de offic. Juſtit.* generaliter decernitur, pœnas corporales commutari non poſſe in pecuniarias. Hæ conſtitutiones, etſi generales fuerint, & per conſequens ad cujuſcunque generis Tribunalia, Magiſtratus, & Judices pertinentes; tamen Regentes qui olim erant Collateralis Conſilii, quique ſtatis diebus ſeſe conferebant ad Magnam Curiam pro viſitatione, de qua ſupra, prout no-

noſtris temporibus ſolent Regalis Cameræ Conſiliarii; exiſtimabant ſe iis non comprehendi, tanquam majori facultate præditos. Et propterea Philippus IV. Rex Hyſpaniarum, ne deinceps ea permitterentur, mandavit in *prag.* 14. §. 5. *de offic. Secretarii*; ſed ut Regentes in viſitatione, leges jam latas circa compoſitiones obſervarent. Et recte, nam viſitatio, ut alibi diximus, ad levamen eorum, qui diuturni carceris ſqualiore detinentur, & ad benignitatem quandam adhibendam introducta eſt, non ad vincula diſſolvenda earum legum, quæ publicam diſciplinam, & facinoroſorum animadverſiones reſpiciunt.

VI. Superioribus legibus jam latis, cœpit in foro excogitari fraus: nam cum diſtinctio jam obtinuiſſet inter compoſitionem, & tranſactionem, qui callidi erant legum interpretes Pragmatici, aſſerebant, illas accipiendas eſſe de compoſitione, non de tranſactione; adeout ubi delictum plene eſſet probatum, & ejuſmodi, unde pœna corporalis non proveniret, ajebant compoſitionem tantum admitti poſſe: contra, cum probatio nondum conſiſteret, licet delictum eſſet tale, ex quo reus mereretur corporalem pœnam, tranſactionem non prohiberi, cum pragmaticæ de ea non loquantur. Hanc utique interpretationem veri Juriſconſulti non admiſiſſent, utpote captioſam, & legum menti adverſantem: tamen Forenſes probarunt; unde maximum proveniebat incommodum ob criminum impunitatem; ſiquidem eveniebat quotidie, ut dedita opera probationes omitterentur, unde dici poſſet, non liquere de inquiſitione; eoque modo legitima cenſebatur tranſactio, etiam de crimine enormiſſimo. Quod cum experientia ipſa omnino non ferendum oſtendiſſet, neceſſarium omnino fuit novam legem rogare, ejus fraudis amovendæ gratia, quæ eſt *pragmatica* 3. *de compoſit.*; eàque cautum fuit, ut leges, quibus mandatur, compoſitiones admittendas non eſſe in delictis, in quibus pœna corporalis veniret imponenda, accipiendæ deinceps ſint etiam de tranſactionibus. Ex hoc exemplo maniſeſtiſſimum eſt, ut jam monuimus, immenſam molem novarum legum aliquando ex veterum ignoran-

Digitized by Google

rantia, utplurimum ex malitia, & pravo uſu provenire.

VII. Cum autem poſſit accidere, ut etiam in criminibus prohibitis, ex juſta & legitima cauſa admittenda ſit ſive compoſitio, ſive tranſactio; & e diverſo cum nequeant Judices adverſus leges quidquam decernere: ideo ſtatutum olim fuit a Carolo V. in *prag. 2. de compoſit.*, ut liceret Proregi, ejuſque Collaterali Conſilio, ſi ita viſum eſſet expedire, pœnam mortis naturalis, vel mutilationis membri commutare in pœnam triremium uſque ad finem vitæ delinquentis. Verum poſtea idem Carolus V. ad petitionem Civitatis, & Regni, ut legitur in *vol. 1. privileg. pag.* 207. eam conſtitutionem abrogavit, placuitque liberam facultatem Proregi concedere circa commutationes pœnarum; ita tamen, ut æquitatis, & benignitatis legitimæ regulæ obſervarentur, nihil permittendo adverſus publicam utilitatem; unde prudenter ſic ait Imperator: *Et in commutatione pœnarum procedat juxta qualitatem delictorum, & perſonarum, cum mens ſuæ Majeſtatis ſit, habita ratione ejus quod juſtitiæ publico Regni bono convenit, uti ſemper clementia cum probis ſubditis dicti Regni.* Noſtris temporibus hæc omnia ad Principis voluntatem pertinent, cui univerſa ſubditorum ſalus commiſſa eſt. Licet autem Magiſtratibus quibuſcumque, & inferioribus judicibus, ubi res ipſa, & facti circumſtantiæ expoſtulare videbuntur, conſulere Principem, ut in caſu prohibito permittatur compoſitio, ſive tranſactio; quæ tunc legitima erit, cum illius acceſſerit conſenſus, *dict. prag.* 1. *& prag.* 4. *eod.* Qua in re aſſentiri non poſſum iis, quæ proponit Franciſcus Maradeus in *ann. ad ſing.* 95. *ſup. cit. prag.* 4., nempe tum in Magna Curia, tum in Regiis Audientiis uſu obtinuiſſe, ut etiam in caſibus prohibitis aliquando admittantur tranſactiones, & deinde certior Princeps reddatur, pro ejus conſenſu, ſive licentia obtinenda: etenim primo talis uſus adverſatur manifeſtis verbis *cit. pragm.* 1. *&* 4., ubi expreſſe mandatur, non admittendam tranſactionem, niſi antea Princeps conſulatur, adhoc, ut ille *informatus de qualitate delicti, & perſonarum* (ſunt verba *cit. prag.* 1.) decer-

Digitized by Google

decernere poſſit, utrum permittenda ſit tranſactio, an ſecus. Unde dum contra fit, prius violatur lex, & poſtmodum petitur venia. Deinde, dum præpropere, & præmature Judices ad tranſactionem deveniunt, non levem ſuſpicionem præbent gratiæ, vel avaritiæ. Adhæc, quando ſuis decretis jam admiſerunt tranſactionem, modis omnibus curabunt, ut ea confirmetur; unde in relatione ad Principem ſtudebunt omnia congerere, quæ facere poterunt ad licentiam impetrandam; ſicque Advocati partes ſibi aſſument, quod adverſatur officio jus dicentis. Abuſus quoque eſt, & per conſequens non permittendus, dum ante partis remiſſionem admittitur tranſactio, nam nihil omnino facere poteſt Judex, niſi illa præcedat. Et quamvis in *rit.* 274. dicatur, Magnam Curiam componere, *ſalvo jure partis*; tamen, ut recte monet Caravita in *com.*, id corrigitur per ritum ſequentem, ubi decernitur, niſi obtenta prius remiſſione, compoſitionem non fieri. Excipitur tantum caſus, ubi vix ſperari poteſt adfuturum eum, cui competit remiſſio, tunc enim admittitur compoſitio cum cautione de ſtando juri, quandocumque pars ſupervenerit, ut tradit idem Caravita in *rit.* 272. *circ. fin.* Solent tantum Principes, quoties vel ob diem inſignem, vel publicam gratulationem, vel rem proſperè geſtam (vid. *l.* 8. 9. *&* 12. *D. ad Senatuſc. Turpil.*) publicam criminum abolitionem concedunt, ſive indulgentiam, *& pœnæ gratiam faciunt*, ut ait *l. ult. C. de generali abolit.*, permittere, ut intra certum tempus procurent ſibi rei partium remiſſiones. Verum hoc eminentis authoritatis eſt, non ordinariæ juriſdictionis.

VIII. Sed fingamus, Judicem jam ſententiam pronunciaſſe, reumque ad pœnam legitimam condemnaſſe, poteritne deinde eam commutare, ſive compoſitionem admittere? Negandum utique eſt, nam Judex poſtquam ſententiam tulit, officio functus eſt, ut ait eleganter Ulpianus in *l. Judex* 55. *D. de re judic.*; eaque communis noſtrorum ſententia eſt poſt *gloſ. in l. ordine* 15. *D. ad municip.*, vid. *l.* 4. *in fin. D. de pœnis*, Afflict. in conſtit. *uſurariorum num.* 7., Caravit. in *cit. rit.* 272. *num.* 10. Hinc rectiſſime proviſum

ſum eſt in *prag.* 9. *de compoſit.*, ne a Curiis inferioribus, nominatim Baronalibus, condemnati jam rei, admittantur per Magnam Curiam ad compoſitiones, inconſulto Principe; nam reformare tantum poteſt, aut reſcindere ſuperior Judex, quoties ad eum appellatum eſt, ſententiam inferioris, non autem pro arbitrio eam immutare, dum tranſiit jam in rem judicatam. Denique cum graviorum criminum compoſitiones prohibeantur, ut jam diximus, nominatim noſtris legibus excipitur receptatio proſcriptorum, ſive *bannitorum*. Abuſus quondam irrepſerat, ut pro tali crimine, etſi peculiare illud eſſet quorundam civium, Univerſitates in certa pecuniæ quantitate componerentur a Regiis Officialibus; quod tanquam iniquum merito prohibuit Rex Robertus in *cap. ad injuſta* 241. At ex *prag.* 4. *de compoſit.* quæcumque in eo crimine vetatur compoſitio. Quemadmodum in criminibus enormiſſimis, ut in baſphemia execranda, cujus ſpecies numerantur in *pragmaticis ſub tit. de baſphemantibus*; in ſodomia, vid. *prag.* 2. & 3. *de ſodomia*; in falſificatione monetæ, aut ejus extractione, ſive auri, argentive extra Regnum, *prag.* 17. *de monetis*. Denique quædam compoſitiones, etſi jure ordinario permiſſæ, tamen juſtis de cauſis prohibentur, veluti, ſi unus idemque reus bis ad compoſitionem fuit admiſſus, non admittetur tertio ſine Principis venia; cum videatur ille perditi conſilii eſſe, totidem delinquendo, & eodem tempore abuti indulgentia legum, vid. *not. ad pragm.* 2. *de compoſit.* Judex M. C., cui ſpecialiter ad facinoroſos inquirendos, & puniendos, Campana Provincia commiſſa eſt, vulgo *Commiſſarius Campaneæ*, licet poſſit ſuo jure in caſibus permiſſis, compoſitionibus, & tranſactionibus uti; tamen in *prag.* 1. §. 21. *de offic. Jud. general. &c.* præſcribitur, id eum facere non poſſe, niſi antea certior reddatur Conſiliarius, quem dicimus *Campaneæ Superintendentem*; ab eoque in ſcriptis habeatur mandatum.

IX. Quas hactenus expoſuimus circa jus compoſitionum leges, etſi generales ſint, & propterea omnium Judicum communes; tamen, ne nimis longa hujus capitis evadat ora-

oratio, in ſequenti videbimus, an iis comprehendantur etiam Barones, eorumque, quos dicunt, Officiales.

CAPUT XV.

Explicantur, & a vulgari errore vindicantur quædam Regis Roberti Conſtitutiones, quas Pragmatici quatuor Litteras Arbitrarias adpellant.

VULGATÆ admodum ſunt Doctorum regulæ, & axiomata, Judicem legibus, non arbitrio ſuo judicare debere, eum miniſtrum eſſe legum, non arbitrum; nec ſi quid videatur minus conſonum, immutare poſſe, *DD. in l.* 13. *C. de ſentent. & interl.*, *auth. jubemus C. de Judiciis*, *can.* 3. *diſt.* 4. *can.* 4. 3. *quæſt.* 7. Sed quam male hæc obſerventur, & quotidiano uſui aptentur, ignorant ii tantum, qui vel a foro, vel a libris Pragmaticorum Regni noſtri ſunt alieni. Et ne qua pravæ conſuetudini, & inſcitiæ ſuboriatur nota, ad ipſarum legum authoritatem recurritur. Regibus ipſis, inquiunt, neceſſarium aliquando viſum fuit, arbitrio Judicum permittere pœnas immutare; & inde apud nos Arbitrariæ Litteræ quatuor Regis Roberti ſunt celeberrimæ; & præſertim circumferuntur ubi de Baronum juriſdictione, & imperio ſermo eſt: quin & ipſæ Romanæ Leges nonne actiones quaſdam arbitrarias dixerunt, in quibus permittunt Judici liberum arbitrium judicandi? Sed antequam ad eas ſive Conſtitutiones, ſive Litteras explicandas accedamus, breviter videndum, quid hac de re ſtatuerint Romani juris Authores.

II. Quamvis melioris notæ Interpretes ſatis, ſuperque monſtraverint, quid ſtricti juris, quid bonæ fidei, quid denique arbitrariæ actiones ſignificent; tamen eorum induſtriæ aliquid addendum ſupereſt, ſaltem ut explicatius, quæ ipſi excogitarunt, proponantur. In quibuſdam negotiis placuit veteribus Prudentibus, non tam conſiderandum Judici eſſe quid expreſſiſſent, quam quid intellexiſſent contrahentes, & quid utrorumque pariter intereſſet; idque nos do-

Digitized by Google

cere voluit Cajus, dum in *fin. l. 2. de action., & obligat.* ſcribit: *Item in his contractibus* (loquitur de emtione, locatione, ſocietate, mandato) *alter alteri obligatur de eo, quod alterum alteri ex bono, & æquo præſtare oportet*. In iiſdem igitur negotiis, cum actiones proponebantur, Judex ex bono, & æquo, ſcilicet ut prudens, & diligens paterfamilias, rem totam examinabat, & quid contractui pro utilitate utriuſque conveniret, ſententia ſua exprimebat; ac proinde id genus actiones bonæ fidei dicebantur, quaſi quod agebatur non tam ex verbis, quam ex fide bona. Denotat enim in uſu latini ſermonis bona fides; cum id quod dictum, ac promiſſum eſt, bene, ac fideliter adimpletur ſine dolo, & verſutia. Non ſunt ab hoc ſenſu aliena Imp. Auguſti verba apud Suet. in ejus vita *c.42. Eidem populo promiſſum quidem congiarium repoſcenti, bonæ fidei ſe eſſe reſpondit*. At ubi diſſimilis erat contrahentium ratio, neque pariter utriuſque intererat, quia melior unius erat, quam alterius conditio, tunc diligenter inſpiciebatur, quid verbis expreſſum fuerat, ne ab iis magnopere diſcederetur; unde actiones, quæ oriebantur, ſtricti juris dictæ ſunt, hoc eſt ſtrictæ, ſive adſtrictæ poteſtatis Judicis ipſis verbis contrahentium; nec ſi quid omiſſum erat Judex ſupplebat; contrahentibus enim tribuebatur, quod non aliter conveniſſent. Sit exempli loco ſtipulatio: qui interrogat, obligat ſibi tantum promiſſorem in eo quod expreſſit, & ſibi debet imputare, quod voluntatem ſuam ulterius non manifeſtavit; idque fruſtra petet a Judice: hùc faciunt verba *l. 7. D. de negot. geſt.*: *In bonæ fidei judiciis officium Judicis tantundem valet, quantum in ſtipulatione nominatim ejus rei facta interrogatio*. Ex his apparet, eruditiſſimos viros *Polletum in hiſt. for. Rom.*, *Sigonium de Judic. Roman.*, eoſque noviſſime ſequutum *Heineccium antiq. Roman. lib. 4. tit. 6.* effectum proponere pro cauſa, dum actiones ſcribunt eas fuiſſe bonæ fidei, in quibus a Prætore addebatur in formula ex *fide bona*; etenim hæc verba non pro voluntate exprimebantur, ſed quia ſic æquum videbatur in eo negotio, prout jam explicavimus. Judicia bonæ fidei adpellabantur etiam

etiam aliquando *Arbitria*, & Judices *Arbitri*, non quia pro libitu judicarent, ſed quia arbitrabantur quid æquum bonum expoſtularet intelligi, & ſubaudiri in tali negotio, nec eorum judicium formulâ a Prætore perſcripta concludebatur, ut in actione ſtricti juris. Quod ſane exprimere voluit Seneca de *clement. c. 2.*, *Clementia liberum arbitrium habet, nec ſub formula, ſed ex æquo, & bono judicat*. Ferenda autem hic non eſt quorundam oſcitantia, qui hos Arbitros confundunt cum iis, qui ab ipſis litigantibus eliguntur, quique Compromiſſarii appellantur. Quem errorem evitat Acurſ. qui ad illa verba Papin. in *l. Lucius 24. D. depoſiti : eſt quidem conſtitutum in bonæ fidei judiciis, ut tantundem poſſit officium Arbitri, quantum ſtipulatio*, notat, *Arbitri, ideſt Judicis*.

III. Verum hæc facultas, ſive arbitrium conceſſum Judici, non pertinebat ad jus, ſed potius ad factum, hoceſt non judicabat arbitratu ſuo, nec contra verba, aut mentem legis quidquam ſtatuebat, ſed tantum exprimebat ſententiam, quod non expreſſerant contrahentes, & id quod eorum intererat, licèt incertum, ſententia faciebat certum. *In contractu locationis* ait *l. Præſes 17.C. de locato, & cond.*, *Præſidem provinciæ non ignorare, cum ſit bonæ fidei, uſuras poſt moram deberi*. Quæ verba indicant, omnino Præſidem debere in uſuras condemnare reum, licèt non ſit expreſſum in contractu, cum judicium bonæ fidei id exigat, ut ſuo tempore præſtetur quod convenit, aliter lex jubet, mora facta, uſuras ſolui. Non poterit igitur Judex alia ratione ſententiam proferre : in facto autem verſabitur ejus officium, & tanquam vir bonus ſtatuet quod veritas exigit ; inquiret ſcilicet ille, an revera ſit commiſſa mora, quænam ſit uſurarum quantitas, ſive ex uſu ipſorum contrahentium, ſive regionis. Appoſite ad rem Rævardus in *l. 22. §. generaliter D. de reg. jur.* cum dicimus, Judicem tanquam bonum virum judicare debere in Judiciis bonæ fidei, non eodem ſenſu accipiendum ac vir bonus nominatur a Philoſophis : hi enim intelligunt virum extra omnem labis, & malitiæ ſuſpicionem poſitum, qui prodeſt quibus poteſt,

no-

nocet nemini, *qualem*, ut ait Auſonius, *vix repperis ullum, millibus è cunctis*: at Juriſconſultis vir bonus eſt, qui cenſetur peritus ejus rei, cujus arbitrium ſuſcepit, ſive facti, & negotii, quo de agitur; demum conſuetudinis, uſus recepti, morum Civitatis &c. Hoc luculenter oſtendit *l. continuus* 137. §.2. *D. de verb. oblig.* cujus verba, cum maxime ad rem faciant, hic adſcribere non piget: *Cum ita ſtipulatus ſim, Epheſi dari? ineſt tempus: quod autem accipi debeat quæritur. Et magis eſt, ut totam rem ad Judicem, ideſt virum bonum remittamus; qui æſtimet quanto tempore diligens paterfamilias conficere poſſit quod facturum ſe promiſit, ut qui Epheſi daturum ſe ſpoponderit, neque diplomate* (ideſt accelerata itineris confectione, quod eveniebat diplomate, ſive teſſera accepta a Principe, qua agnita, Præfecti adcommodabant equos publicos ad curſum, quod & hodie apud nos in uſu eſt, vide Budæ: in *an. poſt. ad Pand.*) *diebus, ac noctibus, & omni tempeſtate contemta iter continuare cogatur; neque tam delicate progredi debet, ut reprehenſione dignus adpareat; ſed habita ratione temporis, ætatis, ſexus, valetudinis &c.* Non diſſimile eſt monitum in *l.*20.§.1.*D.de oper.liber.* vid.*l.*12.& 17. *D.jud.ſolv.l.*21. §.4.*D.de oper.no.nunt.* Hoc genus loquendi *arbitrio boni viri, boni viri arbitratu* non tantum apud noſtros, ſed & apud alios latinos ſcriptores invenitur, ad ſignificandum hominem in re aliqua peritum, & idoneum, Cato *de re ruſt. c.* 148. loquens de vino repoſito in doleis: *Quod neque aceat, neque muteat, id dabitur in triduo proximo, boni viri arbitratu deguſtato*. Quamvis autem arbitrium Judicis ſit in facto, ut diximus, tamen adhuc leges ſervandæ ſunt; & propterea ſi morem regionis inquirens in ſtatuendo modo uſurarum, eas inveniet ultra legitimam quantitatem, adhuc pronunciabit ſecundum leges, ſcilicet damnabit reum in legitimas uſuras. Hoc ſane docere nos volunt Papiniani verba in *l.*1.*D. de uſur.*: *Cum judicio bonæ fidei diſceptatur, arbitrio Judicis uſurarum modus ex more regionis, ubi contractum eſt, conſtituitur; ita tamen, ut legi non offendat*.

IV. Hæc eadem dicemus in actionibus, quæ in jure Ro-

Romano adpellantur arbitrariæ ; nam licet inter eas , & bonæ fidei diſcrimina quædam aſſignentur , ut videre eſt apud Hotomanum §. *præterea inſtit. de act.*, tamen in hoc conveniunt , quod aliquando ipſius facti incerta ratio exigit, ut boni viri arbitrio juſtum explicetur, cum aliâs quæcumque legis proviſio foret inutilis. Demus exemplum in obligatione de eo , quod certo loco præſtari oportet , ex qua ſatis conſtat, arbitrariam actionem naſci *l.* 2. §. 1. *& l.* 5. *D. de eo quod cert. loc.*: Fingamus, debitorem in loco ſtatuto nec inveniri , nec bona habere , numquid obligatio erit inutilis? nequaquam, nemini enim malitia ſua lucroſa eſſe debet *l.* 1. *D. de dol. mal.*; & propterea actionem in hac ſpecie accommodarunt leges , utilem quidem, quia ex verbis ſtipulationis, vel teſtamenti non deſcendit, ſed ex æquitate; quod ſic exprimit, *l.* 1. *D. cit. tit. de eo quod cert. loc.*: *Alio loco, quam in quem dari quiſque ſtipulatus eſſet, non videbatur agendi facultas competere: ſed quia iniquum erat ſi promiſſor ad eum locum, in quem daturum ſe promiſiſſet, nunquam accederet (quod vel data opera faceret, vel aliis locis neceſſario diſtringeretur) non poſſe ſtipulatorem ad ſaum pervenire ; ideo viſum eſt , utilem actionem in eam rem comparare*. Sapienter autem Conſulti utilem eam actionem voluerunt eſſe arbitrariam, non quia eos pigebat juſtum definire , unde poſſet Judex ſententiam proferre, ſed quia ipſius negotii incerta ratio omnino exigebat, ut varie æſtimaret Judex ex qualitate loci , ubi erat res præſtanda, & ubi facienda petitio, & condemnatio. Inſuper pecuniæ varia eſt ex diverſis locis æſtimatio , quemadmodum , & id quod intereſt contrahentium ; quæ omnia neceſſario requirunt arbitrium boni viri , hoc eſt probi , & periti: *ideo*, ait *l.* 3. *D. eod. tit. in arbitrium Judicis refertur hæc actio, quia ſcimus quam varia ſint pretia rerum per ſingulas civitates, regioneſque, maxime vini, olei, frumenti, pecuniarum quoque, licet videatur una, & eadem poteſtas ubique eſſe, tamen aliis locis facilius, & levibus uſuris inveniuntur, aliis difficilius, & gravibus uſuris.*

V. Sunt & aliæ actiones arbitrariæ , quæ numerantur

in

in *d.* §. *præterea*. Verum, licet nomen habeant diverſa ſignificatione, quia ſcilicet in iis, antequam procedatur ad ſententiam diffinitivam, Judex tanquam Arbiter honorarius interloquitur, jubens, reum aliquid facere convenienter naturæ actionis inſtitutæ; tamen id circa factum quoque verſatur. Utuntur enim Leges miniſterio Judicis ex quadam clementia, & benignitate, ut ait Hotomanus, ante prolationem ſententiæ. Hinc rectiſſime Antonius Faber *de er.prag. decad.* 18. *er.* 4. inter errores Pragmaticorum numerat quod ipſi ajunt, in arbitrariis actionibus duplicem ſententiam, duplicem condemnationem fieri; abſurdum enim eſt, poſt litem finitam per ſententiam, eundem Judicem adhuc explicare authoritatem ſuam in eadem cauſa, contra *l. Judex* 55. *D. de re jud. Arbitrium autem Judicis*, ſequitur Faber, *non ſic accipiendum eſt, quaſi poſſit pro arbitrio hoc, aut illud jubere, ſed cogitur arbitrari, rem reſtitui debere, quoniam & alius vir bonus quilibet ſic arbitraretur. Denique nullum in his actionibus arbitrium Judicis verſatur quoad infligendam condemnationem, ſed tantum ad litem in eum ſtatum deducendam, ut ſi non parebitur, ſequi poſſit condemnatio*. Quod autem idem author acutiſſimus, nimium indulgens ingenio, adſtruere conatur in *c. ſeq. ex l.* 63. *D. de rei vind.*, ſublatas eſſe actiones arbitrarias, inter ipſius errores referri poteſt; videſis *Hilliger. Donel. enucl. lib.* 20. *c.* 6. *lit. G.* Rectius dixiſſet, ſublatas eſſe ſpeciales ex jure Romano actiones arbitrarias, quia ex imperitia, & dolo prava conſuetudo inducta eſt, omnes actiones fieri arbitrarias, non ut factum reduceretur ad arbitrium boni viri, ſed ut omnia pro voluntate ſtatuerentur, unde leges inertes factæ ſunt, & otioſæ. Sed è diverticulo in viam.

VI. Si in cauſis pecuniariis arbitrium Judicis circa factum tantum verſatur, ex iis, quæ diximus, multo magis eadem obtinent, ubi de admiſſo crimine eſt ſtatuendum; nam ſi abſurdum videtur, hominum arbitrio permitti, juſtum pronunciari de rebus noſtris, quanto erit abſurdius cum de libertate, de fama, de vita ipſa in diſceptationem adducimur?

Cenſet

Cenſet quidem *loc. cit.* Hotomanus, actiones quaſdam, licet dicantur ex bono & æquo, unde Judicis arbitrio locus eſſe poſſit, tamen, ubi pœnæ perſequutionem continent, talem poteſtatem Judici non facere; & profert exemplum actionis de ſepulcro violato, quæ dicitur concepta in bonum, & æquum a Papin. in *l. penult. D. de ſepul. viol.*, & addit: *Quoniam J. C. ſola vindicta eam conſtitutam dixit, propterea cogendum eſſe Judicem, & actoris dolori, & publicæ diſciplinæ ſatisfacere, cum propter exemplum publice interſit, peccata non eſſe impunita.* Hùc pertinet generalis definitio *l.* 1. §. 4. *D. ad S.C. Turpil.*: *Facti quidem quæſtio in arbitrio eſt Judicantis; pœnæ vero perſequutio non ejus voluntati mandatur, ſed legis authoritati reſervatur.*

VII. Ex iis, quæ hactenus propoſuimus ſatis patet, quam male in jure Romano, & in regulis juſtæ interpretationis verſati ſint, qui in jure reddendo, & præſertim in pœnis delictorum ſtatuendis, ad arbitrium Judicantis recurrunt. Quod idem eſt ac excuſſo ſacratiſſimarum Legum vinculo, privatorum voluntati jus, bonumque remittere; idque, & publicam authoritatem, & Principis imperium convellit; nam invalidum fit legum auxilium, ubi arbitria dominantur; & iners redditur, atque otioſa ſuprema poteſtas, quæ per leges exeritur, ubi ſubjectorum voluntati vis illarum committitur. Adhæc ignoratio, & contemtus legum ſtatim obrepit, nam utilius cenſetur, rationem quærere mentis Judicantium ad ſui commodum componendæ, quam legis explicandæ, aut Legislatoris voluntatis inquirendæ. Quod utinam experientia non confirmaret: quotus enim quiſque eſt qui cum animo ſuo non reputet, inutilia ferme reddi quæcumque legibus comprehenduntur, modo alieni favoris, & gratiæ captandæ ars ignoretur?

VIII. Sed jam e forenſi turba videtur aliquis mihi aurem vellere, & admonere his verbis: In Academiis hæc diſputanda relinquantur, nam ubi in forum pervenitur, ſtatim apparet quam diſſent veterum regulæ a methodo judicandi, & cauſas agendi: in criminibus præſertim punien-

dis nunquam invenietur opportuna methodus judicandi, quoties anguſtis legum finibus includemur. Quod ſane proſpiciens Rex Robertus, ſapientia, & regnandi arte præclarus, non ſine Virorum prudentum conſilio quatuor ſanctionibus voluit, liberam facultatem, & arbitrium pœnas commutandi Judicantibus concedere, unde, prout iis videretur melius, ſontes plecterentur; & propterea ſanctiones illæ *Arbitrales Litteræ* a noſtris appellantur, & in re criminali non levis momenti ad compoſitionem delictorum cenſentur.

IX. Verum ut appareat quam hæc ſint futilia, & quam male noſtri Doctores verſantur, ne dicam in interpretatione juris Romani, ſed & in ipſis Legibus Regni explicandis, & ad uſum aptandis, age videamus ſenſum quatuor harum Conſtitutionum. Prima quæ vulgo proponitur Arbitralis Littera initium habet *Ne tuorum*; in qua nihil prorſus video quod ad Judicis arbitrium pertineat; imo libera nimis facultas in cujuſcumque generis delictis cognoſcendis reſtringitur. Invaluerat ea ætate abuſus; ut accuſatore licet non exiſtente, in quibuſcumque vel levioribus delictis, Judices ex officio procederent; quod ſane ea verba conſtit. oſtendunt: *Ne tuorum, in ipſo quo fungeris Præſidatus officio, Prædeceſſorum reproba ſequendo veſtigia, proceſſus tuos ſuper exceſſibus, abſque differentia protrahas ad officii poteſtatem &c.* Ut igitur hac in re certa regula uterentur Judices, voluit Rex, ut in iis tantum criminibus ex officio procedi poſſit, probationibus rite factis, ubi pœna imponitur mortis civilis, vel naturalis, vel membri abſciſſio; aut ubi flagitium eſt contra perſonam Eccleſiaſticam, aut pupillum, aut viduam; nam licet hoc caſu crimen ſit leve, veluti injuria, quæ in cæteris perſonis non vindicatur, niſi accuſatione propoſita, in illis tamen, utpote ſpeciale Principis præſidium requirentibus, ſemper cenſeatur flagitium grave, adeoque ad officium judicis cognitio pertineat. Quod autem in fine conſtitutionis cavetur de homicidiis clandeſtinis, ut in iis quoque ex officio procedi poſſit, juſtam dubitationem habet; nam quid opus erat tale crimen exprimere, cum in eo ſuperiores pœnæ locum obtineant,

neant, unde generali definitione comprehendebantur? Fruſtra hac de re vulgares commentarios conſulere ſtudebis, nam Doctoribus noſtris accommodari poſſunt, quæ olim de Bartolinis dicebat Cujac. in *l.17.D. de injuſt.rupt.*: *Cum vim, & poteſtatem hujus legis non bene percipiunt Interpretes, inani ſermone, imprudentia utuntur, ſunt verboſi, & prolixi more ſuo, ut ſolent in re facili eſſe multi, in difficili muti, in anguſta diffuſi*. Utamur igitur in re obſcura conjecturis: In Judiciis fortaſſe Roberti ætate pro regula habebatur, *inquiſitionem fieri debere ſolummodò ſuper illis, de quibus clamores aliqui præceſſerunt*, ut ſunt verba *Innoc. III. in c. inquiſitionis* 21. *de accuſat.*, ubi Pontifex ea regula utitur. Quapropter cum Regi videretur abſurdum, Judices ad inquiſitionem non devenire ex homicidio commiſſo, *ubi nullus appareret accuſator* (his verbis idem Rex interpretatur homicidium clandeſtinum) vel nulla eſſet contra aliquem vulgata fama; ideo voluit, ad Judicantium curam pertinere, pro tanto ſcelere vindicando, omnes inquirendæ veritatis vias percurrere, omnes aditus inveſtigare, ne reus celaretur, etiamſi contra aliquem ſpecialis facienda eſſet inquiſitio. Et quidem jure Romano nemo poterat fieri reus ſine accuſatore. Hinc verba Imp. Marci ex Gallicano *apud Cujac.* 1. *obſer.* 33. *Non poſſumus reum facere quem nullus accuſat*, vid. *l.* 6. §. *ſi quis D. de muner. & honor.* niſi ubi agebatur de publicis latronibus, contra quos fiebant inquiſitiones per Irenarchas, ad quos ſpectabat eos apprehendere, & ad Magiſtratus mittere *l.* 6. §. 1. *D. de cuſt. reor.* Fiebant quoque inquiſitiones ab ipſis Præſidibus Provinciarum contra ſacrilegos, latrones, plagiarios, fures *l.* 13. *D. de off. Præſ.* Cæterum in aliis criminibus, niſi ex accuſatione, judicium non ſolebat inſtitui; nec propterea delinquentes celabantur, nam præter eos, quorum intererat, publici accuſatores ubique præſto erant, unde animadvertebatur in facinoroſos. At Roberti ætate cum publici accuſatores deſiiſſent, imo nec admittebantur ex conſuetudine recepta, quæ deinde a Compoſitoribus firmata fuit in *rit.* 191. *M. C.*, & aliquando nulli eſſent privati

 accu-

Digitized by Google

accuſatores, propterea ne clandeſtina homicidia impunita forent, cenſuit Rex inquirendi curam Judicibus mandare.

X. Igitur pro comperto habendum, ex ſuperiori conſtitutione nullum permitti arbitrium in judicando. Et communi ſenſu carere videtur, qui affirmare voluerit, arbitrariam eam conſtitutionem dici poſſe, quia datur facultas procedendi ex officio in quibuſdam cauſis; ſiquidem hoc non eſt arbitrium, ſed mandatum Principis, ſed juſſum, prout omnes ſanctiones ſunt, contra quas committunt qui ſecus agunt. Inſunt quidem Principum legibus, ſi non expreſſe, ſaltem tacite verba Imp. Ant. in *l. 2. D. de his, qui ſunt ſui &c. Qui ſi meæ conſtitutioni fraudem fecerit, ſciat me admiſſum ſeverius exequuturum*. Arbitrium utique dici poſſet, ſi permiſſum fuiſſet Judicantibus inquirere in ſuperioribus criminibus tunc ſolum, cum eis videretur; quod ſane a regulis ferendarum legum alienum eſt, nec cadere potuiſſet in mentem ſapientiſſimi Regis. Quin ſi vera eſſet ſuperior ratio, non video, cur potius hæc conſtitutio dicenda ſit Littera Arbitralis, quam *cap. ut delatas*, & *cap. ſi temporum*, ejuſdem Principis, ubi idem ſtatuitur circa cauſas, in quibus inquiſitio pertinet ad officium Judicis.

XI. Secunda, quæ inter Litteras Arbitrales numeratur conſtitutio ejuſdem Regis, initium habet *Juris cenſura*, eaque pertinet ad facinoroſos coercendos, conſuetis Judiciorum ſolemnibus omiſſis. Et ſane cum ea tempeſtate Neapoli præſertim, & Puteolis, latrones, & graſſatores viarum, incendiarii, & violenti raptores publicam quietem horrendum in modum perturbarent, voluit prudentiſſimus Princeps tantis ſceleribus occurrere; & propterea cavit, ut procederent Judices contra eos ordine juris prætermiſſo, tum ut rei ſentirent ſtatim reatus pœnam, tum ut cæteri ad eadem facinora proni, magis, magiſque terrerentur. Huc aptari poteſt elegans Imperatoris Marci ſententia ex *l. 7. D. de in integr. reſt.*: *Etſi nihil facile mutandum eſt ex ſolemnibus; tamen ubi evidens æquitas expoſcit, ſubveniendum eſt*. Æquitatem hic intelligere debemus, non ut vulgus Interpretum, benignitatem, & rigoris remiſſionem, ſed

po-

potius ſeveritatem, quæ reſpicit bonum publicum, & publicam utilitatem, hæc enim fons dici poteſt univerſi juris, & æquitatis. Ad rem doctiſs. Grotius in *lib. de æquitate* animadvertit, ad æquitatem ſpectare, quoties Legum ſupplicia augentur ob circumſtantias delictorum gravantes, aut ubi, delictis graſſantibus, ſeveriori exemplo opus eſt. Quæ ratio multo magis impellere potuit Regem Robertum ad ſolemnitates abolendas, quæ non pertinent ad neceſſariam cognitionem facti. Sed quid hoc ad arbitrium judicis? Non utique ſtatuitur, ut in ſuperioribus criminibus vindicandis, qui jus reddunt modo utantur ſolemnitatibus, modo eas prætermittant, ſed omnino id obſervare tenentur, ne fraudem faciant Principis voluntati. At, quod certe dolendum eſt, eædem ſolemnitates, eædem ſtrophæ forenſes, vel in criminibus atrociſſimis nunc uſurpantur, quæ non ſemel pœnas legitimas effugiunt ob ſolemnitatem prætermiſſam, utplurimum nullius ſignificationis, & quæ ad ſcribarum conſuetudinem tantum pertinent. Nec dixeris recte, Judices hæc ſcrupuloſe obſervare, ut cautius procedant; nam id admiſerim libenter, ſi de veritate facti ambigeretur; at ubi illud conſtat, non debent Judices cautiores eſſe ipſis legibus, ut ait *novel.* 82. Denique non extra rem hic dici poterit, Litteras arbitrales, quæ ubique nominantur a noſtris, etſi ad formulas, & ſolemnitates tollendas pertineant, officium ſuum cum jam perdiderint, in formulam tranſiiſſe; nullibi enim Pragmatici agunt de Baronum juriſdictione, & imperio, ſi eodem tempore quatuor Litterarum arbitrariarum mentionem non faciant.

XII. Ex eadem ratione ſtatuta fuit tertia Littera arbitralis *proviſa juris ſanctio*, ubi verba illa, quæ leguntur circa finem *arbitrio tuo*, traſverſos agunt Doctores; aſſerunt enim ibi expreſſe *arbitrii* mentionem fieri; unde dubitandum non ſit, legibus noſtris pœnas criminum aliquando permitti Judicum arbitrio, & voluntati. Sed diverſa omnino eſt legis ſententia; imo contra, arbitrium ibi conceditur tantum ad ſeveritatem inducendam in quorundam criminum cognitione, prætermiſſa quæ in anterioribus legi-

gibus inducebatur benignitatis obſervantia. Tulerat quidem Carolus Secundus Andegavenſis Pater Roberti de quæſtionibus habendis quaſdam leges; ut *cap. tormenta*, & *cap. tormentis*, ex quibus efficiebatur, ut ad tormenta inferenda, inſpicienda eſſet & fama præcedens, & legitima indicia, & reus in flagranti crimine deprehenſus, & qualitas perſonæ, & tormentorum; denique ut crimen eſſet enormiſſimum, veluti læſæ Majeſtatis, latrocinii &c. Unde non ſemel eveniebat, ut rei tormentis ſubducerentur, & per conſequens pœnæ, cum facillime aliquid deficeret ex iis, quæ in citatis legibus exprimuntur. Tulerat inſuper idem Princeps & aliam legem *cap. quod Juſtitiarii*, ut qui pecuniaria pœna tenerentur ob contumaciam, non poſſent in publica vincula duci, dummodo idoneam præſtitiſſent cautionem de pœna ſolvenda. Verum Judicantium nonnulli ea lege abutentes, reos graviſſimorum criminum poſt contumaciam fidejuſſoribus tradebant, quæſito colore, quod eſſent debitores Curiæ in pecuniariam pœnam, nulla de crimine ratione habita. Ad hæc ſane ex anterioribus legibus, incommoda repellenda, voluit Robertus, ut quoties ageretur de publicis, & inſignibus latronibus, vel aliis reis majorum ſcelerum labe reſperſis, quæ ſtatuerat Carolus Secundus, circa modum præcipue quæſtionis habendæ, non obſervarent Judices, nec circa fidejuſſionem recipiendam; ſed ut eis æquius, meliuſque videretur, ad criminum cognitionem pervenirent. Nullum igitur hic arbitrium datur judici ad pœnas temperandas, imo potius ad ſeveritatem adhibendam ille adigitur. Hanc Regis mentem eſſe, tum principium conſtitutionis declarat, ubi laudatur, & confirmatur jus Romanum, ex quo nec ſolemnioribus diebus graviorum criminum rei eximuntur tormentis, vid. *l.* 3. *C. de Epiſc. aud.*; tum concluſio, quæ ſic habet: *Dignum etenim cenſetur, & congruum, ut delinquentibus gravius, frequentiuſque peccantibus ineſſet punitionis edictum; & qui leges, earumque ſententiam ex quadam aſſiduitate dilacerant, ipſarum legum eos communia præſidia non defendant.*

XIII. Sed age veniamus ad poſtremam ex Litteris arbi-

bitralibus *exercere volentes*, ex qua magno conſenſu aſſerunt Pragmatici, liberum arbitrium concedi Judicantibus circa pœnas infligendas; unde juris facultatem onerarunt tot, tantiſque quæſtionibus de pœnarum commutatione, de compoſitionibus, & tranſactionibus delictorum. Hinc ampliſſima colligitur meſſis tum ad gratiam, tum ad rigorem, tum ad avaritiam; & ex uno, eodemque delicto impune hic cernitur per vias, & compita ludibundus, & glorioſus incedere; ille contra ſquallore, & macie obſitus vel carcere, vel compedibus detineri: quò nihil excogitari poteſt abſurdius in civili ſocietate. Eat nunc, & ſapienter de juris ſcientia diſſerat Cicero *lib.* 1. *de Orat.* illis verbis: *Sit ergo in jure civili finis hic, legitimæ, atque uſitatæ in rebus, cauſiſque civium æqualitatis conſervatio*; nam ubi in forum pervenerit, & in Pragmaticos inciderit, ſibilo explodetur. Abſit autem ut ſapientiſſimo Regi hæc nota inuratur; quin egenorum favore ea videtur rogata ſanctio; ſic enim præfatur: *Exercere volentes benigne, cum poſſumus, in juris rigore clementiam, nec minus compati conditionibus egenorum &c.* Erant temporibus Roberti ſive legibus, ſive conſuetudine, in quibuſdam non magni momenti delictis certæ pœnæ pecuniariæ ſtatutæ, quas Juſtitiarii, non ſemel nimio rigore utentes, ſtudebant exigere integras, etiam ubi dolo peccatum non erat, ſed aut culpa, aut ignorantia; ideo cum in animum induxiſſet Rex benignitatem exercere, juſſit, ut qui præeſſent juriſdictioni poſſent, adhibito Judicis, ſive Aſſeſſoris conſilio, vel Actorum Notario, ne qua fraus interveniret, quoties paupertas, vel alia juſta cauſa exiſteret, ſtatutas pœnas minuere, ſive in certa pecunia multare reos, non exacte ad formam juris, ſed prout æquius, & melius ipſis videretur. Hinc apparet quam ſuaves ſunt in ea conſtitutione explicanda tum veteres, tum recentiores Pragmatici, qui indubitanter aſſerunt, facultatem ex ea Judicantibus concedi cujuſcumque generis pœnas, etiam capitales, in pecuniarias commutandi. Quod ſi verum eſt, quid ſibi volunt quæſo ea verba conſtitutionis? *ubi paupertas ſeu impotentia, vel alia rationabilis cauſa*

ſua-

Digitized by Google

ſuaſerit. Fruſtra ſane allegatur paupertas ubi corporalis eſt pœna infligenda. Palam igitur eſt, Regem voluiſſe, minui pœnas pecuniarias lege præfinitas, ubi paupertas, ſive impotentia fuerit in cauſa. Nec dicat aliquis illa verba *vel alia rationabilis cauſa ſuaſerit*, generalia eſſe, unde argui poſſit, de quibuſcumque pœnis Principem ſenſiſſe: nam primo ex vulgata regula, ambigua verba, vel generalia aptanda ſunt rei, de qua agitur ex *l.67.de reg.jur.* mox autem liquidò monſtrabimus, ſpecies expreſſas in conſtitutione eſſe de delictis, in quibus pecuniaria pœna erat ſtatuta. Secundo, ſi concedamus, corporales pœnas iis verbis deſignari, ſequitur, inutilem fuiſſe, & ſupervacuam proviſionem Roberti; nam quis unquam dubitavit, corporalem pœnam in aliam commutari poſſe, ubi rationabilis cauſa exiſtit, veluti ſenectus, valetudo? Id ſane, præterquamquod Romano jure aliquo modo eſt proviſum ex *l.3.§.ignoſcitur D.ad Syllan.*, & communi DD. calculo confirmatur apud Carpzovium *part.* 3. *prax. crim. qu.*144., rationem quoque habet; etenim contra legis mentem eſſet, ejus generis pœna reum affici, ex qua deducetur in periculum vitæ, quam lex voluit conſervari, mitiorem pœnam ſtatuendo: & prorſus communi ſenſu carere videretur qui affirmare tentaverit, pœnarum commutationem in pecuniam, permiſſam quoque eſſe a Roberto, ubi crimen meretur pœnam mortis, ut ex ſubjectis apparebit. Ea igitur verba *vel alia rationabilis cauſa*, pertinent ad delicta in conſtitutione expreſſa, quæ fuerunt oſcitantia, imperitia, ruſticitate, credulitate admiſſa; nam etſi ex his cauſis legitimæ pœnæ minuantur recte ex *l.3.§.9. & l.4. §. ult. D. de re milit.*, videſis Ant. Matth. *de crim. tit. de pœnis c.5.*, tamen cum agitur de exactione pœnæ pecuniariæ, non ſolent Judices hac in re multum eſſe ſolliciti, præſertim ubi agitur de proprio lucro, vel ut videantur nimium ſtudere commodis Fiſci, quod experientia nos docet. Propterea voluit Rex, ut ſi tales *rationabiles* cauſæ exiſtent, fiat exactio pecuniæ, moderatione quadam, & benignitate adhibita. In eo etiam adparet Principis clementia, quod cum jure communi reus pœ-

pœnæ pecuniariæ, ſi inopia laborare dignoſcatur, coerceatur in corpus *l. ult. D. de in jus voc.*, et *l.* 1. §. *ult. D. de pœnis*; unde eveniebat, ut qui non haberet integram ſummam, adhuc ſubeſſet corporali pœnæ: ideo voluit, ut exactio fieret arbitrio Judicantis, prout rei conditio expoſtularet. Et in ſumma pœnas pecuniarias ad mulctas placuit redigere: in quo juſtum arbitrium permiſit Judicantibus. Sciunt Romani juris periti differentiam inter mulctam, & pœnam, quod & alibi adnotavimus ex *l. aliud* 131. §. *inter D. de V. S.*: mulcta ex arbitrio ejus venit, qui eam dicit e. g. jubet Magiſtratus aliquid fieri, vel non fieri ſub pœna pecuniaria, (bannum ſequiori ætate apud barbaros Scriptores appellatum eſt, unde bannum mittere, bannum ſolvere, vid. exempla apud Cangium in *gloſ. v. bannum*) & quemadmodum conſtituitur arbitrio, ita & arbitrio poteſt minus exigi. At pœna non irrogatur, niſi quæ ſpecialiter huic, vel illi delicto lege eſt impoſita; & propterea cum lege eſt conſtituta certa pœna pecuniaria, extra judicis arbitrium eſt, eam vel minuere, vel augere. Hinc rectiſſime Paulus in *l. ſi qua pœna* 244. *eod. tit.* ait: *De pœna provocationem non eſſe, de mulcta ſecus*: quia, inquit eleganter Cujac. in *d. l.* 131. *poteſt queri damnatus, Judicem graviorem æquo mulctam dixiſſe, non poteſt queri de legis iniquitate; pœna eſt legitima, & certa, mulcta non item, quæ eſt arbitraria.*

XIII. Videamus tandem, an verum ſit quod ſupra propoſuimus, delicta in conſtitutione Roberti expreſſa pertinere ad pœnam tantum pecuniariam. Primo loco ponitur pœna *portationis armorum*, quæ proculdubio pecuniaria tunc erat ex conſtit. Friderici II. *intentionis noſtræ*, ubi, certis perſonis exceptis, ſic ſtatuitur: *Comes prohibita arma deferens ſolvat quinque uncias auri, Baro quatuor, ſimplex Miles tres, Burgenſis duas, Ruſticus unam.* Additur poſtremo: *qui propter inopiam ſtatutam pœnam ſolvere nequeunt, publicis operibus deputentur ad tempus.* In hac igitur pœna benignitatem voluit exercere Robertus, ut inopes minorem ſolverent pœnam, prout æquius Judicanti viſum eſſet, nec corporali pœna ſubiicerentur, quod modo notavimus. Se-

Digitized by Google

cundo *homicidium clandeſtinum* ponitur. Quod exemplum non levem difficultatem involuit, nam quis ſui compos unquam affirmaverit, ad pecuniariam pœnam tale crimen pertinere? At Doctores noſtri ſtatim ſeſe expediunt, etenim cum generaliter conſtitutionem accipiant de omnibus criminibus, hanc dubitandi rationem nauci æſtimant; imo, licet inutilia, & aliena coagmentando, longiſſimis indulgeant interpretationibus, ut videre eſt præcipue in comment. Joan. de Nigris; tamen ea de re ne verbum quidem, tanquam ſi ad publicam tranquillitatem nihil attineat, graviſſima crimina pecunia redimi poſſe; aut parum interſit, infamiæ nota juſtiſſimum Regem inuri, utpote avaritiæ magis, quam juſtitiæ addictum. Unde Author *Civil. hiſt. lib.* 22. *c.* 4., etſi, ubi minus opus erat, a vulgi erroribus abhorrens, ſe acerrimum oſtendere voluerit veritatis vindicem, hac tamen in re forenſem turbam ſequens, ad leves recurrit excuſationes pro Rege. Sed nulla defenſione opus eſt, cum laudem potius mereatur Robertus, benignitate utens pro temperanda pœna pecuniaria, ubi magis res expoſtulabat. Ignorantia juris municipalis labuntur hic Pragmatici, nam non agitur de pœna ejus, qui homicidium commiſit, ſiquidem eo caſu non exprimeretur tantum clandeſtinum homicidium, ſed generaliter omne homicidium; nec ulla conſona dari poteſt ratio, cur voluerit Rex, clandeſtinum homicidium, quod proculdubio ſimplici, & præſertim in rixa perpatrato, gravius eſt, ad compoſitionem reduci potius, quam furtum, rapinam, aliaque ejuſdem generis crimina ſañe leviora, de quibus tamen nulla ibi ſit mentio. Verum res ſic ſe habet. Tulerat legem Fridericus II., quæ eſt conſtit. *ſi damna tit. de homicid. & dam. cland.* in hanc ſententiam: Homicidio clandeſtino commiſſo, ſcilicet, cujus ignoratur reus, poſt diligens examen adhibitum, dominus loci, ubi occiſus homo invenitur, ſi hic ſit Chriſtianus, ſolvat Fiſco centum auguſtales, ſin vero ſit Judæus, vel Saracenus, quinquaginta. Hæc licet videatur aliquo modo iniqua lex, tamen cum ea ætate, bello omnia perturbante, frequentiſſima eſſent homicidia occulta, æquum viſum fuit

ſic

ſic ſtatui, ut locorum domini invigilarent, ne in poſſeſſionibus ſuis homicidia intervenirent, & ſi eveniſſent, ut facinoroſos homines aut denunciarent, aut ſaltem ejicerent, & ſummoverent. Fruſtra autem tentat antiquus Gloſſographus in *d. conſtit.* exempla promere ex jure Romano, quo talis ſanctio omnino eſt incognita, & quas citat leges, a propoſito ſunt alienæ. Poterit conſtitutionis Friderici & alia reddi ratio, quia præſumitur aut dominus loci, aut Univerſitas, in cujus territorio eſt admiſſum homicidium, occultare reum, ut liquido patet ex *c. clandeſtinis* 26. *Carol. I. And.*, ubi generaliter idem ſtatutum confirmatur, & porrigitur ad omnia occulta maleficia, licet pecuniaria pœna ſecundum numerum Civium ſtatuatur; quod abrogatur ab eodem Rege, & confirmatur conſt. Frider. in *c. ſtatuimus* 59. Sed rurſus Carolus II. Andegavenſis familiarum in Univerſitatibus numerum, vulgo focularioruin, rationem habendam ſtatuit in *c. conſtitutionem* 158. Hæ autem leges, & pœnæ amplius non ſubſiſtunt, ob rationem expreſſam in *prag.* 1. *de damn. cland.* Igitur Robertus, ut hac quoque in parte benignitatis, & clementiæ, quam ſibi propoſuerat in ea conſtitutione, effectum ſubditi ſentirent, voluit, ut ſive domini locorum, ſive Univerſitates pro homicidio, cujus ignoratur reus, pœnam pecuniariam ſolvere deberent ex anterioribus legibus, non ſemper ſolidum præſtarent, ſed prout æquius, meliuſque viſum fuiſſet. Cætera, quæ in cap. Roberti exprimuntur, facilia ſunt; agitur enim de pecuniariis pœnis, quibus tenentur ſive Cives ſpecialiter, ſive Univerſitates ob contemtum mandatum judicis, vel *impoſitæ defenſæ*, & *contemtæ* (uſus tunc ferebat, ut qui in perſona, vel in rebus a Potentiori damnum timeret, Principis nomine poſſet prohibere; idem etiam licebat Perſonis publicis, quod dicebatur *imponere defenſam*; unde certa pœna ſtatuebatur contra eum, qui vim admiſiſſet, contemta prohibitione, & contemto Regis nomine, vid. conſtit. *ſi quis tit. de defenſis impoſitis, & contemtis, & pœna contemnentium*) vel de parendo juri, vel ſi judici inferiori pœna impoſita ſit a ſuperiore, pro jure reddendo, nec ille curavit; vel cum quis de-

 ſiſtit

Digitized by Google

ſiſtit ab accuſatione ſine licentia ante litem conteſtatam, vel poſt. Fortaſſis voluit hic intelligere Robertus conſtit. *poſt citationem*, ubi pecuniaria pœna ex ea cauſa ſtatuitur.

XIV. Ex interpretatione hactenus propoſita facile dignoſcitur, quæ fuerit mens Regis; idque ſtatim cuicumque, modo ſua, non aliena ratione utatur, manifeſtum fiet, ex ipſis verbis conſtitutionis, quæ hìc apponere ne pigeat: *Exercere volentes benigne, cum poſſumus, in juris rigore clementiam, nec minus compati conditionibus egenorum, præſentium tibi tenore concedimus, quod in pœnis, & de pœnis portationis armorum, homicidiorum clandeſtinorum, de eis etiam, quæ per prædeceſſorem tuum, ſive per te Univerſitatibus, ſive perſonis ſingularibus hinc hactenus, & deinceps impoſitæ fuerint, & contemtæ: pœnas præterea defenſionum, & de parendo juri, & juſtitia facienda receptarum, tam per prædeceſſores tuos, quas in pendenti receperis, quam per te, ſive certa pœna ſit in illis adjecta, ſive ſit arbitria; & in illis præterea, quibus de jure mulctatur deſiſtens ab accuſatione ſine licentia ante litem conteſtatam, vel poſt; poſſis cum conſilio Judicis, vel Actorum Notario, quos habes a Curia, ubi paupertas, ſeu impotentia, vel alia rationabilis cauſa ſuaſerit, in certa quantitate pecuniæ componere pro Curiæ noſtræ parte. Hanc ergo ordinationem &c.* Et quamvis ſuperiora verba clare demonſtrent, quid ſibi voluerit Robertus; nihilominus poſteriores ejuſdem Principis leges omnem omnino removent occaſionem dubitandi. Quæ dicuntur Arbitrales Litteræ, latæ omnes jam fuerunt ante annum tercenteſimum viceſimum nonum, ex communi Scriptorum noſtrorum calculo. At idem Robertus *an.* 1334. *in cap. ne quis* 251. generali lege prohibuit quaſcumque compoſitiones, quoties reus *pro ſuis exceſſibus perſonaliter foret plectendus*; quod aliquo modo temperavit in *cap. ſeq.*, ut jam ſupra explicavimus. Igitur, ſi volumus, Arbitrales Litteras de quibuſcumque compoſitionibus intelligere, aut dicendum eſt, a priori voluntate eum receſſiſſe, aut pugnantia ſuis legibus ſtatuiſſe. Quod temere affirmandum non eſt de Prin-

Principe prudentiſſimo. Sed quis crederet, & antiquos, & novos Pragmaticos adeo inconſiderate in re tanti momenti ſe geſſiſſe, ut, pro certiſſimi juris noſtri regula, omnes affirmaverint, a Rege Roberto ſtatutum, quæcumque crimina pecunia redimi poſſe? Nec magni intereſſet, ſi hic error cupidæ tantum noſtrarum legum juventuti ad perdiſcendum attuliſſet incommodum: verum ex eo frequentiora facta ſunt crimina, & Legislatorum cura adaucta eſt, & diligentia ad novas leges formandas, ut certis finibus includeretur effrænata Judicum licentia, quam hi ſibi competere opinantur ob perverſam Doctorum interpretationem. Quid quæſo opus fuiſſet hujus argumenti varias leges rogare, ut eſt *pragm.* 1. 2. & 4. *tit. de compoſition.*, & *commutation. pœnarum*? Nonne ſupervacuum fuit ibi prohibere, graviorum criminum pœnas pecunia commutari, inconſulto Principe, cum ſatis, ſuperque, & Romanis, & noſtris legibus, imo naturali ratione ea de re cautum eſſet? Eodem modo inutilis extitiſſet *prag.* 3. *ejuſd. tit.*, qua occurritur callidæ Doctorum diſtinctioni inter tranſactionem, & compoſitionem criminis; ſi prava non irrepſiſſet ſuperioris conſtitutionis explicatio. Denique non defatigaremur ad nauſeam uſque diſtinctionibus, & limitationibus Pragmaticorum; nec tot, tamque variis, & inter ſe diſcrepantibus Tribunalium deciſionibus circa compoſitionum materiam, ſi verus ſenſus legum Roberti conſtitiſſet.

XV. Verum præjudicata Doctorum opinio eouſque perrexit, ut & poſteriores leges ad ſuperius incommodum avertendum invalidæ factæ ſint. Docent quidem illi magno conſenſu, leges noſtras de prohibita in quibuſdam criminibus compoſitione, ad Barones non pertinere, & utuntur lepida ſane ratione, quia, dum his conceditur Juriſdictio, ſimul concedi ſolent *quatuor Litteræ Arbitrariæ*. Ne pigeat hic eorum verba tranſcribere. Caravit. comment. ad *rit. M. C.* 47. *n.*8.: *De tertio, videlicet de pœnis fiſcalibus, ſimiliter quia omnes Barones habent quatuor Litteras Arbitrarias, quæ continentur in cap. Regni exercere volentes, in c. juris cenſura, c. ne tuorum, & c. ad perverſorum*

(vi-

(videtur hìc diverſa opinio Caravitæ a cæteris DD., qui poſt Nigr. in com. Capitulorum Regni conſtit. *proviſa juris ſanctio*, ut diximus, arbitralem litteram nominat, non *c. ad perverſorum*) *quarum litterarum vigore poſſunt pœnas componere*, *& permutare*, ut ſcribit Afflictis &c. Idem Caravit. *rit.* 272. *num.* 51. *Tertio requiritur quod caſus, de quo inquiſitus componitur, ſit talis, quod valeat Judex ſuper eo componere. Et licet de jure communi eo ipſo, quod extat juſta cauſa componendi, poſſit Judex regulariter ſuper quolibet delicto componere, ut dicunt Luc., & Par. &c. tamen in hoc Regno ſecus eſt. Et diſtinguitur inter Officiales Regis, & Baronum; primi namque Officiales non poſſunt componere, ſeu commutare pœnas delictorum, pro quibus mortis naturalis pœna, vel mutilationis membri infligenda veniret, ſed quando ex aliquibus cauſis id eis videretur agendum, tenentur prius Illuſtriſſ. Proregem Regni, & ejus Collaterale Conſilium conſulere; à quibus obtinent poſtmodum licentiam per litteras eorum manibus firmatas, quod inquiſitum condemnent ad remigandum, vel componant, ut dicitur in reg. prag.* 2. *Caroli V. Imp. incipiente, & ne ſperata in tit. de compoſ., quam nuper confirmavit in ſuis noviſſ. pragmaticis illuſtris Dux de Alcalà hujus Regni Prorex in reformationibus M. C. ſub tit. de offic. Magiſt. Juſtit. prag.* 11.. *Et ante d. prag. ſtatutum etiam fuerat per Regem Ferdinandum Primum per aliam ordinationem, quæ ibidem etiam renovata, & noviter impreſſa eſt, & incipit item quia; per quas prag. corrigitur c. Regni ne quis, ubi ſtrictius ordinabatur, quod ubi quis veniret perſonaliter plectendus non poſſet inquiſitus ad compoſitionem admitti: ſicuti etiam in Francia ordinavit, & magis ſtricte Carolus Quintus Francorum Rex, quod Judices Regni in quibuſcumque delictis neminem reciperent ad compoſitionem, ut refert Gulielm. Bened. &c. . . . . Ratio dictarum Pragmaticarum, & ordinationum eſt, ut dicit Guliel. ibidem, quia in delictis non deliquit burſa, ſed perſona, quæ puniri debet, ut pœna ſuos teneat authores . . . . Secundi vero Officiales Baronum, quia eorum Barones habent in ſpecie in privilegiis con-*

conceſſas quatuor Litteras Arbitrarias, & quod plus eſt poteſtatem commutandi pœnas perſonales, & quæcumque delicta componendi, ac etiam remittendi in totum, vel in partem, ſatisfacto prius parti læſæ, poſſunt indiſtincte omnes cauſas, & caſus componere, & pœnas quaſcumque perſonales in pecuniarias, vel alias commutare, ut omnibus eſt ſatis notum . . . . Hæc eadem confirmat Petra com. ad *rit.*273. *n.* 158.: *Item alius ejuſdem Juriſdictionis* (Baronum) *effectus, nimirum erit in hoc noſtro Regno, ut pœnas commutare, compoſitiones facere queant, virtute clauſulæ apponi conſuetæ in privilegiis illius, nempe cum quatuor Litteris Arbitrariis, quarum prior hanc retinet facultatem, ſcilicet commutandi pœnam corporalem in pecuniariam ex cap. Regis Roberti* 221. *exercere volentes* . . . . *Dicimus itaque, Baronem habentem in ſuo privilegio clauſulam cum quatuor Litteris Arbitrariis, retinere facultatem componendi ſubditos in ſuo territorio, & Baronia delinquentes &c.* Noviſſime pertinent eodem, quæ ſcribit Riccius *prax. civ. p.* 1. *tit.* 1. *c.* 12. *q.* 12. *n.* 6. *Officiales vero Baronales poſſunt in omnibus delictis, præter aliquos expreſſe exceptuatos, componere, & tranſigere, quia in dicta ordinatione non comprehenduntur, & ſufficit quod Baro conſulatur. Delicta expreſſe exceptuata ſunt, ſodomia, blaſphemia Dei, vel Beatæ Virginis* . . . . *Ideo in hoc largiores habent habenas Curiæ Baronales, ex quatuor Litteris Arbitrariis Baroni conceſſis.*

XVI. Hæc ſane, & ſi quæ ſunt ejuſdem generis commenta, & opiniones Doctorum, nedum ſtomachum, ſed indignationem movebunt ſanæ mentis hominibus; & præſertim dum ſerio cogitabunt, doctrinis iſtis, & authoritatibus controverſias dijudicari, & crimina puniri. Sed concedamus, Conſtitutiones Roberti, ſive Litteras Arbitrarias facultatem componendi dediſſe in quibuſcumque delictis, nonne poſteriores pragmaticæ, de quibus ſupra, tantam licentiam refrænarunt, permittendo tantum compoſitionem, ubi pœna *corporis afflictiva* (ſic loquuntur in Foro) non venit imponenda? Quæ ſi generales ſunt, & pro bono publico ſtatutæ, cur quæſo Baronales Judices comprehendere

non

non debent ? Verba ſane Regis Ferdinandi Primi relata in *prag. 9. de offic. Magiſt. Juſtit.*, & quæ alibi adduximus, ſic ſe habent: *Statuimus, ordinamus, & mandamus, quod Regens, & Judices M. C. V., Gubernatores Provinciarum, Capitanei Civitatum, & Terrarum, & alii Officiales dicti Regni, cujuſcumque gradus, ſeu authoritatis fuerint, nec poſſint componere delicta, nec corporales pœnas in pecuniarias commutare, ubi veniret imponenda pœna mortis naturalis, vel mutilationis membri &c.* Igitur cur excipiuntur Barones ? Ait hìc vulgus Doctorum: Non poſſunt Reges præjudicare Baronum privilegiis, quæ ipſimet conceſſerunt cum juriſdictione feudi. At quænam ſunt iſta privilegia ? Quatuor Litteræ Arbitrales. Igitur, cum illæ Litteræ Regiis Magiſtratibus directæ olim fuerunt, & poſtmodum ad Barones translatæ, debebunt hi utique eadem ratione illis uti, ac ſolent Regii Magiſtratus, ne plus juris tributum videatur inferiori, quam ſuperiori judici, in eodem genere juriſdictionis. Nec movemur conſtitutione Caroli Quinti, quæ eſt *prag. 1. de compoſit.*, ubi dum prohibentur, inconſulto Principe, compoſitiones in gravioribus delictis, nominantur *Capitanei Terrarum demanialium*; ſiquidem, dum prævaluit jam præjudicata opinio circa Litteras Arbitrales conceſſas Baronibus, noluit Imperator ſua lege quidquam ea de re definire. Cæterum, quæ fuerit illius mens pro bono publico, & pro juriſdictione Baronum juſtis finibus terminanda, ſatis ſuperque demonſtrant verba *prag. 6. de Baronib.*: *Mandamus etiam, ut Barones, & eorum Officiales debeant malefactores, & delinquentes debitis pœnis punire, aut puniendos mandare; & ii qui poteſtatem virtute ſuorum privilegiorum habent componendi, permutandi, aut remittendi pœnas, ea poteſtate taliter utantur, ne nos ex eorum abuſu pro juſtitia aliter providere cogamur*. Quæ eadem verba repetita leguntur in *pragmatica Regis noſtri edit. an.* 1744. 7. *Id. Novemb.*; nam ex *capit.* 1. 3., & 7. *prag. edit. an.* 1738. *die XV. menſis Jun.* cum videretur aliquatenus reſtricta Baronalis juriſdictio, placuit clementiſſimo Principi ea capitula abrogare, & jus antiquum reſtituere; dummodo publica

blica ſecuritas in tuto ſit. Quod ſane non poterit unquam evenire, niſi crimina graviora, præſertim homicidia, ſeveriſſimis pœnis vindicentur; nec compoſitiones admittantur, niſi in caſibus permiſſis a legibus Regni, de quibus ſupra.

XVII. Hæc eadem prorſus obtinere debent, ubi agitur de abolitione criminis, ſive de *gratia facienda* pro crimine commiſſo. Solent Baronum nonnulli ex vi ſuorum privilegiorum, tale jus ſibi aſſerere. Verum communis eſt Doctorum ſententia apud de Franchis *deciſ.* 370., eos id facere tantum poſſe, antequam ſententia prolata fuerit a Judice, nam poſt, ſequi debet condemnatio. Niſi proponatur, appellationem interpoſitam fuiſſe; eo enim caſu, ut late diſputat idem de Franchis, cum ſententia ſit in ſuſpenſo, valida cenſebitur *gratia*. Nolim hic ad novas diſputationes tranſire, inquirendo, utrum hæc vera ſint, an ſecus; ſed tantum animadvertere debemus, neutiquam Barones in gravioribus criminibus poſſe indulgentiis hujuſmodi uti; nam ſi compoſitiones in iis, & tranſactiones vetantur, quæ aliquam pœnam, ſaltem pecuniariam continent, multo magis ubi rei omnino ſunt liberandi. Etenim nunquam cenſetur Princeps concedere privilegia in perniciem publicæ tranquillitatis. Quod ſatis oſtendunt verba modo allata ex *conſtit.* Caroli V., & repetita in *pragmatica* Regis noſtri. At neſcio quid excogitari poſſit perniciofius, quam arbitrio privatorum committere, ut cujuſcumque generis crimina remanere poſſint impunita. Et eo magis, quod ipſimet Reges, quibus competit jus ſummi Imperii, dum occaſione publicæ letitiæ generales abolitiones concedunt, enormiora quædam crimina ſemper excipiunt, reſtrictiones, & limitationes adhibent, ne quidquam decernatur adverſus publicam diſciplinam; prout videre eſt in pragmaticis, quæ diverſis temporibus promulgatæ ſunt *de Abolitionibus criminum*. Et omnino removendæ ſunt noſtrorum doctrinæ, quibus aſſerunt, diverſam cauſam eſſe juriſdictionis in proprietatem, & ejus, quæ conceditur in officium; unde ſic ſcribit *loc. cit.* de Franchis: *Dicebat etiam Cuma: in conſ.* 162. *in fin. quod Præſes habet merum imperium ad pu-*

blicam utilitatem , *non ad propriam* ; *non ſic in utilibus Dominis* , *quia dicuntur procuratores in rem ſuam* &c. Quod idem confirmat de Luca *in not.*: *Præſes habet merum imperium ad publicam utilitatem* , *non ſuam* : *Barones* , *etiam ad ſuam* , *quoad proventus juriſdictionis*. Etenim abſurdiſſimum eſt , vel ſola cogitatione decernere , Regibus placuiſſe , ob privata commoda Baronum ſtatui publico graviſſimum damnum afferre; nam ſalus Populi præcipua, & ſuprema lex eſſe debet. Et quamvis concedamus, juriſdictionem conceſſam Baronibus ipſorum utilitatem reſpicere ; id tamen intelligendum erit in levioribus delictis ; in quibus lucrum aliquod dum ad eos pertinet, publica tranquillitas non læditur; quod ſecus ſe habet in atrocioribus, unde civium reliqui deſumunt exemplum . Nec quidquam momenti habent privilegia Baronalia , quæ licet quibuſdam ampliſſima data ſint , ſemper tamen ex mente concedentis cedere debent univerſali commodo . Verum Doctorum errores uſque adeo procedunt , ut quidam exiſtiment , etiam abſque ſpeciali conceſſione, Barones , dum juriſdictionem habent, habere jus *aggratiandi* . Diſſentiunt tantum in eo, quod quidam id tribuunt mero , mixtoque imperio; alii quatuor Litteris Arbitrariis , Quam poſtremam opinionem propugnat de Luca *loc. cit.*. Quod equidem cadere non poteſt in hominem ſanæ mentis , ſi vel curſim ad conſtitutiones Roberti legendas acceſſerit, in quibus ne verbum quidem extat de jure *aggratiandi* . Et cum noſtri tantam vim tribuerint Litteris Arbitrariis , non ſine admiratione quærunt , quomodo Prælati Eccleſiaſtici ſine iis poſſint *gratiam facere*? Hinc ſic ſcribit idem de Luca : *Dices* , *quomodo Epiſcopi poſſint facere gratiam*, *dum non habent has Litteras Arbitrarias*, *ſed merum* , & *mixtum imperium* ? *Guazzinus* . . . . . *reſpondet*, *poſſe ex conſuetudine*, & *quia ſunt majores Præfecto Pretorio*, *Genuenſis* &c. O jocoſum caput ! Sed hæc mittamus , tanquam ægrorum inſomnia , nam ſtultus labor eſt ineptiarum ; & concludamus : Barones , ubi talis facultas ſpecialiter eis à Rege conceſſa eſt , poſſe abolitionem conce-

cede-

cedere in iis tantummodo delictis, in quibus, jure publico Regni compoſitio, & tranſactio permittitur; in cæteris prohiberi; unde rei legitimis pœnis erunt afficiendi.

CAPUT XVI. ET. ULT.

Explicantur Leges, quæ onus injungunt temporariis Judicibus de ratione reddenda finito tempore adminiſtrationis: Vulgò de Syndicatu Officialium.

Cum hactenus diſputaverimus de inferioribus Magiſtratibus, & Judicibus, utpote ex ſua inſtitutione antiquioribus in Regno; ratio ordinis expoſtulare videtur, ut ad majores accedamus, ſive ad leges explicandas de majoribus Magiſtratibus, qui in hac Civitate conſtituti ſunt, & ſuprema Tribunalia Regni componunt. Verum ne hic liber juſtum modum excedat, in ſequentem commodius eam tractationem ſeponendam duximus. Tantum in hoc poſtremo capite agetur de ratione, quam tenentur reddere inferiores Judices, qui omnes ſunt temporales, finito demum officio; nam ſupremi, qui ſunt perpetui, ſive potius ad nutum Principis creati, ab eo onere ſunt exemti. Quod an publicè expediat mox dicetur.

II. Dum prima ætate Romana Reſpublica non minus armis, quam probitate morum coaluit, etſi imperia Magiſtratuum annua eſſent, nullæ tamen ſpeciales leges rogatæ fuere, unde illi adigerentur ad rationem reddendam ſui muneris. Nam leges vitiis, & morum corruptelæ occurrunt. At Romani, ut utar elegantiſſimis Salluſtii verbis *in bel. catil.*, laudis avidi, pecuniæ liberales erant, gloriam ingentem, divitias honeſtas volebant; & propterea nullis opus erat ſanctionibus ad avaritiam refrænandam; quæ mirum quantum mortalium animos fatigat. Ad hoc, ambitio, & gratia facillimè removentur, ubi pro bono publico, & pro laude certatur. Sed verſo paulatim Civitatis ſtatu, cum vix aliquid ſupereſſet priſci, & integri moris, Magiſtratuum vitia coercebantur per pu-

Digitized by Google

blicas accuſationes, quibus illi ſubire tenebantur vel Populi, vel Senatus judicia, circa ea, quæ pravè geſſerant in Magiſtratu. Demum variæ, & certæ leges latæ fuerunt, ut *Juliæ* de *peculatu*, *de ambitu*, *repetundarum*, *de annona*, *de reſiduis*, *Servilia*, qua quærebatur de iis, qui Conſules, Prætores, Dictatores, Magiſtri equitum, aut alio in Magiſtratu, pecuniam ab aliquo privato abſtuliſſent, coegiſſent, avertiſſent, vid. Sigon. *de Judic. lib.* 2. *c.* 27. Præter has leges, tenebantur etiam Judices vel ex maleficio, vel quaſi, prout malè judicaſſent ex dolo, vel culpa, *vid.* §. 1. *Inſtit. de obligat. quæ quaſi ex delicto naſc.* ibique Interpp.

III. Sed magis, magisque ſub Imperatoribus gliſcente Magiſtratuum, eorumque domeſticorum avaritia, variis legibus ejuſmodi malo occurſum eſt, prout legitur in *Cod. Theod.* & *Juſtin.* ſub tit. *ad legem Juliam repetundarum*, alibique. Qui in Provincias mittebantur Magiſtratus, & Officiales, uſus erat, ut finito tempore rationes redderent adminiſtrationis coram iis, qui in idem munus ſuccedebant. Verum cum nonnulli, ut tale judicium ſubterfugerent, ſtatim Provincias deſerebant, ideo conſtitutum non ſemel fuit, ut ad eas remearent, ibique conſiſterent, uſque dum Provincialium querelis ſatisfieret, præſtando quidquid per injuriam ablatum eſſet. Quod ſumma ratione proviſum fuit; nam, ut notat doctiſs. Gothofred. *in l.* 3. *C. T. ad legem Jul. repetund.*, inutiles erant cæteræ repetundarum pænæ, quamlibet graves, niſi ſingulis ſuum repetentibus reddatur. Hùc pertinent Juvenalis verba, Satyr. 1. de repetundarum damnato.

. . . . & hic damnatus inani
Judicio (quid enim ſalvis infamia nummis?)
Exul ab octava Marius bibit, & fruitur Dîs.
Iratis; at tu victrix Provincia ploras.

Non ſolum autem Magiſtratus, & Judices de ſua adminiſtratione rationem reddere tenebantur, ſed & de iis, quæ ipſorum Domeſtici geſſerant, & Miniſtri, hoc eſt, quas ſibi elegerant perſonas pro privatis rebus ſuis adminiſtrandis, & Manipularii,

quos

quos idem Gothofredus interpretatur, viles, & gregarios milites: fortaſſis qui præſto erant Magiſtratibus, ad eorum juſſa exequenda. Pæna autem propoſita fuit in cit. l.3. (quæ eadem eſt ac *l.* 1. *C. ad leg. Jul. repet.*) ut reſtitutio injuſte ablatorum fieret in quatruplum.

IV. Tempus autem ſtatutum quoque fuit, intra quod permanere deberent in Provinciis Magiſtratus. Juſſerat antea Honorius Imp., ut Conſiliarii Judicum, & Cancellarii, iique qui Domeſticorum fungebantur munere, poſt depoſitam adminiſtrationem per quinquaginta dies in Provinciis reſidere deberent, *l.* 3. *C. de Aſſeſſorib. & Domeſticis, & Cancell. Jud.*. Eum ſequutus Teodoſius junior ampliavit tempus uſque ad triennium *l. ult. C. T. eod. tit.* At Valentinianus in novel. 23. (quæ conſtitutio legitur inter Novellas Theodoſii) Africæ Judicibus, adminiſtratione perfunctis, ante exactos tres menſes, diſcedendi de Provincia licentiam denegavit; ea ratione: *ut coram poſitis benè actæ rei fruantur laudibus; aut certè, ſi direptionis alicujus docebuntur conſcii, diſceſſus celeritate ſe non ſubtrahant*. Demum Imperator Zeno generalem legem ea de re ſancivit, quæ a Triboniano collocata eſt in Codice ſub titulo; *Ut omnes Judices tam civiles, quam militares, poſt adminiſtrationem depoſitam, quinquaginta dies in Civitatibus, vel certis locis permaneant*. Ejus conſtitutionis ſententia talis eſt: Perfuncti adminiſtratione Judices in Provinciis, poſtquam Succeſſores acceperunt, ſi fuerint *Clariſſimi* (in Imperio Orientali his titulis decorabantur, & diſtinguebantur inter ſe Senatores, Magiſtratus, Judices, vid. Cujac. in *l.* 1. *C. de Dignitatib. lib.* 12., *& Gothofr. in Not. Dignit.*) in Metropoli Provinciæ, quam adminiſtraverunt; ſin autem *Spectabiles*, in majoribus, potioribuſque Civitatibus adminiſtratæ Diæceſis; dies quinquaginta permaneant, & in publico faciant ſui copiam, ut volenti cuicumque ſit cum eis civiliter, aut criminaliter agendi poteſtas, de furtis, deprædationibus, concuſſionibus; & in univerſum de omni eo, quod malè aut injurioſe geſtum apparebit. Interim autem, jubet

bet Zeno, ut Judices per juratoriam cautionem promittant, ſe in judicio permanſuros uſque ad terminum litis. Quod ſi antea diſceſſerint, retrahendi eos cuilibet ex Provincialibus facultas datur a Juſtin. in *Novel.* 8. §. *neceſſitatem*, unde deſumta eſt *auth. ſi vero*, quæ legitur in *Cod.* poſt conſtitutionem Zenonis; vid. & novel. 95. Tale quidem judicium, ut patet ex lege Zenonis, coram Succeſſore perficiendum erat; nam jubet Imperator, quinquaginta librarum auri mulcta puniendum Succeſſorem, qui non curavit Judicem fugientem retinere, aut ſaltem ea de re relationem facere.

V. Sed veniamus ad Leges Regni. Jus Romanum, & præſertim Zenonis legem confirmare placuit Friderico II. *in conſtit. volumus*, tum circa ſpatium temporis, nempe dies quinquaginta, in quibus peragendum erit judicium, tum circa judicem competentem, qui deſignatur Succeſſor in officio. Speciale autem eſt, quod addit, ubi accuſatores deficiunt, inquiſitionem, omni adhibita diligentia, faciendam eſſe adverſus Judices; nam publicè intereſt, eorum crimina puniri, licet privatorum querelæ abſint, & damni reparationes, vel non petantur, vel nullæ ſint. Additur præterea, ſententiam condemnationis a Principe expectandam eſſe. Quod oſtendunt illa verba: *Si per inquiſitionis officium, vel delationes aliquorum, Officialis inventus fuerit culpabilis, aut doloſus; præter damna, quæ per ipſum nobis, aut ſubditis integrè volumus reſarciri; tranſgreſſionis ſuæ pœnam, quam noſtra ſententia dictaverit, ſuſtinebit*. Sed hoc poſterior ætas immutavit, nam in præſenti judicio qui ſolent Judices eligi, tum privatis, tum publico, ſatis ſententia ſua faciunt. Legem Friderici Carolus II. Andegavenſis, dum erat Vicarius Regni, firmavit in *cap. item ſtatuimus, quod tam Juſtitiarii &c.* 132. Tantum reſtrinxit judicii tempus ad dies quadraginta, quo jure hodie utimur. Exprimitur autem in eodem *capit.*, pro rata temporis judicium perdurare, *quoties minùs in officiis ipſis* (Judices) *moram traxerint*; hoc eſt minùs anno, quod eſt

ſpa-

ſpatium ordinarium temporalium Judicum, ut alibi diximus. Et quamvis ultra illud tempus perduret quis in officio; tamen uſus probavit Caravitæ ſententiam *in rit. 295. circ. fin.*, ſcilicet, nunquam prorogari dies quadraginta. Sed contra ſentit Rovit. *in prag. 1. de Synd. offic.* Speciale autem eſt in Præſidibus, & Auditoribus Provinciarum ex *prag. 3. de offic. Juſtit.*, ut, ſecundum jus Romanum, quinquaginta dies perſiſtere teneantur in judicio Syndicatus. Quod uſu non ſervatur. Cavetur *in pragm. 4. eod. tit.*, ne tempus jure præfinitum, ſive gratia, ſive odio, per Syndicatores abbreviatur, vel amplietur; prout olim fieri erat ſolitum, vid. Caravit. *loc. cit.* Sic autem illi dies quadraginta dividuntur in *ead. prag.*, ut primis viginti facultas ſit cuicumque accuſationes inſtituere, reliquis verò perficiantur quæ ad actus judiciarios pertinent, & demum ad ſententiam ferendam ſive condemnationis, ſive abſolutionis. Quam dierum diviſionem & temporib. Matthæi de Afflictis obtinuiſſe, manifeſtum eſt ex ejus *com. ad d. conſtit. volumus n. 3.* Fortaſſis fuit uſu fori introducta, ut omnia peragerentur ordine, ac methodo, & ut judicium ad faciliorem exitum perduci poſſet.

VI. Clariorem formam, & magis expeditam circa judicium Syndicatus induxit Rex Ferdinandus Primus Aragonenſis in *prag. 1. cit. tit.*, nam voluit, cujuſcunque generis Judices, depoſito officio, dare debere ſyndicatum (Syndicus eſt defenſor, ſive actor Univerſitatis, per quem ſcilicet, tanquam in Republica, quod communiter agi, fierique oporteat, agatur, fiat, ut eſt in *l. 1. §. quibus autem D. quod cujuſq. univerſ. nom.*: cum autem ille ſoleat diligenti cura examinare quæ ad publicum pertinent, inde invaluit vox ſyndicare, translata ad eos, qui, tanquam inquiſitores, geſta Judicum in officio examinant, vid. *rit. 295.*, & ſyndicatum ſubire, ſive dare, eſt cauſam dicere, & cauſæ faciendæ obnoxium eſſe) publicè reddendo rationem adminiſtrationis, reſpondendo de *quibuſcumque querelis contra eos propoſitis civiliter, vel crimina-*

naliter; *de commiſſis in eorum officio &c.* Statuit autem Ferdinandus, ut tale judicium non amplius agitetur coram Succeſſoribus in officio, ſed coram electis viris ab ipſiſmet Univerſitatibus. Statuit præterea, ut judiciariis actibus demum finitis, Conſultor, ſive Juriſperitus adhibeatur *de locis convicinis, ubi ſyndicatus geritur; cui de ſalario competente per Univerſitatem provideatur; recuperando tamen in fine ab Officiali, ſi condemnatus fuerit &c.* Hoc autem ſapientèr cautum eſt, ne judicare debeant ii, qui ſunt de eadem Univerſitate, cum & res ipſa, & experientia ſatis demonſtret, quam facillimè vindictæ, atque odio occaſiones pateant adverſus eos, qui in poteſtate ſunt; nam in jure dicendo, & in criminibus puniendis, impoſſibile penè eſt, ut in Judicantium ſententiis omnes adquieſcant. Hinc à doctis viris non ſemel monemur, Judices ſyndicatus, levioribus culpis, & negligentiis omiſſis, de iis tantum inquirere debere, quæ ex animo, & dolo procedunt, præſertim ubi per ſordes judicatum, vel non judicatum adpareat. Et propterea removendæ erunt à judicio ſyndicatus frivolæ, & nullius momenti accuſationes, quas nonnulli inſtituere ſolent, vexandi potiùs animo, quam injuriæ, aut damni reparandi. Tenebantur quidem jure Romano ex quaſi maleficio Judices, ubi per imperitiam, vel imprudentiam malè judicaſſent; nulla autem pœna legibus, ea de re ſtatuta fuit; ſed totum negotium committebatur iis, qui in ea cauſa judicabant, ſcilicet æſtimando, ex bono, & æquo, quid negotii ipſius natura expoſtularet, vid. §. 1. *Inſt. de oblig., quæ quaſi ex del. & l. ult. D. de extraord. cogn.* Verum moribus ubique receptum eſſe notat Vinnius *in com. ad cit.* §., Judicem non teneri ex ſententia, ſine dolo malo, tantum per imperitiam, prolata; nam iniquitati ſententiæ occurrendum eſt remedio appellationis. Et ſibi imputare debent litigantes, qui cum potuiſſent damnum reparare, Superiores adeundo, maluerunt ſententiæ parere; & demum inſtituere judicium ſyndicatus. Hùc pertinet regula relata à Rovit. in com. ad *cit. prag.* 1. *n.* 39. *Hodie ex communi conſuetudine Judices non ſyn-*

Digitized by Google

ſyndicantur, *niſi de dolo*, *& baratteria*, *& aliis extorſionibus*. Et neſcio quid ſibi velit Antonius Police *de praem. Reg. Aud. tit.* 8. *c.* 4., dum ſeſe opponens ſuperiori regulæ, ſcribit: *Contraria tamen opinio eſt verior*, *quod hodie Officiales debeant ſyndicari*, *nedum de furtis*, *baratteria*, *illicitis extorſionibus*, *& concuſſionibus*; *ſed de negligentia*, *retardata*, *& male adminiſtrata juſtitia*, *ac de injuſta*, *& iniqua ſententia &c.* Nam, cum dicitur, Officialem teneri de dolo, hæc omnia includuntur; ſumma enim negligentia, ſive latiſſima culpa, dolo proxima eſt, dolo comparatur *l.* 1. §. 1. *D. ſi menſ. falſ. mod. dix.*, dolo continetur, inquit Ulpianus in *l. quæſitum* 8. §. *eum quoque D. de precar.* Et quis unquam ſanus dubitavit, retardatam, & male adminiſtratam juſtitiam, ad dolum pertinere?

VII. Ob eandem rationem, uſu forenſi quædam remedia inducta ſunt, ne Syndicatorum iniquitati ſuccumbant Syndicandi; veluti, dum illorum fieri debet electio, ut quidam poſſint tanquam ſuſpecti recuſari. Et, ſi adeò graves inimicitiæ, aut odii, præſertim cum potentioribus, appareant cauſæ extitiſſe, poterunt etiam Syndicandi Pincipem adire, ab eoque petere, ut in Regiis Tribunalibus judicium ſyndicatus inſtituatur, & perficiatur. Quo caſu uſus obtinet, ut vel Magnæ Curiæ, vel Regiis Audientiis tale negotium committatur. Et dum conſtitit de veritate ſupplicationis ad Principem, accuſationes ut recipiantur in loco officii, decernitur. Verum cauſæ cognitio, & condemnatio perficitur in iiſdem Regiis Tribunalibus.

VIII. Quamvis in *tit. prag.* 1. de quibuſcumque judicibus ſermo ſit, dum ab Univerſitatibus eligendi ſunt Syndicatores; tamen in *cit. prag.* 3. *de offic. Juſtit.* ſtatuitur, a Principe deputandos eſſe Commiſſarios, coram quibus Præſides, Auditoreſque Provinciarum dare debeant ſyndicatum. Verum id abrogatum fuit ex *prag.* 10. §. 43. *de offic. jud.*, in qua jubetur, ab Univerſitate eligendos Syndicatores, ubi talis uſus perſiſtit: ſi appellatio interponenda erit a decreto interloquutorio, id fieri poterit in Tribunali Audien-

tiæ; ſin autem a ſententia definitiva, ad Magnam Curiam provocandum erit; ne Syndicandus effectum fortaſſis ſentiat odii, & ſimultatis, (quod inter Collegas evenire ſolere, & experientia docet, & ipſamet pragmatica animadvertit). At ubi conſuetudo fert, ut in ipſis Audientiis inſtituatur judicium ſyndicatus, qui Succeſſor deſtinatus erit ad munus vacans ſuſcipiendum, Judex efficitur legitimus ſui Prædeceſſoris. In hac autem Civitate ex privilegio quondam conceſſo a Regibus Aragonenſibus, & confirmato a Carolo V. in *prag. 2. de ſyndic. offic.*, tam Regentis, quam Judicum Magnæ Curiæ ſyndicatus judicium inſtituitur, atque perficitur coram Electis ejuſdem Civitatis, abſque interventu Regii alicujus Miniſtri, prout olim obſervabatur. Additur autem in *ead. prag.*, dummodo non abutantur privilegio. Quo fit, ut omnia legitime, atque ordine ſuo peragi debeant; ſecus ad Principem, quoties gravamen infertur, cognitio devolvitur. Unde fert uſus, ut a judicio ſyndicatus coram Electis, eorumque Conſultore deſtinato, provocatio interponatur ad Tribunal Regalis Cameræ. Hac autem in re, animadverſione dignum eſt quod legitur in *vol. 2. privileg. pag. 275.* inter privilegia conceſſa *an.* 1718.: Cum Judices, qui in Tribunali Collegiato, ut noſtri dicunt, jus reddunt, non teneantur rationem reddere de ſententiis, quas inſimul cum aliis protulerunt (*facto verbo in Tribunali*, eſt formula forenſis) fraus intervenire ſolebat; nam qui in judicio ſyndicatus accuſabatur, facile invenire poterat alium Collegam, qui decretum ab eo tantummodo latum, ſubſcriberet, ut appareret in Tribunali confectum. Unde mandatur, non habendum decretum illud totius Tribunalis, quoties non reperitur in *Regiſtro*, qui eſt liber, in quo annotantur Tribunalis decreta. Neſcio autem, an cordatis hominibus uſquequaque probetur, ut male geſta, & inique decreta, a judicio ſyndicatus debeant eſſe exemta, ob eam rationem, quia in Tribunali confecta fuere; nam eadem, imo major erit injura, & æquale damnum, ubi plures male judicaverint, quam ubi unus tantum.

IX. Quoties a judicio ſyndicatus interponitur appellatio,

tio, ſemper fieri debet coram Judicibus Regiis. Et quamvis in *cit. prag.* 1. ſtatuatur, infra duos menſes a Rege Judicem appellationis deputandum; tamen uſus fert, ut vel in Magna Curia, vel in Regiis Audientiis tractentur appellationes; etiamſi de Baronum Officialibus agatur; nam in hoc Judicio Baronalis juriſdictio nulla eſt; pertinet enim illud ad jus publicum, & propterea ad ſupremam authoritatem Principis. Et ipſarum Univerſitatum eadem in re partes nullæ erunt; nam legibus noſtris conceditur eis facultas, Syndicatores tantum eligendi in primo judicio, ex ſpeciali privilegio, quod ex vulgatis regulis privilegiorum nunquam extenditur ad caſus non expreſſos *l. quod vero* 14. *D. de legibus*. Neque hic neceſſarium eſt ad jus Romanum recurrere, quo judicialis forma ſyndicatus ſpecialiter apud nos introducta, omnino eſt incognita. Illud autem nominatim cavetur in *ead. prag.*, ut a ſententiis Syndicatorum licet interpoſita fuerit appellatio, nihilominus earum exequutio *retardari non debeat: præſtita tamen cautione per eum, in cujus beneficium ſententia ſequuta fuerit, de reſtituendo, & reſolvendo in caſu retractationis*. Quo fit, ut appellatio in præſenti judicio habeat tantummodo *effectum devolutivum*, *non ſuſpenſivum*.

X. Quas hactenus explicavimus leges, generaliter obtinent de quibuſcumque Officialibus temporariis; quo nomine continentur, & Bajuli, & Actorum Magiſtri, vid. *cap. item quod prædicti* 283. Et propterea qui conſtituti ſunt abſque ulla temporis præfinitione, ab hoc onere eximuntur. Verum ne his opportuna pateat occaſio omnia peragendi, non ad formam juris, ſed ad libitum voluntatis, accuſationibus, & inquiſitionibus ſubjecti ſunt. Temporarii quidem Judices, durante adhuc adminiſtrationis tempore, accuſari poterunt: ſed quoniam tenentur illi ordinario judicio ſyndicatus; ideo hanc regulam tradunt communiter noſtri: de gravioribus criminibus, dum adhuc ſunt in officio, accuſari poſſunt; de levioribus non aliter quam in ſyndicatu, vid. *Merlin. contr. forenſ. cent.* 2. *c.* 28. *in fin.* Sed quænam graviora, quænam leviora hac in re dicenda ſint cri-

mina, non ſatis explicant Scriptores. Exiſtimo autem, graviora ſemper eſſe crimina, quæ ex avaritia procedunt, & dolo malo; expende *l.6. C.T. ad leg. Jul. repet.*; quæ eadem eſt ac *l.* 4. *C. eod. tit.*; & multo magis quando Judex authoritate ſua abutens, criminoſus evadit; nam nihil excogitari poteſt iniquius, quam maleficia inde provenire, ubi tutela, & ſecuritas cæterorum repoſita eſt. Magiſtratus autem qui ſunt perpetui, quoniam publice adminiſtrationis rationem nullam reddunt, quocumque tempore, & de quocumque delicto, ſi non judicialiter, ſaltem extraordinem accuſari, & denunciari poterunt coram Principe. Dum hoc Regnum Imperio ſuberat Regum Hiſpanorum, *Viſitatoribus* ſolebat judicium committi contra ejus generis Magiſtratus, alioſque perpetuos Officiales, prout videre eſt in *tit.prag. De Viſitatione generali*, *& Viſitatione Regia Tribunalium*, *& Officialium omnium Regni*. Eorum tamen inutilem effectum demonſtrant Civitatis, & Regni petitiones relatæ in *vol.* 2. *privileg. pag.* 275. Sed noſtra ætate, dum ſingulari Dei beneficio præſentem Principem habemus, ei legitime porriguntur cujuſcumque generis querelæ adverſus Magiſtratus, & Judices. Optimorum ſiquidem Principum eadem voluntas eſt circa Juſtitiæ adminiſtrationem, ac olim fuit Conſtantini Magni, cujus verba relata in *l.* 4. *C. T. de accuſationib.* juvat hic apponere: *Si quis eſt*, *cujuſcumque loci*, *ordinis*, *dignitatis*, *qui ſe in quemcumque Judicum*, *Comitum*, *Amicorum*, *vel Palatinorum meorum*, *aliquid veraciter*, *& manifeſte probare poſſe confidit*, *quod non integre*, *atque juſte geſſiſſe videatur*; *intrepidus*, *& ſecurus accedat*; *interpellet me*, *ipſe audiam omnia*, *ipſe cognoſcam*: *Et ſi fuerit comprobatum*, *ipſe me vindicabo*. *Dicat ſecurus*; *& bene ſibi conſcius dicat*. *Si probaverit*, *ut dixi*, *ipſe me vindicabo de eo*, *qui me uſque ad hoc tempus ſimulata integritate decœperit*. *Illum autem qui hoc prodiderit*, *& comprobaverit*, *& dignitatibus*, *& rebus augebo &c.*

PAR-

Digitized by Google

PARTIS PRIMÆ COMMENTARIORUM DE JURE REGNI NEAPOLITANI

LIBER III.

CAPUT I.

De origine, atque inſtitutione Sacri Conſilii.

LEGUM vis atque forma, licet ab authoritate ejus proficiſcatur, qui ſummo in Republica præeſt imperio; tamen conveniens ſemper viſum fuit, illarum exequutionem prudentibus, atque ſapientibus viris committere. Solebat quidem Imperator Auguſtus, ut refert Suetonius in *ejus vita c.* 33. jus dicere, vel publice, vel ſi quando corpore parum valebat, lectica pro tribunali collocata, vel etiam domi cubans: verum id ab eo factum eſſe ratione Magiſtratus, cujus ſibi munus aſſumere conſueverat, doctis viris perſuaſum eſt. Etenim his artibus primi Romani Imperatores utebantur, ne viderentur, publica negotia peragendo, eminens dominium ſibi aſſerere. Eleganter Tacitus *lib.* 1. *an. c.* 1. de eodem Auguſto ſic loquitur: *Poſito Triumviri nomine, Conſulem ſe ferens, & ad tuendam plebem Tribunicio jure contentum; ubi militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit; inſurgere paulatim, munia Senatus, Magiſtratuum, Legum in ſe trahere, nullo adverſante &c.* At qui deinde ſequuti fuerunt Imperatores, quamvis, ubi ſeſe occaſio præbebat, nullo modo vererentur ſupremæ poteſtatis jus uſurpare; attamen qui inter eos prudentiſſimi, atque

que juſtiſſimi fuere, nunquam juris dicendi facultatem ad ſuam curam traxerunt; ſed eam Magiſtratibus amandabant; aut ſi quando id ſui muneris eſſe placuiſſet, ſapientes, & conſulti Viri in conſilium vocabantur, ut eorum doctrinâ leges explicarentur, & ad caſus incidentes aptarentur; unde jus bonumque inter litigantes obtineret. Hùc pertinent *Decreta Principum*, quæ in unum Paulus Juriſconſultus collegit, & in ſex libros diviſit. Et proprie erant ſententiæ prolatæ in cauſarum cognitionibus coram Imperatore per Juriſconſultos. Nonnunquam eo nomine comprehendebantur Reſcripta, ad libellos partium emiſſa, vid. Cujac. *lib.* 2. *obſer. c.* 26. Quin etiam optimi Imperatores, quæcumque negotia expedire non erant ſoliti, niſi cum conſilio virorum prudentum, vid. Spartianum in *Adriano*, & Capitolinum in *Anton. Pio*, & *in Antonin. philoſ.* De Alexandro Severo ſic ſcribit Lampridius: *Fuit præterea illi conſuetudo; ut ſi de jure, aut de negotiis tractaret, ſolos doctos, & diſertos adhiberet*: Demum enumerat ſeptendecim Juriſperitos, qui in ejus Imperatoris conſilio eſſe ſolebant.

II. Dum hoc Regnum, partim adoptionis, partim belli jure, ad Alphonſum I. Aragonenſem pervenit, optimis inſtitutis, ac legibus firmatum fuit, præſertim novorum Magiſtratuum creatione. Magna Curia, prout jam diximus libro ſuperiore, Vicarii Tribunali adjuncta, ſupremum ea ætate Senatum conſtituebat; unde tum in primo judicio, tum in judicio adpellationis ab inferioribus Curiis, atque Judicibus Regni, omnes ferme publicæ, & privatæ controverſiæ inibi pertractabantur. Sed cum ab ejus ſententiis non ſemel partes proclamarent ad Principem, uſus jam obtinuerat ante tempora Regis Roberti, ut patet ex *cap. injunxit nobis* 258., ut ſpecialis deſignaretur aliquis Judex, apud quem cognoſceretur de propoſito gravamine. Quod cum nimis incommodum adpareret, dum frequenter adpellationis Judices ſeligendi eſſent; vel quia abſurdum cenſeretur, ab uno aut in totum reſcindi, aut in melius reformari, quod pluribus jam placuerat, præſertim ſummæ au-

authoritatis Judicibus, qui erant in Supremo Magnæ Curiæ Senatu; ideò Alphonſo viſum fuit expedire, ut novum ſtatueretur Tribunal, in quo ſupplices libelli, qui Regi porrigebantur pro gravaminibus inferiorum Judicum, examinarentur, & ſententiæ jam latæ vel revocarentur, vel confirmarentur. Tale Supremum Tribunal conſtitutum fuit ab Alphonſo tanquam Conſiſtorium Regis, nam ipſo coram publica quoque negotia ibi pertractabantur, etiam quæ pertinebant ad Regna, & Provincias, quas poſſidebat extra Italiam. Hinc legimus apud Toppium de *orig.Trib.lib.2.*, eundem Alphonſum ſtatuiſſe, ad illud Tribunal remittendas omnes cauſas *tum Regnorum occiduorum* (hoc eſt quæ in Hiſpaniis ſita erant) *tum Siciliæ ultra pharum* (hoc nomine deſignatur Inſula Siciliæ, ut diſtinguatur a Regno noſtro; nam uſus jam invaluerat, ut hoc Regnum diceretur quoque Sicilia, ſed citra pharum; unde qui utrumque poſſidebat Regnum dicebatur Rex utriuſque Siciliæ. Quæ forma loquendi adhuc perdurat). Sed quoniam Rex non ſemel, ſive armorum cura, ſive aliis publicis negotiis diſtrahebatur, unde novo Tribunali non ſemper adeſſe poterat; ideo placuit, eidem Præfectum aſſignare ſub Præſidis nomine; cujus munus erat preces oblatas Principi legere *, & Senatoribus examinandas committere, ut demum pronunciaretur de jure. Procedente autem tempore forma & nomen ex primæva inſtitutione remanſit, licet illud Tribunal non amplius Conſiſtorium Regis eſſet; nam & publica negotia, qui ſequuti ſunt Reges, ad alios ſelectos viros tranſtulerunt, & privatum Senatum ſtatuerunt (vulgo dicimus *Conſiliarios, & Conſilium Status*); Sed ejus authoritas reſtricta fuit ad controverſias privatorum diſceptandas, idque tantum in hoc Regno. Hinc adhuc hodie adpellamus Sacrum Conſilium, tanquam ſi adſtaret ſacra Principis perſona, ſecum habens prudentes, & ſapientes viros in conſilio; & litigantium petitiones ad formam precum in ſcriptis rediguntur, Regi directæ, eadem ratione, ac ſi ipſe Rex adiretur per ſupplices libellos. Non ſemper unam, eandemque ſedem Sacrum illud Conſilium habuit, utplurimum

in

in ipſa Regia ſub Regibus Aragonenſibus habebatur; aliquando in Æde ſacra, præſertim ea, quæ Divæ Claræ dicata eſt. Unde apud noſtros Scriptores *Conſilii*, & *Conſiliariorum Sanctæ Claræ* frequens eſt mentio. Tandem imperante Carolo V. translatum fuit in Caſtrum Capuanum, ubi adhuc permanet una cum cæteris Tribunalibus, vid. *prag. 6. in fin. eod. tit.*

III. Cum autem hæc certiſſima ſint ex monumentis Hiſtoricorum, non eſt cur in dubium revocentur ex *prag. 2. de offic. S.C.*, in qua proponitur inſtitutio ejus Tribunalis facta a Ferdinando I., Alphonſi filio; ſiquidem inſcriptionem pragmaticæ librariorum errore immutatam fuiſſe, clare patet ex verbis præfationis, quæ oſtendunt Alphonſum authorem ejus legis, non Ferdinandum. Qui error & in Conſtitutionibus Regni non ſemel occurrit, in quibus pro *Fridericus*, inſcriptio eſt *Rogerius*, *Gulielmus*; vel è diverſo. Sed hæc mittamus, utpote leviora, & videamus quid Rex ſtatuerit in ea pragmatica.

IV. Primum omnium juſſit, Sacrum Conſilium in Urbe Neapolitana, Regni Urbium omnium ſuprema, ac Metropoli, ſedem, locumque habere. Qua in re ab inſtitutione receſſit Magnæ Curiæ, quæ certam ſtabilemque ſedem non habebat, ſed utplurimum comitabatur ipſum Regem, vid. conſtit. *ſtatuimus, ut Magnæ Curiæ*. Deinde ſtatuit, ut inter Conſiliarios *unus præſideret* tanquam omnium caput; & ob id Præſes Sacri Conſilii adpellatus eſt. Conſiliarios autem ipſos voluit *juris inſignibus decoratos eſſe* (hoc eſt Juriſconſultos, vulgo legum Doctores), *doctos*, *graves*, *ſeveros*, *inſontes*, *mites*, *juſtos*, *faciles*, *leneſque*: Et in ſumma præditos ea virtute, ac morum ſanctitate, quam ſapientum præcepta in cujuſcumque generis Judice requirunt. Quæ omnia ut diligenter obſervarentur, placuit Regi, juſjurandum ob unoquoque ex Conſiliariis, dum muneris adminiſtratio ſuſcipitur, in manibus Præſidis præſtandum his verbis; ſcilicet, *ſe neque per ſe ipſum, neque alium pro hujuſmodi officio aſſequendo, pecuniam, vel rem æquipollentem, neque aliud quidquam cuique dediſſe, pollicitumve eſſe;*

ne-

Digitized by Google

neque ullo modo, ut ſibi ad id eſſet auxilio quemquam habuiſſe. Sed hæc omnia in uſitatas juramentorum formulas tranſierunt, quæ, præter ſonum verborum, nihil effectu ſignificant. Et propterea inutilis facta eſt Regis ſanctio, quæ ad hunc modum additur: *Cujus juramentum vel ſi in minima parte falſum eſſe comperiatur, ipſum ad officium non admittimus; vel ſi admiſſus fuerit, protinus amoveri, repellique mandamus, ac noſtro arbitrio mulctandum reſervamus*. Novem in eadem pragmatica deſignantur Conſiliarii, excepto Præſide; unde a primordio decem Senatores Senatum illum conſtituebant. Qui numerus, vel ipſo Alphonſo regnante varius fuit. Ætate Caroli V. erant octo Conſiliarii, ut colligitur ex *pragm.* 41. §. 1. *eod. tit.*, ubi Imperator, pro faciliori cauſarum expeditione jubet, in duas ſeparatas ſedes, vulgo *Aulas*, Conſiliarios diſtribuendos eſſe; in quarum unaquaque adeſſe debeant quatuor; & in utraque idem Præſes aſſiſtere ſingulis diebus, ſcilicet modo in una, modo in altera; *prout negotiorum moles, reique exigentia* (ſunt verba pragmaticæ) *& brevior juſtitiæ expeditio poſtulabit, eique videbitur*. Deinde auctus eſt numerus uſque ad decem, quibus alii duo additi fuere, ut aſſiſterent judiciis criminalibus in magna Curia *d. pragm.* 2. *in fin.* Sub Regno Philippi II. creditur tertia Aula conſtituta, in qua & quinque alii Conſiliarii creati fuere. At certum eſt, hunc Regem quartam Aulam addidiſſe, ex petitione Civitatis, & Regni, vid. *vol.* 2. *privileg. pag.* 17. *& pragm.* 74. *eod. tit.* Et exinde factum, ut ordinarius Conſiliariorum numerus eſſet vigintiquatuor; nam quini in ſingulis Aulis aſſiſtunt, duo in Magna Curia; ex reliquis ſolet unus Capuæ Gubernator conſtitui; alter vel negotiis publicis incumbere, vel Provinciæ alicujus adminiſtrationi, prout Principi viſum fuerit. Ne autem inter eos, circa ordinem ſedendi, & prærogativam gradus, controverſiæ orirentur, cavetur in *prag.* 3. *eod.*, ut ſemper antiquior præferatur recentiori. Quod aliter obtinuiſſe in Senatu Romano diſcimus ex Paulo Manutio *in lib. de Sen. Rom.*, in quo primi ſedebant Conſules, Prætores, & proximi Prætoribus Cenſores. Eos ſequebantur qui mino-

Digitized by Google

res Magiſtratus geſſerant, Ædiles Curules, Ædiles Plebis, Quæſtores. Poſt hos, qui defuncti erant Magiſtratibus, Conſulares, Prætorii, Ædilitii, Quæſtorii. Poſtremi, qui occupaverant gradum eorum, quos ipſi accuſaſſent, reoſque oſtendiſſent; unde a Senatu remoti fuerant. Dum Regnum ditioni Hyſpanorum ſuberat, ex *pragm.1.cit.tit.*, de numero Conſiliariorum, tertiæ partis electio ad Regis arbitrium pertinebat; reliqui aſſumebantur e Civibus Regni. Hæc generaliter dixiſſe ſufficiat de hoc Tribunali: videamus deinceps, quænam ſint leges ſpeciales, quæ reſpiciunt tum Præſidem, tum Conſiliarios, tum authoritatem illorum, & formam circa lites pertractandas, cauſaſque decidendas.

CAPUT II.

De authoritate, atque munere Præſidis Sacri Conſilii.

NON poſſunt utique ordine ſuo res procedere, nec recte ad exitum pervenire, ubi qui in uno, eodemque Collegio ad judicandum proponuntur, pari inter ſe authoritate exiſtunt, atque gradu, nec eorum quiſquam cæteris præponitur. Hinc prudenter Rex Alphonſus, dum præſens ipſe non poterat Sacro Conſilio adeſſe, Præfectum, ſive Præſidem creavit: de cujus munere breviter agendum in hoc capite eſt; nominatim eas leges explicando, quæ procedente tempore, prout ſeſe occaſio obtulit, latæ ſunt; quæque congeſtæ leguntur in volumine Pragmaticarum.

II. Ad munus Sacri Conſilii, quoniam & ea pertinere cenſebantur, quæ olim propria fuere Protonotarii, qui unus fuit ex ſeptem ſummis, ſive ſupremis Officialibus conſtitutis ſub Regno Normannorum: ideo primis temporibus in eodem Sacro Conſilio intervenire ſolebat Protonotarius, vel ejus Vicarius, qui Viceprotonotarius adpellabatur; qua de re conſule *Toppiam lib. 2. de orig. Tribunal.* Sed paulatim Protonotarii officium honoris tantum gratia conferri cœpit, & quæ ejus muneris ſunt, transferri in Viceproto-

protonotarium, qui non ab ipſo, ut olim, ſed a Rege creabatur. Ne autem diſtincta hæc munera in uno, eodemque Tribunali occaſionem præberent diſſentiendi; ideo inductum fuit, ut qui Præſes Sacri Conſilii creatur, eodem tempore Viceprotonotarius deſtinetur. Qui uſus & ad noſtram uſque ætatem perdurat. Sed longe diverſa authoritas olim fuit Protonotarii, ac ea, quæ in Viceprotonotarium tranſlata eſt, & noviſſime in Præſidem Sacri Conſilii. Sub Imperio Orientali, qui primus erat inter Notarios, Primicerius Notariorum adpellabatur; unde titulus extat in *Cod. Theod.*, *& Juſtin. de Primicerio, & Notariis*. Idem a Cujacio in *cit. tit. Cod. Juſtin.* dicitur Protonotarius; nam ait: *certius productio eſt verbi: qua forma Auguſtinus D. Stephanum Primicerium Martyrum vocat ſerm.* 21., *& Baldricus Dolenſium Archiepiſcopus in hiſtor. hieroſol. Divum Petrum Primicerium Apoſtolorum*. Notarii, ut notat Gothofredus in *cit. tit. Cod. Theod.* erant olim Conſtantinopoli qui notabant Acta, & Secreta Principum; & foras eorum Reſponſa afferebant, ad preces ſupplicantium emiſſa. Iis omnibus præerat Primicerius, five Protonotarius, cujus dignitas ſumma erat, & Proconſulari æqualis, vid. *l.* 3. *Cod. Theodoſ. eod. tit.* Huic non omnino abſimilis erat Protonotarius ſub Normannis; nam ad ejus curam pertinebat, libellos ſupplices recipere, & ad Principem referre; quemadmodum & novas leges, atque edicta componere, & promulgare, vid. Marin. Frec. *de ſubfeud. de offic. Logoth.*, *& Protonot.* At poſtmodum hæc omnia in alia officiorum genera, qui ſequuti ſunt Reges tranſtulerunt; & Viceprotonotario reliquerunt tantum curam, Tabelliones, qui vulgo & Notarii dicuntur, approbandi, & ad ſui muneris exercitium admittendi. Quod idem efficit in Judicibus ad contractus celebrandos conſtitutis.

III. Hæc autem facultas dum competit Præſidi Sacri Conſilii, non ei competit, tanquam ejus Tribunalis Præfecto, ut diximus, ſed tanquam Viceprotonotario; unde cæterorum, qui in Sacro Conſilio ſunt Senatores, ea de re nullæ partes ſunt. Verum non admodum antiquus videtur

Digitized by Google

uſus Notarios creandi per Viceprotonotarios; etenim ætate Friderici II. id pertinebat vel ad Magiſtros Juſtitiarios, vel ad Camerarios. Quod tamen Fridericus abrogavit in conſtit. *in locis demanii noſtri*, tranſtulitque ad Regem ipſum illorum ordinationem. Uſus autem, ut diximus, id paulatim fecit proprium Viceprotonotarii; ad cujus etiam curam attinet, filios naturales legitimos facere, vid. Marin. Freccia *de ſubfeud. cit. tit. de offic. Protonot.* Refert autem de Ponte *de poteſt. Proreg. tit.* 10. *de legit. ſeu reſtitut. nat.* privilegium ea de re tunc ſubſcribi ſolitum a Prorege, uno ex Regentibus Collateralis, & Præſide Sacri Conſilii. Quæ autem ſpecialis debeat eſſe cura Viceprotonotarii circa officium Notariorum, dicemus opportunius infra, ubi de ipſis Notariis tractandum erit.

IV. Videamus modo quodnam ſit munus Præſidis, tanquam Sacro Conſilio Præfecti. Primum omnium, ſicuti in Magna Curia diximus conſuetudinem obtinere, ut ſingulis cauſis certus Judex aſſignetur, cujus ſpecialis cura eſt, & actibus judiciariis perficiendis incumbere, & demum referre in Tribunali, unde vulgo *Commiſſarius* adpellatur: eodem modo in Sacro Conſilio, dum ſupplices libelli referuntur, quibus actiones continentur, ad Præſidem ſpectat, ſingulis cauſis ſingulos Conſiliarios deſtinare; quorum unuſquiſque aſſignatæ ſibi cauſæ Commiſſarius dicitur. Cautum tamen fuit prudentiſſime a Carolo V. in *prag.* 41. §. 6. *de offic. S. C.*, ut cauſarum diſtributio æqualiter fiat, ne unus plus altero *bonoris gravamine implicatus magis exiſtat*. Hæc cauſarum commiſſio non arbitraria Præſidis eſt, ſed omnino neceſſaria; etenim in *pragm.* 7. §. 1. *de offic. Judic.* decernitur, nec Præſidem Sacri Conſilii, nec Locumtenentem Regiæ Cameræ, nec Regentem Magnæ Curiæ, poſſe amplius, prout olim fieri ſolebat, ſibi ipſis cauſas committere. Semel autem cauſa uni commiſſa, amplius ab eo revocari nequit; adeout ſive ille morte deficiat, ſive alia ratione Magiſtratum deſerat, eadem commiſſio transferatur in ſucceſſorem, *pragm.* 1. §. 3. *de cauſis decid.* Quoties adpellationis jure a decreto Magnæ Curiæ ſupplicatio in

Sa-

Digitized by Google

Sacro Conſilio proponitur, nulla fieri ſolet ejus cauſæ commiſſio, niſi ubi agitur de decreto definitivo reſcindendo; nam de interloquutorio uſus fert, ut a Judice Commiſſario fiat relatio in Sacro Conſilio, vid. *pragm.* 18. *de offic. S. C.*, ubi certus dies præfinitur, quo tales relationes faciendæ ſint, ne reliquis diebus ordinarius negotiorum curſus impediatur.

V. Hæ quidem interloquutoriæ ſententiæ in *cit. pragmatica* incidentia dicuntur; quo vocabulo paſſim utuntur noſtri; ſcilicet quod ſint ſententiæ, non definientes litem ipſam, ſed ea tantum, quæ incidere ſolent in curſu litis. Verum nihil quidquam ſtatuit pragmatica circa qualitatem incidentium, utrum talia ſint, quæ reparari poſſunt per definitivam ſententiam, an ſecus: & propterea hac in re ad regulas juris Romani recurrendum erit, quo cavetur, ab interloquutoria ſententia adpellari non poſſe, niſi quando urgens cauſa id expoſtulaverit, *l.* 5. *& penult. Cod. quorum adpellat. &c.* Quænam autem ſint juſtæ cauſæ proponit Cujac. in *comment. ad cap.* 12. *de adpellat.* ubi ait, jure canonico indiſtincte ab omni interloquutorio decreto adpellari poſſe, ut eſt in *cit. cap.* 12. *& cap.* 51. *&* 54. *eod. tit.* Sed hanc nimiam licentiam adpellandi, cum ex ea calumniis, & dilationibus ingens præbeatur materia, repreſſit Tridentina Synodus *ſeſſ.* 24. *de refor. cap.* 20. ſtatuens, appellationem tunc interponi poſſe ab interloquutoria, cum ea vim habet definitivæ, ejuſque gravamen reparari nequit in definitiva. Quæ omnia cum juris ſint apertiſſimi, videtur prima legum rudimenta Rovitus ſubvertere, dum in *commentar. ad cit. prag.* 18. ſic ſcribit: *Licet de jure competat partibus adpellatio, nedum a ſententia definitiva, ſed etiam ab incidentibus, & interloquutoria; tamen Sacrum Conſilium &c.* Nam ſi pro jure communi intelligit jus Romanum, utique error eſt non ferendus, ſiquidem Romanæ leges contrarium aperte ſtatuunt: ſi Jus canonicum, minus recte loquutus eſt, quoniam illud agit tantum de cauſis eccleſiaſticis; civiles vero, de quibus tractat Rovitus, ad leges Romanas referuntur. Ad hæc, ſi noviſſimum inſpi-

ſpicere volumus Tridentinæ Synodi decretum, dici quoque poterit, contrarium jure canonico obtinere. Sed ut hæc omnia mittamus, nonne ipſæ Leges noſtræ contrarium affirmant? Et ſane *pragm.* 81. §. 9. *eod. tit.* dum varios abuſus abolendos decernit, diſerte ait, ab interloquutoriis tunc adpellandum eſſe, cum gravamen reparari nequit in definitiva, prout ſtatuit jus commune. Et pro jure communi utique pragmatica intelligit jus Romanum. Et mirum ſane eſt, Rovitum contrarium huic pragmaticæ ſcripſiſſe, cum ejus ætate promulgata illa fuerit, imo ab eodem Rovito ſubſcripta, tanquam Collateralis Regente. Rectius autem feciſſet Rovitus, ſi proponens conſuetudinem introductam in Sacro Conſilio, ut de quocunque decreto interloquutorio, prolato per Judices Magnæ Curiæ, ſtatim proponatur ſupplicatio, unde mandatur relationem fieri (vulgo de *verbo faciendo*) aſſeruiſſet, eam contrariam eſſe juri communi; & propterea non ſine publico incommodo; nam inde evenit, ut Forenſes, calumnias calumniis ſtruentes, dilationes omnino non ferendas, cauſis etiam liquidis, quæ publicis ſcripturis comprehenduntur, interponere ſoleant. Huc aptanda ſunt elegantiſſima Imperatoris Conſtantini verba, in *l.* 1. *Cod. Theod. quorum adpellat. &c. Notorias dilationes, fruſtratoriaſque, non tam adpellationes, quam ludificationes, admitti non convenit.* Et ſane eam conſuetudinem in abuſum converſam fuiſſe, oſtendit *pragm. Regis noſtri anno* 1738. *menſ. Mart.*, nam in §. 5. *num. XI.*, prohibetur, proponi *ſupplicationem de verbo faciendo in Sacro Conſilio*, de decretis interloquutoriis, prolatis per Judices Magnæ Curiæ circa actus judiciarios, vulgo *circa compilationem termini*. Eodem refertur, quod decernit *pragmatica in* §. 6. *num.* 8. Et *pragm.* 64. *de offic. S.R.C.*, qua injungitur Præſidi, in ſupplicatione porrecta, quoties quis pro delicto citatus fuit in Magna Curia, dum decernitur, *verbum fieri ab indebita citatione*; addendum eſſe, dummodo pars infra menſem procuret relationem, nam ſecus eo elapſo, facultas detur Magnæ Curiæ ſecundum juris ordinem procedendi.

V.

VI. Quod autem addit idem Rovitus poſt de Franchis *deciſ.* 88. *in fin.* de præeminentia Sacri Conſilii, ut, emendato gravamine, cauſa iterum remittatur ad Magnam Curiam, juris ordinarii eſt; nam ratio ipſa oſtendit, functum eſſe officio ſuperiorem Judicem, quoties emendavit errorem inferioris, pro quo appellatus fuit a litigante; & eſſet ſatis iniquum, ſi vellet ſeſe intromittere in cauſa principali, pro qua rogatus non fuit.

VII. Quoties condemnatus fuit reus in magna Curia, ſive ad pœnam mortis, ſive membri abſciſſionem, & ſupplicatio adpellationis nomine porrigitur in Sacro Conſilio; non debet Præſes cauſam committere, ſive Conſiliarium deſtinare, ad cognoſcendam, & referendam cauſam gravaminis; niſi antea audiatur Judex Commiſſarius M. C., ejuſque Fiſci Patronus *pragm.* 44. §. 2. *de offic. S. R. C.* Et ratio illa videtur eſſe, quia Judex Commiſſarius ſcire poterit omnia, quæ faciunt ad eam cauſam: & Advocatus Fiſci etiam in Sacro Conſilio publici accuſatoris partes ſuſtinebit; ne fortaſſis, alio accuſatore deficiente, reus condemnatus temere abſolvatur. Unde in fine pragmaticæ decernitur, eundem adeſſe debere in Sacro Conſilio, dum cauſa expeditur.

VIII. Non ſolum a decretis interloqutoriis Magnæ Curiæ proponi poteſt ſupplicatio de verbo faciendo, ſive de relatione facienda in Sacro Conſilio, ut diximus; ſed etiam a decretis ejuſdem generis, quæ Conſiliarii cauſarum commiſſarii conficiunt, adhoc ut quod ipſis privatim placuit decernere, publice in Sacro Conſilio examinetur. Cavetur autem hac in re in *prag.* 81. §. 15. *eod. tit.*, ut quamvis ab uno ex litigantibus porrecta fuerit ſupplicatio, & decretum latum *de verbo faciendo*; nihilominus facultas alteri concedatur, per novam ſupplicationem petere ejus decreti revocationem; quo caſu non debet Præſes hanc novam petitionem admittere, niſi audita parte. Notabile autem eſt, quod mandatur in §. *ſeq. ejuſd. prag.*, ſcilicet, Præſidem non poſſe, decernendo in ſupplicatione *verbum faciat*; aliquid amplius adjice-

adjicere, ne Judicis partes ſibi aſſumere videatur; unde non poterit nec clauſulas, aut quid aliud apponere, ad cauſam ipſam, de qûa agitur, pertinens.

IX. Dum proponitur recuſatio alicujus ex Conſiliariis, vulgo *cauſa ſuſpeƈtionis*, porrigitur ſupplicatio Præſidi; qui vetatur in *pragm.* 10. §. 6. *de ſuſpicion. offic.* eam ſupplicationem admittere, niſi omnia de jure noſtro ſtatuta obſerventur; & nominatim circa depoſitum certæ quantitatis pecuniæ, quod fieri debet ab eo, qui ſuſpicionem allegat; prout dicemus ſuo loco. Ne autem hujus ſuſpicionis cauſæ, cæteris, quæ tractandæ erunt, afferant impedimentum, ſtatuitur in *pragm.* 18. §. 4. *eod. tit.*, ut ad Præſidis curam pertineat certam diem aſſignare, qua illæ tractandæ ſint in Tribunali.

X. Præter ſuperiora, ad officium quoque Præſidis ſpeƈtat in certis caſibus, vel omnes ſimul Conſiliarios, vel majorem, vel certam partem ſimul congregare, prout diverſitas negotiorum exigit; idque vulgo dicunt noſtri *unionem Aularum*. Et ſane, ex quo primum inductum fuit, ut ſeparatas ſedes, pro faciliori cauſarum expeditione, Conſiliarii haberent, ſive, ut in plures Aulas dividerentur, quo major authoritas rebus gerendis accederet, talis uſus obtinuit. Duplici autem ex cauſa id accidit, vel ubi publica res agitur, vel privata alicujus momenti. Publicam rem intelligo, quoties ad dubium aliquod amovendum controverſi juris, omnes Conſiliarii, authoritate Præſidis, in unum conveniunt, generalis controverſiæ examinandæ, & demum ſententiæ proferendæ gratia; quæ inſtar generalis definitionis, in poſterum habebitur pro jure certo. Cujus rei varia exempla occurrunt, prout ſuis locis meminerimus. Hæc facultas videtur Præſidi conceſſa ex illis verbis *d. pragm.* 41. §. 1. *aut juris difficultatis*, quæ denotant interpretationem tantum, & definitionem juris ambigui Sacro Conſilio conceſſam, non autem poteſtatem novi juris condendi. Qua in re audiendi non ſunt vulgares Forenſes, qui dum diſcrimen ignorant inter poteſtatem Principis, & Magiſtratuum, confundunt eodem tempore legis conden-

dendæ authoritatem; quæ ejus tantum eſt, qui ſummo præeſt imperio, cum authoritate ambigui juris interpretandi, & certæ definitionis ſuper quæſtione generali pronunciandæ. Ipſemet Prætor olim Romæ, cujus ſumma erat authoritas, non dicebatur legem condere, quod ſolius Populi erat; ſed tantum per interpretationem, jus civile vel adjuvare, vel ſupplere, vel corrigere aliquando, ſive ad benignitatem deflectere nimium rigorem illius, vid. *l.7. §.1. D. de juſt. & jur.* Hac ſane in re mirum quantum a vero aberrat, & Romanarum rerum imperitum ſe oſtendit Antonius Romanus *de præſtant. S.C. c.1. præſt.*10., dum ad exemplum Senatus Romani recurrit, exponens ejus authoritatem in legibus condendis; nam quæſo, quænam eſſe poterit inter Senatum Romanum, & Sacrum Conſilium comparatio? Sub libera Republica Ariſtocraticum, ſive Optimatum regimen, præferebat Senatus; & propterea rerum publicarum præcipua ibi pertractabantur, ut videre eſt apud Sigonium *lib.2. de Senat. Rom.*; unde non mirum, ſi & leges ibi aliquando ordinabantur. Sub Imperatoribus tanta poteſtas imminuta fuit, cum paulatim rerum publicarum ratio uni tantum reddi cœpiſſet; ſed nihilominus, ſive dum Princeps, oratione habita, præſens erat, ſive dum expreſſe, vel tacite authoritatem ſuam accommodabat, Senatus jus novum conſtituebat non ſemel, aut antiquum abrogando, aut jam deſuetudine abolitum reſtituendo. Quæ omnia diverſa omnino ſunt in Sacro Conſilio; nam prima ejus inſtitutio, ut jam diximus, ad appellationes tantum ſuſcipiendas, examinandaſque comparata fuit; & deinde etiam ad cognitiones in primo judicio; idque tantum in cauſis privatorum; & propterea nullæ ſunt ejus partes in publicis rebus; præſertim in iis, quæ ſunt ſummi Imperii, quibus comprehenditur legum condendarum poteſtas. Niſi fingamus, eam ſpecialiter a Principe concedi, quo caſu nova lex cenſetur ab ipſomet Principe confecta. Quo ſane referuntur illa verba prag. 47. *in fin. cit. tit. Etſi decreta, ſtatutaque ab eodem Sacro Conſilio pro lege ſervari oporteat; Regia tamen ſi fuerint authoritate comprobata, &*

 publi-

publicata, *notitiæ*, *obſervantiæ*, & *executionis recipiunt incrementum*. Quæ verba referuntur quidem ab eodem Antonio Romano *loc. cit.*; ſed ille a quæſtione recedit; nam quoties adeſt Principis conſenſus, non tantum Sacrum Conſilium, ſed quodlibet aliud Tribunal, imo Judex, poteſt legem conficere, quæ Principis erit, non compoſitoris. At nos loquimur de authoritate, quam jure ſuo poteſt Sacrum Conſilium exercere in generali quæſtione, ſive articulo definiendo; quæ interpretatio potius eſt conditarum jam legum, quam novarum compoſitio.

X. Nec velim quemquam exiſtimare, me aliquid detrahere velle de dignitate, & præſtantia celeberrimi Senatus; ſiquidem augetur magis, dum vera, & ſolida ejus poteſtas proponitur; & contra imaginaria rejicitur. Imaginariam dico, quia ipſamet exempla, unde Pragmatici oſtendere conantur, omnes quatuor Sacri Conſilii Aulas in unum congregatas, legem facere poſſe, nihil aliud ſunt, quam deciſiones generales controverſi juris, non autem novi promulgatio, aut abrogatio veteris. Quod ſane confirmat Regis noſtri *prag.an.*1738., ubi *in* §.3. mandat Sac. Conſilio, ut quater in anno congregari debeant Aulæ ad articulos controverſos decidendos, & ut relatio fiat ad ipſum Regem pro confirmatione deciſionis; nihil autem ibi dicitur de generali facultate legis condendæ, quæ nullius Tribunalis, nullius Magiſtratus eſſe poteſt. Nec movemur exemplo Præfecti Prætorio, qui dicitur legem facere poſſe; nam generalis hæc enunciatio falſa eſt, dum nititur *l. 2. C. de offic. Præf. Prat. Orient.*; ibi enim non agitur de nova lege ferenda, ſed tantum de forma regiminis ab eo introducta, quæ mandatur ſervari. Et nihilominus additur, modo nihil legibus contrarium ſit. Igitur jus novum condere non poteſt Præfectus Prætorio. Sed demus, id ei conceſſum, quid tum poſtea? Hic Forenſes conſuetis nugis rem agunt, nam omnes, prope uno ore, dum loquuntur de Sacro Conſilio, dicunt, illud comparari Præfecto Prætorio, ejuſque authoritatem repræſentare. Jam ſatis vulgare eſt, quale fuerit munus, & quanta poteſtas Præfecti Prætorio, qui ha-

bebatur

bebatur tanquam *ſocius laborum* Principis, ut apud *Tacit. an.*4. Tiberius adpellare ſolebat Sejanum. In ſumma praeerat ille tum militaribus, tum civilibus rebus: Provinciarum, & Diæceſeon Judices ſub ſe habebat, quos proinde admonere, iiſque imminere, legeſque inſinuare, actibus denique eorum invigilare debebat, vid. Gothofr. *in C.T. de offic. Præfect. Præt.* Rectores ipſi Provinciarum ad Præfectum Prætorio referebant, eumque in dubiis conſulebant, vid. *l.* 13. *C. T. de accuſat.*, *l.* 5. *C. T. de veteran.*, *l.* 41. *C. T. de oper. publ.* Quæ omnia a Sacro Conſilio omnino ſunt remota. Imo nullibi æqualis Præfecto Prætorio adeſt Magiſtratus. Unde ſic ſcribit Duaren. in *tit. Digeſt. de offic. Præf. Præt. c. ult. Solet quæri cui noſtrorum Magiſtratuum comparari poſſit. Et puto nullum eſſe ſimilem, facileque aſſentior dicentibus, Reges ſimiles eſſe Præfectis Prætorio, qui ſe Imperatori ſubditos fatebantur.*

XI. Veniamus ad unionem Aularum in ſpecialibus privatorum cauſis. Hac de re ſic ſtatuitur in *cit. prag.* 41., ut quando opportunum, & neceſſarium videbitur, poſſit Præſes id facere, veluti quando agitur, *ſuper alicujus Baronis ſtatu, aut alia re alicujus importantiæ* (ſunt verba pragmaticæ) *& quantitatis, qualitatiſque*. Loquitur quidem Pragmatica de unione duarum Aularum, quia tunc temporis duæ tantum Aulæ fuerant inſtitutæ. Sed poſtmodum duabus aliis adjectis, inductum quoque fuit, ut omnes ſimul convenirent, vid. Rovit. in *cit. prag.* 41.; quoties vel Principi, vel ipſimet Præſidi videbitur expedire. Hæc autem locum habent in primo judicio; nam propoſito judicio reclamationis, ſi cauſa, qua de agitur, excedit ſummam aureorum bis mille, omnino duæ Aulæ jungendæ ſunt; prout ex privilegio conceſſo quondam a Carolo V. innuitur in *ead. prag.* §.9.; unde arbitrarium id non erit eo caſu, ſed neceſſarium ex petitione partium. Quod ſumma ratione factum puto. Enimvero ſupremi Magiſtratus munere fungitur Sacrum Conſilium, & per conſequens ſuperiorem Judicem non habet, unde adpellatio ab ejus ſententia interponi nequit. Ne autem litigantes unico tantum

judicio condemnati exiſtant, cautum olim fuit, ut ſupplicatio in eodem Sacro Conſilio ad reſcindendam ſententiam interponi poſſet; quod & reclamatio, & retractatio dicitur a noſtris. Cum igitur talis reclamatio apud eoſdem Conſiliarios diſceptanda ſit, ſive in eadem Aula, in qua ſententia prolata fuit ex *cit. prag.* §. 2.; videbatur aliquo modo iniquum, ut cauſæ alicujus momenti, ut ſolent eſſe ultra ſummam aureorum bis mille, pro reviſione agitentur coram iiſdem Judicibus, qui primùm judicaverant. Ad rem ſic ait Cujacius in *tit. Cod. de ſent. Præf. Præt.* ex Plinio *epiſt. lib. 6. ad Urſum: Senatoribus re integra diſſentire fas eſt: re vero peracta, quod pluribus placuit, placet adhuc, & vix reſcindent quod ſemel conſtituerunt.* Quapropter prudentiſſime in *cit. prag.* decernitur, ut in cauſa reclamationis, ſi quantitas ſit infra bis mille aureos, concedi poſſit, vel denegari unio Aularum; ſin autem ultra, concedi debeat omnino; ad hoc ut aliis Conſiliariis coram, res maturius examinari, atque dijudicari valeat.

XII. Ex his pluſquam manifeſte dignoſcitur, & Romanas Leges, & noſtras eodem tempore male Pragmaticos percæpiſſe, dum Sacrum Conſilium Præfecto Prætorio comparantes, utuntur exemplo reclamationis; ajunt enim: a ſententiis Sacri Conſilii non adpellatur, ſed ſupplicatur, ſive reclamatur tantum in eodem Sacro Conſilio; quemadmodum a ſententiis Præfecti Prætorio, vid. *Capyciumlatr. deciſ.* 100. *num.* 15. *Anton. Rom. loc. cit. praeſt.* 39., *alioſque paſſim*; & allegant *l. unic. C. de ſent. Præf. Præt.* Cum inter Magiſtratus Imperiales primum locum ſibi vindicaret Præfectus Prætorio, non poterat utique ab ejus ſententia jure ordinario adpellari, quoniam nullus erat ſuperior Magiſtratus. Et propterea poterant tantum partes Principem adire per ſupplices libellos, petendo reviſionem ſententiæ. Principes autem id concedebant, & remittebant cauſas retractandas Præfecto ſucceſſori; non autem eidem, a quo jam prolata fuerat ſententia, cum difficile, qui hoc, vel illo modo judicavit, a priori deciſione, quam ſibi jam perſuaſit juſtam, recedere ſoleat. Hoc aperte oſtendunt illa poſtre-

ma

ma verba *cit. l. un.*: *Ita videlicet, ut intra biennium tantum, noſtro Numini contra cognitionales Prætorianæ Præfecturæ ſententias, poſt ſucceſſionem Judicis numerandum, ſupplicandi eis tribuatur facultas*. Quam conſtitutionem explicans Cujacius *loc. cit.* ſic ait: *Namque id voluit, poſtquam Præfecto Prætorio ſucceſſum eſt, intra biennium poſſe retractari ſententiam juſſu Principis, ſupplicante eo, qui ſententia Præfecti Prætorio damnatus eſt . . . . Eſt & alia differentia inter ſupplicationem, & reſtitutionem in integrum; nam ipſemet Præfectus Prætorio adverſus ſententiam ſuam dare poteſt reſtitutionem in integrum l. in cauſa §. ult., & l. ſeq. D. de minor. At cauſam retractare ipſemet non poteſt. Cauſa retractanda demandatur, non eidem, qui ſententiam dixit, ſed ſucceſſori*. Quæ omnia diverſa ſunt in Sacro Conſilio, nam ibi & proponitur retractatio, & cauſa examinatur coram iiſdem Conſiliariis; niſi quando unio Aularum facienda eſt, ut modo diximus. Quod ſi noſtri rectius voluiſſent comparationibus uti, dicere potius debuiſſent, Magnam Curiam olim fuiſſe ſimilem Præfecto Prætorio; nam ab ejus ſententiis non adpellabatur, ſed tantum ſupplicabatur ad Principem, a quo deſtinabantur Judices pro reviſione ſententiæ; prout alibi monuimus ex *c. injunxit nobis* 258.; & inde quoque diximus, ab Alphonſo Sacrum Conſilium inſtitutum, ut reviſiones ibi ſententiarum Magnæ Curiæ proponerentur.

CAPUT III.

Examinantur & alia notatu digna ad munus Præſidis pertinentia.

PRoviſum quoque noſtris legibus eſt, ad Præſidem Sacri Conſilii aliquando ſpectare, ut aliis additis ex numero Conſiliariorum, diſſentientes ſententiæ componantur; vulgo, ut dentur adjuncti ad paritatem votorum dirimendam. Quod ut rectius intelligatur, ſciendum eſt, hac in re aliter olim decernere placuiſſe Romanis Prudentibus, aliter deinde no-

vis

vis legibus, atque populorum ſtatutis. Apud Romanos quoties in Centumvirali judicio lites pertractabantur (erat hoc ordinarium Conſilium Prætoris, quod componebatur centum circiter Judicibus, iique cognoſcebant de cauſis privatis, ſive pecuniariis, vid. Pollet. *hiſtor. for. Rom. lib.* 3. *c.*13., *& lib.*5.*c.*5.) inter pares Judicum ſententias, ea obtinebat, quæ humanior cenſebatur, veluti pro libertate, pro reo &c. *l. inter* 38. *D. de re jud.*; ubi dicitur, conſtitutione Antonini Pii id fuiſſe ſtatutum; necnon ad judicia publica ampliatum. Quod videtur inductum ex quadam commiſeratione, ut optime notat Cujacius; nam videtur aliud expoſtulare ratio ſeveritatis publicæ, cujus intereſt, ne crimina maneant impunita. Sed ad rem ſic ait Paulus 4. *ſent. tit.*12. *Inter pares ſententias clementior ſeveriori præfertur: & certe humanæ rationis eſt favere miſerioribus, & prope innocentes dicere, quos abſolute nocentes pronunciare non poſſumus*: plura vid. apud Grot. *lib.* 2. *de jur. bell. c.*5. *n.*18., *& c.* 23. *nu.*5. At quoties a Judicibus pedaneis, ſive datis ſpecialiter in aliqua cauſa, diſſonæ proferebantur ſententiæ, neutra valebat, ſive potius utraque in pendenti erat, donec competens Judex, ideſt Magiſtratus, qui eos dederat, unam eorum confirmaſſet, ait *l. duo judices* 28. *D. eod.*; quam male vulgo Doctores opponunt *cit.l.*38., nam ibi agitur de Judicibus Centumviralibus, ut diximus. Et rationem diſcriminis ſic explicat in ead. *l.*38. Cujac.: *Ad Prætorem pertinet exequutio ſententiæ Judicum a ſe datorum l. a Divo Pio hoc tit.; & confirmatio igitur, quia pedanei Judices juriſdictionem non habent. Recuperatores, & Centumviri juriſdictionem habent &c.*

II. A Romanis legibus receſſerunt utplurimum hac in re populorum ſtatuta, & conſuetudines; prout in Regno noſtro; nam commodius, atque tutius viſum eſt, ejuſdem cauſæ cognitionem, utpote in ambiguitatem redactam ex diverſitate opinionum, aliis ejuſdem generis Judicibus committere examinandam. Antiquitus in Sacro Conſilio, in pari diſſentientium Conſiliariorum numero, prævalebat ſententia, a qua Præſes ſteterat. Quod non erat con-

ſonum,

ſonum Romanorum inſtitutis, nam & in Senatu nulla inter Senatores ſuffragiorum erat prærogativa, & inter Juriſconſultos obtinere ſolebat, quod pleriſque videbatur; unde numerus prævalebat, non dignitas perſonarum, vid. *l.* 18. *D. de in jus voc.*, & *Inſt. de hæred. inſtit. in princ.* Et male utitur Rovitus in *comment. ad prag.* 1. *de cauſ. decid.* exemplo Papiniani J. C.; nam in cauſarum cognitionibus nunquam ejus ſententia cæteris præferebatur, dum reſpondebat de jure. Tantum, cum ætate Valentiniani, innumeri extarent J. C.rum libri, in quibus non ſemel diſcordantes eorum legebantur opiniones, placuit Imperatori ſtatuere, ut in pari eorum numero, ejus partis præcederet authoritas, a qua ſtaret Papinianus *l. un. C. T. de reſp. Prud.* Quam conſtitutionem abrogavit Juſtin. in *l.* 1. §. *cumque C. de vet. jur. enucl.* Igitur hoc exemplum non facit ad rem, de qua agimus. Et majori oſcitantia laborat Rovitus, dum allegat *l. ſpurii* §. *privilegiis D. de Decur.*, quæ omnino eſt extra rem. Cum autem in Imperio Conſtantinopolitano ſtatutum eſſet, ex conſtitutione Emanuelis Commeni *cap.* 6., cujus meminit Gothofredus in *dict. l. unic.*, ut in paribus Judicum ſententiis, potior haberetur ea, cui judicii Præſes accederet; veriſimile eſt, eam apud nos uſu introductam in omnibus Curiis, ac proinde translatam etiam in Sacrum Conſilium. Sed poſtea talis uſus ſublatus fuit ex *d. prag.* 1. §. *ult.*, ubi mandatur, in paritate ſuffragiorum, nulla amplius prærogativa conceſſa Præſidi, relationem fieri debere ad Principem, adhoc, ut quid expediat, decerni poſſit (ſolet autem Princeps imparem numerum aliorum Conſiliariorum addere, utplurimum tres, ad diſſidium opinionum componendum, vid. de Franch. *deciſ.* 252. *n.* 6.). Quod tamen, ait pragmatica, intelligendum eſt, ubi paritas evenit in ſententiis definitivis; nam in interloquutoriis, vulgo incidentibus, alius ex numero Conſiliariorum accerſiri debet ad dirimendam paritatem. Et quamvis pragmatica generaliter loquatur, tamen ex interpretatione in foro recepta, uſus obtinet, ut non ſemper in definitiva ſententia relatio fiat ad Principem; ſed eo tantum

tum caſu, cum ipſemet Præſes adfuit in Aula; nam ſi id acciderit eo abſente, tunc facultas Conſiliarios addendi pro dirimenda paritate, ad ipſum devolvitur, vid. de Franchis, & Rovit. *loc.cit.* Quæ diſtinctio, neſcio an conſona ſit regulis juſtæ interpretationis, nam & verba obſtant pragmaticæ, & ſententia, qua fit, ut ſolius Principis debeat eſſe munus rationis inveniendæ, quomodo diſcordantes Judicum opiniones in concordiam adducantur. Facultas tantum Præſidis in ſpecie, qua de agimus, cernitur in iis, quæ ſtatuuntur in *prag.41. §. præterea de offic. S.R.C.*, nempe, ut ſi lis ſit infra ſummam aureorum ducentorum, ſufficiant pro ejus deciſione duorum Conſiliariorum conformia ſuffragia; ſin vero ultra, trium, uſque ad aureos mille. Quod ſi tria vota non interveniant, vel propter diſcrepantiam aliorum, vel propter abſentiam, tunc ad Præſidem pertinebit, unum, vel duos Conſiliarios alterius Aulæ advocare, ut tribus ſuffragiis ſimilibus lis terminetur. At ſi ſumma mille aureos excedit, duarum Aularum Conſiliarii ſimul convenire debent. Quo caſu, ſi propter diſſidium opinionum, nec tria conſimilia ſuffragia proferantur, adeout paritas adſit ſententiarum, tunc referendum erit ad Principem.

III. Non ſolum in S.C., ſed & in Magna Curia, Regiis Audientiis, & generaliter in quocumque Judicum Collegio apud nos inductum eſt, ut alii addantur Judices, pro decidenda ſententiarum paritate. Unde non eſt, ut cum Antonio Romano id numeremus inter prærogativas, ſive, ut ipſe ait *præſtantias* Sacri Conſilii, cum id ſit commune cum aliis Tribunalibus, excepta tantum Regia Camera: de cujus authoritate, ubi tractandum erit, rationem diſcriminis, quam vulgo aſſerre ſolent noſtri, examinabimus. Sed concedamus, dationem Adjunctorum ſpecialem eſſe Sacri Conſilii, quænam ea de re ſit prærogativa, non video. At familiare eſt Romano, verbis magnifacere, quæ nullius ponderis ſunt. Cum autem ſibi propoſuiſſet ingens volumen de prærogativis Sacri Conſilii componere, quæ brevi tractatu compræhendi potuiſſent, neceſſarium omnino fuit,

ut,

ut partim puerilia, & extra propoſitum congerendo, partim vulgarium Forenſium opiniones coagmentando, ad immenſam molem opus perduceret. Pro omnibus hoc exemplo contenti erimus: Agit ille *c.1. præſt.13. num.30.* de ratione ſuſpectionis proponendæ adverſus Conſiliarios adjunctos; & ait, in hoc etiam cognoſci præſtantiam Conſiliariorum, quod in aliis Judicibus eligendis dari debeat a litigantibus ſuſpectorum nota, ut de non ſuſpectis fieri poſſit electio; at Conſiliarii, inquit, *ſolo juramento poſſunt allegari ſuſpecti*. Hìc ſane, ſi ulla adeſt prærogativa, potius litigantium ea erit, quam Conſiliariorum; quoniam ordinaria judicii ſolemnitas prætermittitur. Notabilis autem eſt in ſpecie præſenti *prag.4. §.1. de dilat.*, qua decernitur, ut ad inutiles dilationes removendas, ſuſpectio Adjunctorum non amplius proponatur ſolo juramento, ſed certiore ea de re antea Præſide facto, poſtmodum proponi, & probari debeat ſolemniter (*formiter* ait prag.), ut de ea diſceptari poſſit. Injungit deinde eadem *prag.* §.2., ut Præſes eligat *Adjunctos* de ſequenti Aula, non de aliis, niſi ubi ii juſtis ex cauſis eligi non poſſint. Cætera quæ in eadem *prag.* ſtatuuntur, cum nihil ſpeciale contineant circa Præſidis munus, commodius explicabuntur, ubi de ordine Judiciorum erit ſermo.

IV. Ad officium quoque Præſidis ſpectat petitiones judiciales, ob lapſum legitimi temporis jam extinctas, in integrum reſtituere; ſive, ut eſt forenſis formula, *ſpiritum inſufflare* inſtantiis jam peremtis. Quod genus loquendi extat & in *prag.3. de offic. S. R. C.*; ubi licet generaliter id dicatur tributum ipſimet Sacro Conſilio; tamen uſus fert, ut ejus nomine peragatur a Præſide, vid. Petr. *in rit.248. num.43.* Hic autem nugari non deſinunt noſtri, nam ajunt, hanc facultatem Præſidi conceſſam eſſe nomine Principis, qui Dei vices gerit in terra; & quemadmodum ex *Geneſ. c.2.*, creato homini ex limo terræ, ſpiritum Deus inſufflavit, ita & Sacrum Conſilium cauſis ſpiritum vitæ inſufflat, prout ratiocinatur Tapia *de jur. Regn. tit. de offic. S,R.C. in cit. prag.3.* Sed puerilia hæc ommittamus,

 & bre-

Digitized by Google

& breviter explicamus quid ſibi vult hæc judicialis ſolemnitas, ne Pragmaticorum more, ejus originem, & effectum ignorantes, quidquam ſine mentis perceptione proferamus, & ineptis quæſtionibus hos commentarios oneremus.

V. Cum nihil magis civium tranquillitati officiat, quam lites litibus ſerere, interque eas quam diutius cives detinere; ideo Legumlatores prudentiſſimi ſemper curarunt, ut quoad fieri poſſet celerius, ad exitum illæ perducerentur. Dum res Romanæ antiquis inſtitutis, optimiſque moribus ſtabant, nullæ ferme latæ fuerunt leges, pro litium anfractibus amovendis; nam & actus judiciarii ſimpliciores erant, & ipſimet Judices curabant intra breve dierum ſpatium, cujuſcumque generis controverſiam civilem, aliquando una, interdum duabus, raro tribus actionibus, hoc eſt ſeſſionibus judicialibus, ſententia ſua definire, ut ex variis Ciceronis, aliorumque locis, videre eſt apud Polletum *lib.* 1. *hiſt. for. Rom.* In criminalibus judiciis, ubi ab utraque parte cauſa peracta eſſet, mittebantur in conſilium Judices, ut vel abſolverent reum, vel damnarent. Si de cauſa nondum liqueret, in alium diem cognitionem producebant: dies autem ſi erat incertus, dicebatur *ampliatio*; ſi alter proxime ſequens, *diffuſio*; ſin autem perendinus, ſive tertius, *comperendinatio*, vid. Budæum *annot. ad Pand. in l.* 2. *D. ſi quis caut.*, & Pollet. *lib.* 4. *c.* 15. Verum extincta Republica, cum pacis quæ erant munera, & militiæ, nutu Principis conferrentur, & paucorum ea facta eſſent, nec amplius annua, ut olim; unde major, civium numerus forenſibus negotiis pertractandis incumbere cæpit; & per conſequens augeri litium anfractus, & dilationes; ſiquidem multitudo novas technas, novas complicationes in cauſis peragendis invenire ſolet: ideo paulatim judicia, tam civilia, quam criminalia, non amplius ad dies, aut menſes, ſed aliquando ad annos protendebantur. Quod cum viſum eſſet Juſtiniano, juris remedio aliquo, reformare, ſtatuit in *l. properandum* 13. *C. de judic.*, ut cauſæ criminales intra biennium a die litis conteſtatæ,

civi-

civiles vero intra triennium terminarentur. Cur priores citius terminari voluerit, duplex afferri poteſt ratio; tum quia publice intereſt, crimina ſtatim puniri, præſertim atrociora, nam ut quæque res eſt turpiſſima, ſic maxime, & maturiſſime judicanda eſt, ut eſt apud *Cicer. orat. pro Cæcin.*; tum etiam, quia rei, carceris ſquallore quando diu coercentur, ante condemnationem videntur pœna affici; carcer enim ad continendos homines, non ad puniendos haberi debet, ait Ulp. in *l.* 8. §. *ſolent D. de pœnis*. Quæ regula tum jure pontificio, ex *cap. quamvis de pœnis in* 6., tum noſtro, ex *cap. placuit*, & *cap. quod quaterni* non obſervatur. Monendi hic ſumus, ante Juſtinianum cauſis criminalibus anni ſpatium fuiſſe præfinitum, vid. *tit. in Cod. Theod. ut intra annum criminalis actio terminetur*; ſed eum porrexiſſe ad biennium in *l. ult. C. ut intra certum tempus*, idque confirmaſſe in *cit. l.* 13. Quod vero attinet ad cauſas civiles, videtur omnino nova Imperatoris fuiſſe ſanctio; licet & ſub antecedentibus Imperatoribus idem obtinuiſſe, ex Sidonio Apollinari contendat Ræyardus *lib.* 4. *var. c.* 14. Pænam poſtremo loco addit Imperator, ut ſi actor fuerit in culpa, ne cæptum judicium finiretur, teneatur Judex ſententiam proferre, etiam eo abſente, ſi de cauſa jam liquet; ſecus abſolvatur reus, & actor condemnetur in expenſis legitimis. At ſi reus fuerit in culpa, etiam abſens condemnabitur, expenſaſque ſolvet. Sin autem Judicis negligentia ad exitum lis non fuerit perducta, condemnabitur ille in certam pecuniæ quantitatem; imo removebitur ab officio, dummodo non ſit illuſtri dignitate præditus. Statuit denique pœnam contra Advocatos, Procuratoreſque.

VI. Hanc conſtitutionem, cujus ſumma tantum capita expoſuimus, ſervatam fuiſſe aliquo modo in Regno veriſimile eſt, ſaltem judicia dum minus erant corrupta. Imo biennii, vel triennii ſpatium nimis longum viſum eſt Friderico II., nam in conſtit. *omnes Bajuli* ſtatuit, ut omnes Judices intra bimeſtre tempus a die citationis teneantur cauſas in eorum judiciis inchoatas definire; niſi

Digitized by Google

vel probationes e longinquo petendæ, vel aliud manifeſtiſſimum impedimentum, majus ſpatium expoſtulaverint. Credendum autem eſt, eam conſtitutionem vix ad uſum revocatam fuiſſe, & potius jus Romanum ſervatum. Quod manifeſte oſtendit *rit.*248. *M. C.*, ubi conſtitutio Juſtiniani confirmatur. At ex verbis ejuſdem *ritus* adparet, ſæpius a Principe impetrari ſolitam legitimi temporis prorogationem. Quæ conſuetudo cum perdurabat ætate Alphonſi I., factum eſt, ut ſupplex libellus pro biennii, vel triennii prorogatione coram eo porrigeretur in Sacro Conſilio, quod erat Tribunal ab eodemet Rege noviter inſtituto; & inde uſus permanſit, ut deinceps tales prorogationes in eodem Sacro Conſilio fierent; quæ nihil aliud ſunt, quam diſpenſationes juris ſcripti; quemadmodum pro alienatione rerum dotalium, quæ jure prohibita eſt, petitur diſpenſatio; pro alienatione feudi &c. Hanc eandem facultatem tradunt rerum noſtrarum Hiſtorici, tributam quoque fuiſſe a Ferdinando I. Aragonenſi ob ſpecialem fidem Civitatis Aletii, ejus Audientiæ Tribunali. Diviſa autem Provincia in duas partes, retinet adhuc utrobique eandem prærogativam. Hæc prorogatio dicta fuit *inſufflatio ſpiritus* ex forenſi uſu: Sed minus recte; etenim tali modo loquendi denotatur tantum, inſtantiam jam peremtam reviviſcere; cum alioquin ſatis conſtat, etiam ante lapſum temporis legitimi, poſſe peti a Principe prorogationem. Scio non ſemel dubitatum, an *inſufflatio ſpiritus* præciſe requiratur, dum cauſa agitatur in Sacro Conſilio; nam ex noſtris non defuerunt, qui eam opinionem tutati ſunt, in Tribunalibus inferioribus id neceſſarium eſſe, ſed in Sacro Conſilio id fieri *ad majorem cautelam*, ut loquitur Capyciuslatr. *deciſ.*68. *num.*12.

VII. Verum noſtris temporibus rectius publico bono conſuleretur, ſi hæc omnia prorſus è Judiciorum ſolemnibus removerentur, nam ex iis optima occaſio oblata eſt dilationibus fovendis; ſiquidem dum ſemel invaluit opinio, leges, quæ certum tempus litibus finiendis ſtatuunt, non poſſe amplius obſervari, vid. Tapiam in *d. conſt. omnes Bajuli*,

juri, ob negotiorum, & cauſarum multitudinem; quaſi id eſſet vitium ætatis, non hominum, & perverſæ conſuetudinis introductæ cauſarum agendarum; Doctorum concertationes, ſophiſmata, & falſæ interpretationes mirum in modum auctæ ſunt; ut præ cæteris videre eſt apud cit. Capyciumlat., de Franchis *deciſ.*643. Petr. in *d. rit.*248., alioſque paſſim. His adde, quod utplurimum ipſis Judicibus cauſarum expediendarum mora tribui ſolet; qui ſive multifaria earum mole occupati, ſive pigritia, legum pœnis cenſentur exemti ex verbis *prag. unic. de inſtant. cauſ. non reſt.*, quæ ſic se habent: *Inſtantia cauſæ a jure præfixa, ſi decurſa fuerit per negligentiam partis, nullatenus reſtituatur, niſi refectis expenſis. Si autem culpa Judicis, tunc reſtituta intelligatur. Et intelligatur per Judicem ſtetiſſe, ſi per duos menſes ante lapſum inſtantiæ, proceſſus concluſus ipſi Judici fuerit præſentatus cum petitione, & proteſtatione, ut ad expeditionem cauſæ procedere debeat.* Sed quoniam hæc pragmatica nihil decernit contra negligentiam Judicis; hinc non minus Litigantium, quam Advocatorum, Procuratorumque frequentiſſimæ querelæ, non dierum, nec menſium, ſed aliquando plurium annorum elapſo jam ſpatio, *proceſſus* confectos jam, ſive *compilatos*; ſub tignis, & pulvere deliteſcere; & fruſtra iterum, atque iterum peti cauſarum expeditiones. Et quod pernicioſius eſt, inde oriri ſolet ſive ad gratiam, ſive ad vindictam, ſive ad avaritiam, opportuna occaſio; quoniam alieno in arbitrio poſitum eſt, utrum breviſſimo, an longiſſimo temporis intervallo cauſa debeat terminari. Sed quærelarum pluſquam ſatis.

VIII. Omittendum tantum hic non eſt, *inſufflationem ſpiritus* in cauſis tantum civilibus habere locum; non in criminalibus, ut tradit Tapia *loc. cit.* Sed quoniam innumera ſunt in foro introducta, cujus nulla omnino reddi poteſt ratio, niſi tantum quod ita placuerit veteribus Pragmaticis, Actorum Magiſtris, Scribis, Apparitoribus, unde poſtmodum in vim legis tranſierunt; ideo, dum hæc tradunt noſtri, cur ita obſervetur non exponunt. Nam ſi *in-*

Digitized by Google

inſufflatio ſpiritus fit nomine Regio. a Præſide Sacri Conſilii, cur idem fieri non debeat in cauſis criminalibus, non video; niſi velimus adſerere, ad criminalia judicia Principis authoritatem non porrigi. Refert autem de Franchis *deciſ.* 250., ſua ætate uſum fuiſſe, ut Scribæ fiſcales ſupplicationes Proregibus porrigerent, pro cauſarum criminalium prorogatione. Sed quam male id ceſſerit aliquando, ex ejuſdem verbis adparet; nam cum dubiæ fidei ſit id hominum genus, non ſemel ſive malitia, ſive negligentia omittebatur prorogatio, unde rei eximerentur a pœnis delictorum. Quapropter, ne deinceps tale incommodum eveniret, generali ſanctione in *pragm.* 50. *de offic. Magiſt. Juſt.* ſtatutum eſt, ut in cauſis criminalibus nunquam ex lapſu temporis accuſatio irrita fieret, ſeu perimeretur inſtantia. Quod licet primo ſtatutum tantum fuerit de criminalibus judiciis in Magna Curia inſtitutis; tamen deinde eadem pragmatica ampliata fuit ad omnia hujus Civitatis Tribunalia, etiam ubi non juris ordinarii ſit cognitio, ſed extraordinarii, hoc eſt ubi proceditur ex delegatione. Demum & in Regiis Audientiis idem obſervandum mandatur in *prag.* 10. §. 33. *de offic. Jud.* At quid dicemus de Curiis inferioribus? Negant communiter Doctores, ſuperiores leges in iis locum habere, quia ratio non eadem eſt; nam in Magna Curia, & Regiis Audientiis ob cauſarum multitudinem id factum eſt, quod in dictis Curiis ſecus se habet. Verum undenam multitudo cauſarum, ex qua inutiles factæ ſunt tot juſtiſſimæ Romanarum Legum proviſiones, ad hoc ut cauſæ quanto citius ad exitum perducantur, tum ne homines inter lites, & forenſes concertationes omnem pene ætatem agere teneantur, tum ne perverſorum creſcat audacia, quoties reorum pœnæ ſtatim poſt commiſſa crimina non exiguntur? Omitto hic generaliter definire, utrum id evenerit, ex nimia morum corruptela, unde homines ad litigandum, & cavillandum propenſiores facti ſunt; an ex ſtrophis, antiſtrophiſque forenſibus noviter inventis, & ex noſtra legum ignorantia, & malitia, dum modus invenitur, juſti, injuſtique regulas omnes ad arbitrium voluntatis referendi. IX,

IX. Sed age reliqua breviter proponamus, quæ noſtris legibus ſpecialiter caventur circa munus Præſidis Sacri Conſilii. Inter eos, qui in hac Civitate conſtituti ſunt pro rerum ad publicum uſum pertinentium cura, adeſt Præfectus qui dicitur annonæ, prout olim adpellabatur in Imperio Orientali, qua de re ſuo loco diſputabimus. Ab eo ſane adpellatio ad Præſidem Sacri Conſilii interponitur, qui tamen prohibetur in *prag.6.*§.3.*de official.*, *& his*, *quæ eis &c.* pro arbitrio pœnas a Præfecto decretas imminuere, aut commutare; nam omnino tenetur, prout juris ordo expoſtulat, priorem ſententiam aut confirmare, aut reſcindere. At, ſi quando ob dubiam facti ſpeciem, ei videbitur moderatione aliqua uti, debebit rem omnem in Sacro Conſilio proponere, & ex ſuffragio Conſiliariorum unius Aulæ definire. Solebat olim Præſes S. C. cauſas non magni momenti, quas *ſummarias* noſtri dicunt, abſque judicii ſolemnibus, domi, veluti de plano, definire. Quod cum non leve impedimentum ejus muneri afferret; ideo in *prag.* 1. §. 5. *de cauſ. decid.* mandatur, ne deinceps id fiat; ſed ut cauſæ hujuſcemodi in Magna Curia dijudicentur. Quamvis arbitrarium ſit Præſidi, cuinam ex Aulis Sacri Conſilii velit adeſſe, dum lites diſceptantur, & feruntur ſententiæ ex *prag.* 41. §. 1. *de offic. S. C.*; tamen ſtatuitur in *prag.* 65. *eod. tit.*, ut debeat ille omnino præſens eſſe, ubi decernendum eſt de oculari inſpectione Judicis in re controverſa; ſeu, ut loquitur pragmatica, in *interpoſitione decreti pro acceſſu*. Ratio legis videtur eſſe, ne occaſione lucri captandi, facile ejuſmodi feretur decretum, etiam ubi minus neceſſarium eſt. Quoties aliquo impedimento detinetur Præſes, unde quæ ſui muneris ſunt, perficere nequit, qui antiquior eſt inter Conſiliarios, vulgo Decanus, eadem adimplet. Hac autem in re notabile eſt quod ex uſu jam recepto confirmatur in *prag.*83. *eod.tit.*, ut ſi quando ſupplicatio proponenda ſit, continens *ſuſpectionem* Præſidis, ea legatur in Aula, ubi adeſt Decanus, qui inter ſocios re diſcuſſa, deſignet Commiſſarium; & commiſſionis decretum notetur fieri

per

per *Sacrum Conſilium*. Statuitur præterea, ut certior reddatur Commiſſarius jam antea deſignatus, ſi quando decernendum ſit aliquid circa *incidentia*, & ille reſideat in diverſa Aula. Denique ad officium Præſidis nominatim pertinet, quocumque modo legitimo curare, ut omnes inutiles dilationes, per fraudem propoſitæ exceptiones, & cavillationes amoveantur, cujus rei non deſunt exempla in libris Pragmaticarum. Huc pertinet quod in *prag. Regis noſtri an.* 1738. *menſ. Mart.* §. 3. *nu.* 6. cavetur, ut in decreto Præſidis circa cauſarum commiſſiones non omittatur clauſula jam introducta: *dummodo tamen cauſa non fuerit cœpta in M.C.V.* Et recte, ut occurratur conſuetis fraudibus litis prolatandæ, dum una, eademque cauſa in diverſis Tribunalibus reperitur propoſita. Additur in eadem pragmatica, nunquam in Sacro Conſilio recipiendas eſſe petitiones, quæ non contineant ſummam ultra aureos quadringentos; & pœna aureorum viginti afficiendum Magiſtrum Actorum, qui minoris ſummæ ſupplicationes admiſerit, & ſubſcripſerit; Conſiliariumque Commiſſarium, ſive fraude jam cognita, ſive errore, teneri ſtatim eas ad Magnam Curiam transmittere definiendas. Denique ad munus quoque Præſidis ſpectat, certam methodum adhibere, ut ordine, atque confuſione omni ſublata, cauſæ ad exitum quanto citius perducantur. Hinc confirmetur in ead. *prag. n.* 10. quod pluries ſancitum fuerat, nempe ut diebus jam deſignatis ad relationes cauſarum examinandas de decretis jam latis per Judices Magnæ Curiæ, nullæ aliæ in Sacro Conſilio cujuſcumque generis lites agitentur; ne ſcilicet illis importuna mora addatur. Huc quoque facit proviſio *prag.* 10. §. 10. *cit. tit.* illis verbis: *Prima cujuſque menſis die juridica, convenientes in unum Sacri Conſilii Præſes, & Conſiliarii omnes, percurrant cauſas prædictas concluſas, diſcutiantque inter ſe qualitatem cauſarum, perſonarum, ac antiquitatem diligenter penſantes, & illas, quas ab his communiter concluſum fuerit per unumquemque Conſiliariorum ſua hora in expeditione præferri, & eo menſe expediri debere, in ſchedula, ſive nota*

ſcri-

ſcribantur, affigenda in valvis Sacri Conſilii, ut omnibus innoteſcat; poſſintque litigantes, ac eorum Advocati, & Procuratores certi, & inſtructi venire ad ſuarum defenſionem cauſarum. Addendum huic legi ex *pragm. 72. eod. tit.*, nullum præjudicium afferendum cauſis primo loco concluſis, nec etiam ſub prætextu alterius cauſæ, ſive ſummariæ, ſive aliquo privilegio munitæ; nam, ſi quæ ſunt hujus generis cauſæ; mandatur, ut pertractentur ſingulis Saturni diebus.

C A P. IV.

De authoritate, atque munere Conſiliariorum.

INTER quæſtiones, quas agitare ſolent Pragmatici, celebris eſt illa: utrum Sacri Conſilii; qui deſtinantur a Principe ad judicandum, Senatores, propriam, ſive ordinariam juriſdictionem habeant, an vero mandatam, ſive eam, quæ, ut utar verbis Juliani in *l. 5. D. de juriſd.* non proprio jure, ſed alieno beneficio habetur. Communiter in hanc ſententiam itum eſt, Conſiliarios a reliquis aliorum Tribunalium, ut Regiæ Cameræ, Magnæ Curiæ &c. Judicibus diſtingui, quod illi ſint delegati, hi vero ordinarii. Præ cæteris Rovitus, qui non uno in loco hanc opinionem tuetur, rationem aſſignat, & inde effectum proponit his verbis in commentario ad *rubr. de offic. S.R.C.*: *Regii Conſiliarii ſinguli, ut ſinguli, non dicuntur Judices ordinarii, ſed delegati; ex quo non poſſunt procedere, niſi in cauſis unicuique ſpecialiter commiſſis . . . . ; ſecus in Magna Curia Vicariæ, cujus Judices, etiam ſinguli ſunt ordinarii, & quod unus incipit, poteſt alter finire abſque commiſſione; quæ poſtmodum fuit introducta ad evitandam confuſionem; & illa commiſſio eſt potius diſtributio cauſarum, quam delegatio, ut tradit de Franchis deciſ. 143. &c.* Et in *prag. 1. num. 3. de cauſ. decid.*, tanquam ſi ad Juriſprudentiæ arcana penetraſſet, inquirendo, cur in Sacro Conſilio in paritate ſuffragiorum dentur adjuncti, & in Regia Camera ſententia feratur pro reo, ait: *Sed*

 hoc

Digitized by Google

hoc non procedit in Tribunali Regiæ Cameræ Summariæ, in qua, data paritate votorum, ſententia nec profertur pro ea parte, in quam inclinat votum Locumtenentis; nec dantur adjuncti, ſed profertur pro reo . . . . Ratio differentiæ, licet non invenerim ab aliquo tactam, ea eſt, judicio meo. . . . . . . ſiquidem Regii Conſiliarii dicuntur Judices delegati, ſed Præſidentes Reg. Cam. ſunt Judices ordinarii &c. Hæc omnia, & Romanarum, & noſtrarum legum regulis adverſantur; imo ipſam Conſiliariorum authoritatem offendunt, ut nihil dicam de confuſione vocabulorum, juriſdictionis ordinariæ, ac delegatæ; nam apud Romanos, qui vel a Populo ſub libera Republica creabantur Magiſtratus, vel a Principe ſub Imperio, omnes ordinarii erant Judices, unde proprio jure exercebant juriſdictionem: ab iis autem mandari, ſive delegari poterat juriſdictio, vel univerſa, vel pars tantum, vid. *Noodt de juriſd. lib.2. cap.2.* Mandata juriſdictione, totum officium juris dicendi transfertur, ait *l.1. §. an autem D. de ſuſpect. tutor.* ſcilicet & cognitio, & exequutio, ideſt imperium mixtum, ſine quo juriſdictio exerceri non poteſt; merum autem imperium non transfertur, *l.1. in fin. D. de offic. ejus, cui mand. eſt juriſd.* Cur autem non potuerit mandari imperium merum, hæc redditur ratio a Papiniano in *d. l. 1. in princ.*, quia illud non competit jure Magiſtratus, ſed ex ſpeciali conceſſione: & omnia, quæ ſpecialiter lege, vel ſenatuſconſulto, vel conſtitutione Principum tribuuntur, mandata juriſdictione non tranſeunt. Igitur Romanas leges ſi conſideremus, delegati Judices dici non poſſunt Conſiliarii, quia & juriſdictio, & merum imperium iis competit. Adhæc, quomodo delegati dicentur Judices, qui perpetuo duraturi conſtituuntur a Principe, authoritatemque accipiunt non ab aliquo Magiſtratu, ſed a jure ipſo, & a legibus, inſtitutiſque Majorum? Dicet fortaſſe aliquis: nonne Conſiliarius juriſdictionem nullam habet, niſi ſpecialiter huic, vel illi negotio, huic, vel illi cauſæ nominatim deſignetur a Præſide? Hoc argumentum cum nimis probet, nihil omnino concludit; nam ex

eo

eo efficeretur, non delegatos Judices, ſed magis datos, appellandos eſſe Conſiliarios. Extitit Romæ, & in Provinciis Judices dati, qui in decurias, inque album a Prætore, vel Præſide referebantur; eoſque *ſelectos* adpellat Cicero *orat. pro Cluent.* Gellius *noct. attic. lib.*14. *c.*2. de ſe ipſo loquens: *Quo primum tempore a Prætoribus lectus in Judicem ſum, ut judicia, quæ appellantur privata, ſuſciperem &c.* Ex horum Judicum numero, ſive ſorte, ſive litigantium conſenſu, qui dabantur ſingulis negotiis, dicebantur Judices dati; ſed juriſdictionem nullam habebant; & notio, ſive cognitio tantum controverſiæ; & prolatio ſententiæ, eis competebat: cæterum exequutio ad Magiſtratum pertinebat, a quo dati erant, *l.* 5., *& l. a Divo Pio* 15. *D. de re judic.* Si igitur nullam dicimus Conſiliariis ineſſe juriſdictionem, niſi poſtquam Præſes eorum unicuique certas cauſas aſſignavit, ſive commiſit, ſequitur, nec delegatos eos dici poſſe; ſed magis datos Judices, quibus notio competit ſolummodo. Quod utique aſſerere abſurdiſſimum eſt; cum eorum unuſquiſque ſummi Magiſtratus authoritate fungatur, & jus habeat ſententiæ proferendæ, ejuſque exequendæ.

II. Verum hujuſmodi, & ſi qui ſunt ejuſdem generis errores, originem ducunt, ex quo noſtris placuit, a Romanorum inſtitutis, atque legibus exempla, & argumenta deſumere; ad officium, atque authoritatem noſtrorum Magiſtratuum explicandam. Sacrum Conſilium, ut jam dictum eſt, ex primæva ſua inſtitutione, nihil omnino commune habuit cum antiquis Magiſtratibus. Conſilium illud erat Regis, ubi ſubditorum petitiones, adverſus ea, quæ minus recte inferiores Judices decreverant, dijudicabantur; unde quo magis ordinate procederetur, ſolebat ipſe Rex ſingulas petitiones, ſingulis Conſiliariis examinandas committere, ut demum coram omnibus referretur, & quid juſtum foret, decerneretur. Omnibus Conſiliariis, quemadmodum & Præſidi, jam dederat Rex, dum eos elegerat, facultatem juris dicendi, quam exercere non poterant, niſi ubi ſeſe occaſio dabat. Quod utique non eve-

niebat, niſi vel ubi ſinguli quid decernere neceſſe habebant in re ſibi ſpecialiter commiſſa; vel ubi omnes ſimul conveniebant ad integrum negotium terminandum. Qua in re ferendus non eſt idem Rovitus, dum aſſerit, eo tantum caſu ordinarios Judices eſſe Conſiliarios, quando *ſunt ſimul congregati, & ſic conſtituunt Sacrum Conſilium*; nam ſi non ſunt Judices ordinarii, ut ipſe opinatur, jure ſuo, quomodo poterunt eſſe ubi ſimul conveniunt? Præterea, ex quo Rex amplius non præfuit Sacro Conſilio, quæro quiſnam, Conſiliarios cœpit facere Judices delegatos? Non utique Præſes, quia, ut alibi expoſuimus, legibus Regni cuicumque Magiſtratui interdictum eſt juriſdictionem mandare. Non Rex ipſe, qui creato jam Conſiliario, eique conſueta authoritate attributa, in cauſis ordinariæ cognitionis, nullam ſolet delegationem impertire. Nec movemur exemplo Judicum Magnæ Curiæ, qui poſſunt procedere in cauſis abſque commiſſione; nam ejus Tribunalis inſtitutio diverſa fuit a Sacro Conſilio; & diſtributio cauſarum poſtmodum introducta fuit, ut ait de Franch. *loc.cit.*, ad vitandam confuſionem. At in Sac. Conſ. hæc diſtributio & cœpit ab initio, & ejus Tribunalis præcipua fuit forma. Nec rurſus movemur ratione per Rovitum adducta, quod in Regia Camera, quia Præſides ſunt Judices ordinarii, non dantur adjuncti, prout in Sacro Conſilio, ubi ſunt delegati; nam ex hac diſtinctione, primo ſecum pugnat Rovitus; etenim in Magna Curia in ſuffragiorum paritate dantur quoque adjuncti, & nihilominus ipſe docet, ibi Judices eſſe ordinarios. Deinde, cur in Regia Camera non dentur adjuncti, vulgaris admodum ratio eſt; ſiquidem cum illud ſit Tribunal, in quo cauſæ agitantur ad Fiſcum Principis pertinentes; in dubiis quæſtionibus, prout ſunt eæ præſertim, in quibus par numerus ſuffragiorum ex utraque parte judicantium fuit, ſemper contra Fiſcum reſpondendum eſt; & propterea non eſt opus, alios Judices addere quæſtioni jam finitæ; ſiquidem ipſa paritas ſuffragiorum jam eſt ſententia prolata contra Fiſcum. Et hic alius Roviti error depre-

Digitized by Google

prehenditur, qui *loc. cit.* ſcribit: *In Regia Camera, data paritate votorum, ſententia profertur pro reo ex l. inter pares* 38. *D. de re jud.*; nam dicere potius debuiſſet *contra Fiſcum*; nam iſtis verbis ſupponit Rovitus, Fiſcum ſemper eſſe actorem, cum poſſit aliquando eſſe reus; quo caſu ſecundum regulas Romani juris, in *l. non puto* 10. *D. de jure fiſci*, in paritate votorum non erit pro reo ſententia; ſed contra reum; quia in tali dubio condemnabitur Fiſcus.

III. Sed videamus, quid ſpecialiter de ſingulis Conſiliariis cautum ſit noſtris legibus. Primum omnium, qui Commiſſarius dicitur, actibus judiciariis perficiendis incumbere debet, ut iis demum compilatis, quid ſit controverſia, quæque probationes ab utraque parte factæ ſint, coram cæteris, qui ſunt in eadem Aula, referre poſſit; unde ſecundum ea, quæ propoſita ſunt, dijudicabitur. Ut autem id commodius perficiatur, ſtatuitur in *prag.* 14. *de offic. S.R.C.*, ut teneatur Commiſſarius, *poſt prandium domi ſuæ, qualibet die juridica, omni, qua decens eſt, patientia, gravitateque, Litigantes, Procuratores, & Advocatos, duobus ad minus horis audire*. Quæ ſunt interloquutoriæ ſententiæ, proferuntur a ſolo Commiſſario: qui tamen poteſt relationem facere in Aula, ſi vel negotii ipſius id exigat natura; vel non levis momenti dubitatio exiſtat, unde plurium opus ſit conſilio, & deliberatione, antequam decretum proferatur *prag.* 16. *eod. tit.* Caverat olim Rex Ferdinandus, ut eſt in *prag.* 15. *eod. tit.* Commiſſarios cauſarum una cum Actorum Notariis examinationi teſtium intereſſe debere, ne per falſitatem, corruptelamve litigantibus damnum adferretur. Verum ob cauſarum multitudinem, quarum expeditioni vacare non poterant Commiſſarii, id immutatum fuit a Duce Alcalenſi, ſub Regno Philippi II., in *ead. prag. in fin.*, & ſtatutum, ut deinceps tantum *ex urgenti, & rationabili cauſa* Commiſſarius teſtes audiat, nec quidquam recipiat a litigantibus, ubi examen intra hanc Civitatem fit; cæterum in omnibus aliis negotiis ſpeciales Examinatores quadra-

draginta eligantur a Præſide, cautionemque præſtent *de bene, legaliter, & fideliter adminiſtrando, & exercendo officium*. Hi dicuntur vulgo Examinatores Sacri Conſilii; qui poſtmodum aucti ſunt uſque ad quinquaginta; eorumque electioni in ſingulis cauſis certa forma impoſita eſt in *prag.68. eod.* Placuit tamen eidem Philippo II. poteſtatem creandi hujuſmodi Examinatores, Præſidi, & Proregi auferre, ſibique reſervare; poſtquam in Sacro Conſilio approbati fuerint *prag. 69. eod.*

IV. Caverat etiam olim idem Rex Ferdinandus Primus *prag. 9. eod.*, ut ex ſingulis Conſiliariis, pro cauſis commiſſis expediendis, cuilibet duæ dietæ concederentur; ſcilicet, ut una die proponere poſſet ſententias diffinitivas, hoc eſt cauſas, quæ diffinitiva ſententia eſſent terminandæ; altera vero incidentia; hoc eſt referre ſuper ſententia interloquutoria, ſi quando, ut modo diximus, res ipſa id expoſtulabit. Verum in *fin. ejuſd. prag.* extant verba Ducis Alcalenſis, quibus ſignificatur, experientiam docuiſſe commodiorem formam; nempe, ut cauſæ referendæ, & expediendæ diſtribuantur per horas. Sed dubitaveris libenter, an prudentiſſimi Regis proviſio immutata, majus attulerit incommodum, & impedimentum cauſis terminandis; etenim qui Commiſſarius ſtatuta die cauſas tantum ſibi commiſſas proponere debet, ne otioſi ſint cæteri Senatores, omnino curabit paratus venire ad referendum; & ubi uno, eodemque die, plures referre poterunt, qui negligentior, & moroſior eſt, facile ſe tuetur aliorum induſtria, & promtitudine in cauſis expediendis; ut nihil dicam de calliditate quorundam in acceleranda, vel differenda ad arbitrium relatione, ſive ex odio, ſive ex amicitia; unde occaſio vel nocendi, vel gratificandi oritur.

V. Quoties Commiſſarius incæpit, ſtatuta jam die, alicujus cauſæ relationem facere, ſi nondum ad finem poterit perduci, mandatur in *prag.4. §.11. de dilation.*, ut die ſequenti continuetur, ne mora negotio expediendo imponatur. Quod ſi dies, vel fuerit feriata, vel ad appellationes a Magna Curia audiendas deſtinata, ad proxime ſequen-

ſequentem transferetur relatio jam incæpta; nec poterit intermitti, donec finiatur. Et demum, ad Commiſſarium pertinebit, decretum interponere, quo declaretur, cauſam jam introductam, ad ejuſque expeditionem procedendum eſſe, aſſignata certa die cum dilatione competenti, ut commodius Advocati, Procuratoreſque de univerſo negotio, & de jure litigantium certiores reddere poſſint omnes, qui ad judicandum convenire debent. Quæ eadem mandatur obſervari debere, & in cæteris Tribunalibus. Statuitur præterea in §. 12., ut dum fit decretum introductionis cauſæ, annotentur nomina omnium Conſiliariorum, qui in relatione fuerunt præſentes. Quod ſi eorum aliquis vel juſto impedimento detineatur, vel ad aliud munus fuerit deſtinatum, cavetur in §. 13., debere eum in ſcriptis ſuffragium redigere, & tranſmittere in Sacrum Conſilium. Sed hoc abrogavit *prag. ult. de cauſ. decid.*, ſtatuitque, propter modici temporis abſentiam, deciſionem cauſæ differendam, quoties non adeſt cæterorum numerus jure præfinitus ad decidendum; nam ſecus qui præſentes ſunt, poterunt recte ſententiam pronunciare.

VI. Sunt juſtæ, & legitimæ cauſæ, unde non ſolum Romanis, ſed & noſtris legibus permittitur recuſatio Judicis, prout ſuo loco dicemus. Quod ipſum & adverſus Commiſſarium cauſæ obtinet. Verum, ne ex ſuſpectione propoſita, actuum judicialium confectio interrumpatur, decernitur in *prag.* 10. §. 2. *de ſuſpic. offic.*, ut teneatur Commiſſarius procedere ad omnes actus, & decreta interloquutoria, eodem modo, ac fiebat ante ſuſpectionem, *uſque ad ultimam ſententiam difinitivam excluſive*; adeout etiamſi decretum fuerit, cauſas recuſandi Judicis veras eſſe (vulgo *ſuſpectionem militare*), actus jam confecti conſiſtant.

VII. Quod attinet ad cæteros Conſiliarios, hæc præcipua, & notatu digna habentur in noſtris legibus. Prohibentur iis ſedentibus in Conſilio, loqui, conſultationeſque proponere, atque reſpondere, niſi interrogati fuerint a Præſide, vel eo abſente, a Collega antiquiori, qui Præſi-

dis

dis vicem ſuſtinet *prag*.8. *de offic. S. R. C.* Quod intelligendum eſt, prudentia quadam, & moderatione adhibita. Prohibetur iis, ſive in ſupplici libello, ſive in quocumque alia ſcriptura, quidquam decernere, propriaque manu ſcribere, mandare, abſque interventu Magiſtri Actorum, aut Scribæ, & abſque litigantium, quando eorum intereſt, ſcientia *prag*.71. §.13. *eod.tit.* Quæ, licet nominatim loquatur de Commiſſario; tamen ob generalem rationem, ne ſcilicet aliquid fiat contra formam legitimam, & ſolemnem, accipienda utique eſt de quocumque Judice. Prohibentur mercaturæ dare operam, & participes eſſe, ſive per se, ſive per interpoſitam perſonam, in contractibus cujuſcumque generis, ad Regiam Curiam pertinentibus *prag. un. de mercat. offic. prohib.* Quæ prohibitio generalis eſt in omnibus Officialibus Regiis, vid. *prag*. 14. §. 5. *de official. & his quæ eis &c.*; idque privilegium ſpeciale eſt Regno conceſſum a Ferdinando Catholico, vid. *vol*. 1. *privileg. pag*. 89., ubi interdicitur quibuſcumque Officialibus, tum pro adminiſtratione juſtitiæ, tum pro quocumque alio publico munere conſtitutis, incumbere negotiationibus, in locis, in quibus adminiſtrant. Ratio ſuperiorum legum manifeſta eſt, ne in iis, quæ eorum intereſt, facile poſſint Officiales ob privatum commodum, juſti, rectique regulas ſubvertere. Quæ eadem occaſionem dedit *prag*. 5. *cit. tit. de officialibus &c.*, qua eis prohibetur ſive petere, ſive a ſponte dantibus accipere, tum directe, tum indirecte officia Baronalia pro filiis, conſanguineis, amiciſve; niſi antea certior Princeps reddatur. Quod idem ſtatuitur in *prag*. circa beneficia eccleſiaſtica; & confirmatur in *cit. pragm*. 14. Sed hæc, ut ferme ſolent omnia, quæ publicam utilitatem privatæ anteponunt, aut parum, aut nihil ſervantur.

VIII. Ratio, ac methodus ferendæ ſententiæ ab unoquoque ex Conſiliariis, propoſita eſt in *prag*. 13. *de offic. S. R. C.*, ubi Rex Ferdinandus Primus voluit aliquo modo imitari Senatus Romani conſuetudinem. Et ſane ex iis, quæ memoriæ tradiderunt viri doctiſſimi, præſertim Hotomanus,

Digitized by Google

tomanus, & Manutius, ſatis conſtat, quoties non per diſceſſionem fiebat Senatuſconſultum, ſed per ſingulorum ſententias exquiſitas, poſt relationem Conſulis, aut alterius ex majoribus Magiſtratibus, primum rogari ſolitum, ad ſententiam proferendam, eum, qui Princeps Senatus lectus erat a Cenſoribus; deinde eos, qui Conſuli videbantur; ita tamen, ut quidam ordo ſervaretur inter gradus Magiſtratuum. Quod aliquando immutatum fuiſſe notat idem Manutius *de Senat. Rom.* Ferdinandus igitur ſtatuit, ut *poſt cauſæ relationem*, cum penſitata omnia, & diſcuſſa fuerint, vota exquirantur per eum, qui in Conſilio præſidebit; ita tamen, ut Relatoris, ſive Commiſſarii prius exquiratur ſuffragium: *poſt quem* (ſunt verba Regis) *pari modo alii quoque Conſiliarii, quo fuerunt ordine interrogati, ſecundum Deum, rectamque animi conſcientiam, libere, atque ſimpliciter vota ſua, ſententiaſque explicabunt; nihil ex dictis, & allegatis per alios, repetentes; ſatis enim fuerit, opinionem, in qua ſint, declarare*. Quamvis autem hæc expreſſis verbis ſtatuta ſint, tamen placuit noſtris, magis Doctorum opiniones inveſtigare, quam legem ſcriptam attendere, ut videre eſt *in prima deciſ.* Matthæi de Afflictis, qui in utramque partem diſputans, ſcilicet in ferenda ſententia, juniores, an ſeniores præferendi ſint, tandem concludit, ex more diutius obſervato, *Conſiliarius, qui eſt delegatus in cauſa* (rectius dixiſſet, qui eſt Commiſſarius) *primò dat votum, & demum qui ultimo intravit in Conſilium*. Hæc ſane conſuetudo non eſt abjicienda; ſed Pragmaticorum oſcitantia in eo verſatur, quod de lege Ferdinandi nulla habita ratione, fortaſſis quia eam vel non legerunt, vel non percæperunt, ad inanes diſputationes recurrunt, ut fecit Antonius Romanus, qui *cap.* 1. *præſt.*12., eam conſuetudinem inter præſtantias Sacri Conſilii numerat; quaſi aliquid detraheretur de dignitate ejus Tribunalis, ſi a Præſide rogarentur ſententiæ, aut ſi primo loco ſuffragium ferrent ſeniores. Majori autem negligentia laborat Tapia, qui in *commentario ad eam pragm.* ſic ſcribit: *In iſta pragmatica traditur forma votandi cauſas;*

S ſ

ſas; & primum votum debet eſſe Commiſſarii. Sed non exprimitur quis poſt ejus votum debeat ſententiam ſuam proferre; an ſit ab antiquioribus, vel a junioribus inchoandum &c.

IX. Statuit præterea in eadem lege Ferdinandus, ut *non debeat nec Relatòr, nec alius ex Conſiliariis, Collegas ſuos, dicentes ſententiam, perturbare; niſi aliter ſe rem habere, quam ab eo, qui ſententiam dicit, præſupponatur; vel aliquid aliud in facto admonere velint*. Vota autem libere, atque ſimpliciter explicanda ſunt; nec repetenda ex dictis, & allegatis per alios. Permittitur tantum unicuique rationem ſuæ ſententiæ adducere, & cur a contraria aliorum diſceſſerit, proponere. Sed num poterit qui priore loco ſententiam dixit, eam immutare, ob ea, quæ noviſſime ab aliis enunciata ſunt; unde cauſam habeat, in contrariam partem diſcedendi? Affirmant communiter noſtri; idque & uſus probat, & exemplum Senatus Romani, in quo jus aliquando erat Senatori, a ſententia, quam ſemel dixerat, ſi probabile quid contra afferretur, deduci: aut ſi ambigua foret, nec facilis explicatu, illam interpretari, vid. Alexand. ab Alexand. *gen. dier.4.c.*11. Imo & univerſo Sac. Conſilio ſententiam reformare ex juſtis cauſis datum eſt, vid. Afflict. *dec.*58.*n.*9. Quod tamen intelligitur ante ejus promulgationem; nam ea ſequuta, functus eſt Judex officio ſuo. Quo ſenſu accipienda eſt regula, *l. Judex* 55. *D. de re judic.* Sed quamvis in *cit. deciſ.* de Afflictis referat, Sacrum Conſilium, poſtquam tulerat jam ſententiam, eam ſequenti die mutaſſe; tamen poſt decretum Ducis Alcalenſis, relatum in *cit. prag.*13. §.6., id videtur amplius non permitti; ſiquidem ibi mandatur, *cauſa votata, debere ſcribi incontinenti ejus concluſionem, communi voto, vel in diſcordia, antequam recedatur a loco Conſilii. Et facta, & ſcripta concluſione votorum; non poſſe mutari illius ſubſtantiam inconſulto Principe; ſed ſecundum ipſam concluſionem debere omnino ferri ſententiam infra ſex dies immediate ſequentes*. Quod ſpatium ſex dierum amplius non expectatur; nam in §. 10., & 11. *ejuſ-*

Digitized by Google

ejuſdem prag. ex Regia proviſione jubetur, publicationem votorum fieri debere die immediate ſequenti. Statuerat jam Rex Ferdinandus in *ead. prag.*, Secretarium Sacri Conſilii intereſſe debere, dum ſuffragia feruntur a Conſiliariis, ad hoc, ut ea, concluſionemque diſceptationis adnotare poſſet in codice, ſive *regeſto*. Verum in §. 2., jubet, ſententiam jam prolatam, prius Relatoris, mox Præſidis manu ſignari, ſignatamque, ut in regeſto notetur, Secretario tradi debere. At in §. 7. ex decreto Ducis Alcalenſis decernitur, tantum a Relatore, hoc eſt Commiſſario, ſententiam *videndam*, & *ipſius manu ſubſcribendam*. Ex conſuetudine, ſive *ſtylo*, ut ſcribit Antonius Romanus *loc. cit. præſt.* 36. *num.*7., obſervatur, ut ſententiæ tantum definitivæ ſubſcribantur a Commiſſario; cæteræ, quæ dicuntur interloquutoriæ, a Secretario. De ratione promulgandi ſententias in Sacro Conſilio, mox dicemus in cap. ſequenti.

C A P. V.

De authoritate, & prærogativis totius Sacri Conſilii.

HACTENUS explicavimus, quæ ſpecialiter de ſingulis Conſiliariis noſtræ Leges ſtatuunt: ad ea nunc accedamus, quæ totius Senatus propria ſunt, quæque univerſum reſpiciunt Collegium. Primum omnium regulæ, quæ ſunt juſtæ legum interpretationis, atque æquitatis, ad quoſcumque, ſive Judices, ſive Juriſconſultos pertinentes, multo magis in hoc Tribunali obſervantur, utpote quod inter alia eminens, in ſuam peculiarem curam trahit, tum communis, tum municipalis juris verba, & ſententiam ad caſus incidentes aptare. Hinc innumera extant Sacri Conſilii exempla rerum judicatarum, quæ vulgo Deciſiones adpellantur, a variis Authoribus conſignatæ publicis literis, in quibus per ſummam prudentiam, & legum ſcientiam, propoſitæ quæſtiones examinantur, & dijudicantur; quæque non tantum apud nos, ſed & apud exteras Na-

Sſ 2 tiones,

tiones, ſummam in Foro obtinent authoritatem. Non autem hic neceſſarium puto, tractationem inſtituere, ut multi ex noſtris Scriptoribus fecere, de æquitate, quæ peculiaris debet eſſe Sacri Conſilii, utpote quod cuſtos legum dici poteſt: nec melius cuſtodiuntur, atque conſervantur leges, quam ubi ad benignitatem, æquitatemque reducuntur, vid. *l.* 18. *D. de legibus*; ſiquidem generalibus præceptis ea continetur, toties explicatis, atque repetitis inter opera clariſſimorum Interpretum. Animadvertere tantum hic debemus, æquitatis principia nullibi melius percipi poſſe, quam in legibus Romanis, præſertim in Reſponſis Juriſconſultorum; qui non tantum ſuas leges tractarunt, ſed univerſam, ut ita dicam, cauſam juris; unde peculiaria locorum ſtatuta, mores, & conſuetudines jam receptæ tunc poterunt recte ad uſum judiciorum revocari, cum illa optime callentur. Et næquam ſunt inepti, & rerum omnium imperiti, qui cenſent, Romanarum legum vix quædam ſupereſſe veſtigia apud nos, ob noſtrarum immenſam molem; & regulas æquitatis non ab authoritate veterum Juriſconſultorum, ſed a mente, & prudentia cujuſque Judicis, ſecundum rerum, perſonarum, & locorum circumſtantias, repetendas eſſe: etenim major eſt in hoc Regno vis Romani juris, quam vulgo exiſtimatur; nec Leges municipales recte poſſunt percipi abſque illius peritia; quod in his commentariis oſtendere paſſim conati ſumus. Et quod dicitur de æquitate in arbitrio Judicantium poſita, vaga ſcilicet, & nulla ſcientia juris circumſcripta, ſatis, ſuperque a viris doctiſſimis jamdiu exploſum eſt; nam vel ſola experientia rerum magiſtra evidentiſſime oſtendit, ex ea contrarietates in judicando, aſtutiam, calliditatem, favorem, & alienæ gratiæ captandæ libidinem in cauſis agendis provenire. Sed ne longius videar a propoſito diſcedere, juvat diſputationi de æquitate finem imponere verbis Cornelii Van Bynkershoek Juriſconſultiſſimi, in ſuprema Curia apud Batavos Præſidis, quæ ſic ſe habent *in præfat. obſerv. jur. Rom.*: *Ubi vero ſilent Leges Patriæ, cedo mihi, quid ſuccedat,*

Digitized by Google

cedat, niſi Romane? At vetat ignorantia juris optimi. Paucis exceptis, quos æquus amavit Juppiter, ita nunc fere in forum prodeunt togati Patres, ut Juriſprudentiam Romanam non didiciſſe, ſed in ejus perniciem conſpiraſſe credas. Quo fit, ut adhibitis ſubſelliis Judicum, nonniſi de æquitate pronuntiant, omiſſa ea, quam ſcriptam habemus in jure civili; ignari, vel immemores, Judices ſe eſſe, non Legislatores; & nunquam magis periclitari opes hominum, quam ſi Juriſprudentia cerebrina occupaverit Judicia; ſi non ex jure, ſed ex arbitrio, lubrico illo, & incerto, manus conſeratur. De æquitete ſi omnibus una mens eſſet, fruſtra fuiſſet leges ſcribere: ſed quia Mævio æquum videtur, quod Titio iniquum, diſſentientibus ſupervenit Legis authoritas: abſque ea ſi ſit, tunc demum arbitrii partes erunt, tunc prudentiæ, argumentis Legum uti, & vel minimum ſibi tribuere. Sed quid Leges ſequantur, quas ignorant, vel ſibi, & arbitrio ſuo blandientes negligunt? Sic fere ſolent qui Juriſdictioni præſunt. Qui autem cauſas agunt, morbo jactantur eodem: Rabulæ magnam partem, non Juriſconſulti, ſatis ſe ſuo officio functi rati, ſi Judiciorum formulas uſquequaque obſervent, & ſapiant ex authoritate ſemicrudi alicujus Doctoris, addita forte regula juris. Illi ſi ipſos fontes limpidiſſimos, ſaluberrimos non deſerviſſent, preſſius ſaperent, & ſaperent ſuo ingenio, neglectis iis, quorum authoritas, ſine authoritate Legis nulla eſt.

II. Igitur tunc recte Sacrum Conſilium Leges noſtras, quas uſus probavit, ad effectum perducet, cum, ubi illæ deficiunt, adhibita Romani juris authoritate, & ſcientia, controverſias judiciarias per æquitatem, & benignitatem dijudicat, & componit. Non me latet, vulgo jactari a Pragmaticis, Sacrum Conſilium legibus ad ordinem Judiciorum pertinentibus non obligari; idque inter ejus præſtantias proponit Romanus *cap. 1. præſt.* 16.; unde generaliter afferunt: *in Sacro Conſilio procedi ſola facti veritate inſpecta: in Sacro Conſilio tantum veritatem attendi &c.* vid. Taſſon. *de anteſ. v. 3. obſer. 3. num.* 69. Capyc.latr. *de-*

ciſ.

ciſ. 108. *n.* 50. alioſque paſſim. Sed non extra rem hic quæritur: quid ſibi hoc volunt axiomate Doctores? Etenim quis unquam ſui compos, dubitaverit, quemcumque vel pedaneum Judicem, ne dicam Tribunalium Collegia cujuſcumque generis, lites dijudicare, imo ad dijudicandum teneri, ſola facti veritate inſpecta, & veritatem tantum attendere? Num habet Judex quidquam aliud majoris momenti in judicando, quam ſolam veritatem facti inſpicere, unde juſtum pronunciabit? Quapropter quænam ſit hac in re prærogativa Sacri Conſilii prorſus non intelligo. At dices: Sacrum Conſilium, poſthabitis Judiciorum conſuetis ſolemnibus, quidnam geſtum inter litigantes ſit, quomodo revera factum, unde nata eſt lis, potius conſiderare, & inſpicere, quam formulas, & ſolemnia ſcripturarum. Sed hæc inconcinna reſponſio eſt; nam ideo actus, & ſolemnia judiciorum, legibus, & conſuetudine introducta ſunt, ut ſine fraude, & dolo, per quendam ordinem, ac methodum de facto ipſo conſtare poſſit in Judicio; nec præſumendum eſt, Sacrum Conſilium in iis, quæ pertinent ad factum, majorem ſcientiam habere, quam quilibet alius Judex habere ſolet. His adde, quod ſolemnia judiciorum, ſi Legibus ſunt introducta, non credere debemus, inutilia, & ſupervacanea Legiſlatores ſtatuere voluiſſe; & propterea, tanquam publica authoritate ſtatuta, obſervari debent a quocumque Judice. Quod ſi pro ſolemnibus Judicii, & actibus conſuetis litigandi, intelligere volumus calumnias, dilationes, portentoſas, per tot proceſſuum volumina, verborum, & factorum inutilium complicationes; hæc utique removere, atque prorſus e Judiciis eliminare, ad Judicem quavis authoritate inſignitum pertinet, non autem ſolius eſt Sacri Conſilii, quod tanquam omnium præſtantiſſimum, aliis exemplo eſſe debet ad leges ſervandas, non ad evertendas. Et ſane quæ Regni conſtitutiones hac de re latæ ſunt, generaliter omnes Judices, omnes Curias complectuntur. Statuerat jam olim Carolus Regis Roberti filius, dum erat Regni generalis Vicarius, ut ex defectu ſimplicis ſolemnitatis in Magna

Curia,

Curia, actus judiciarii non deberent eſſe nulli; dummodo *ſuper negotio* (ſic ait rit. 288.) *liqueat de pura ſubſtantia veritatis*. Id ipſum confirmavit; & generaliter obtinere voluit coram quibuſcumque Judicibus Rex Ferdinandus *in pragm.* 1. *de ord. jud.* Verum addit prudentiſſimus Rex: *Declarantes, per præſentem diſpoſitionem, aut per capitulum deteſtantes* (ea eſt conſtitutio relata in cit. rit. 288.) *circa probationes neceſſarias non intelligi derogatum, Juris, vel ſacrarum Regni Conſtitutionum, vel Capitulorum, diſpoſitioni*. Quod utique oſtendit, veriſſimum eſſe, prout monuimus, quæ ſolemnia Judicii legibus expreſſe ſtatuta ſunt, quæque faciunt ad ipſam veritatem facti eruendam ordine ſuo, non minus in Sacro Conſilio, quam in quacumque Curia, coram quocumque Judice obſervanda eſſe; nam lex Ferdinandi generalis eſt, & generalem rationem continet. Et propterea neſcio quid ſibi volunt noſtri, dum aſſerunt, in Sacro Conſilio procedi ſola facti veritate inſpecta; nam talis regula, dum verus conſtat illius ſenſus, ſemper, & ubique vim ſuam habet. Sed Pragmatici ſibi ipſis contrarii ſunt, nam inter *præſtantias* Sacri Conſilii dum eam numerant, eodem tempore docent, omnes cauſas in Regno eſſe ſummarias, & apud nos procedi ſine forma, & ſtrepitu Judici: Quod ſic exprimit Petra in *com. ad d. rit. n.* 24. *Ex hoc capitulo* . . . . . . *prodiit decantatum illud: In Regno cauſas cognoſci, atque definiri, poſthabitis ſolemnitatibus, ſola facti veritate inſpecta, ſummarie, & de plano: quam notoriam cantilenam vocat Muſcatellus in praxi &c. . Hinc fortaſſe in hoc Regno cauſas omnes ſummarias, præter feudales* (cur hæ excipiuntur, nulla prorſus reddi poteſt ratio) *judicari, ſcripſit Jacobus Schultes &c. . . . . . Atque hujus capituli vigore, valent Barones in Regno committere cauſas ſummarie, ſimpliciter, & de plano, quamvis jure communi nequeant. Paris de Synd. &c. . . . . Tapia lib. 2. jur. Regni rubr. de offic. & auth. Bar.* Hæc autem poſtrema verba certiſſimum argumentum præbent, ſolere nos aliquando quædam ſcribere caſu magis, & tanquam aliud agendo, quam

quam mentis, atque intellectus adhibita percæptione; etenim, undenam ſibi perſuadere potuiſſent, aut Petra, aut Tapia, in Regno cauſas omnes eſſe ſummarias, licet aliud ſtatutum eſſet jure communi, ſi ſerio conſideraſſent immenſam molem actuum judiciariorum in quibuſcumque Tribunalibus Regni, unde vel ſimpliciſſimæ factorum ſpecies obruuntur, & confunduntur; & contra ſi leviter Romanas leges, Romanique fori hiſtoriam percurriſſent?

III. Ex ſuperioribus liquet, nec ſi generaliter accipiatur, veram eſſe aliam regulam Doctorum, nempe Sacrum Conſilium non alligari Ritibus Magnæ Curiæ. Quam regulam dum proponit, ac tuetur idem Petra *loc. cit. num.* 83. rationem reddere ſtudet illis verbis: *Quippe Magna Curia, cum ſit ſubſellium Magiſtri Juſtitiarii, ac Vicarii Regis, nullatenus valet Vicarius legem imponere ipſi Regi, cujus eſt Vicarius &c. . . . . ne inducatur abſurdum illud, quod inferior Superiorem ſolvat, vel liget; & filius poteſtatem habeat in parentem &c.* Sed quis non videt, puerilem hanc eſſe formam diſſerendi? Et primo, Ritus Magnæ Curiæ poſt confirmationem Joannæ II. pro legibus habendi ſunt, Regia authoritate ſtatutis, non autem a Juſtitiario, aut a Vicario profectis; unde ſic generaliter ait Regina in eorum præfatione: *Sancimus, decernimus, & mandamus, juſſu proprio, de certa noſtra ſcientia, cum proviſa materia, & digeſta noſtri Conſilii deliberatione conſulta: quod omnes infraſcripti Ritus, Obſervantiæ, in noſtris Magnæ, & Vicariæ Curiis, & qualibet earum de cætero inviolabiliter obſerventur.* Deinde ſi vera eſſet hæc ratio, quam Petra adducit, dici quoque deberet, nec Capitula Regni, quæ promulgavit Carolus Secundus Andegavenſis, nec Robertus, dum erant Vicarii in Regno, obligare Sacrum Conſilium. Omitto, quod apud omnes in comperto eſt, Vicarios Regni ea ætate, eamdem obtinuiſſe authoritatem, ac Reges ipſos, ut adparet in legibus, quas tulerunt. Ad hæc, ex eadem ratione deduci poterit, nec Pragmaticas Sanctiones obligare Sacrum Conſilium, quas prope innumeras ediderunt ſub Regno Hiſpanorum Principum, qui eorum vices gere-

rebant apud nos, vulgo Viceregeſ. Demum, etſi concedamus, vice Regia Sacrum Conſilium judicare, quia in prima ſua inſtitutione Rex Alphonſus ſolebat ibi eſſe præſens, nihilominus Tribunal Juſtitiæ illud eſt, & propterea communibus Regni legibus tenetur; quemadmodum & Magna Curia, licet in ea quoque ſolebant aliquando Reges præſentes eſſe, unde appellabatur Curia Regis. Ipſimet Romani Imperatores in quibuſdam cauſarum cognitionibus, adhibito Juriſconſultorum conſilio, præſentes erant, & decreta edebant, quæ alibi diximus, Paulum Juriſconſultum in unum collegiſſe; eorumque exempla non deſunt in Pandectis, & Codice: verum ſecundum leges jam ſtatutas decernebant; nec unquam eis aſſerere in mentem venit, publicis legibus ſe ſolutos eſſe in iis, quæ pertinent ad lites dijudicandas inter privatos. Concludendum igitur eſt, quæ leges generales extant inter Ritus Magnæ Curiæ, obſervandas eſſe in Sacro Conſilio; necnon etiam ea, quæ neceſſario requiruntur tum jure communi, tum noſtro, ad ordinem judiciorum perficiendum: cætera autem, quæ ſunt peculiaris ſtyli forenſis, obſervantur ſecundum conſuetudinem jam introductam in quolibet Tribunali.

IV. Quæ hucuſque diſputavimus confirmant, quod alio loco monuimus, Doctores noſtros, dum loquuntur de Sacro Conſilio, confundere ejus authoritatem cum jure Summi Imperii, quod ſolius Principis eſt. Haud equidem inficias eo, Sacrum Conſilium inter reliqua Tribunalia apud nos eminere, ſupremamque obtinere authoritatem. Verum id intelligendum eſt in cauſis, ut vulgo dicitur, *meræ juſtitiæ*. Datum quidem ei eſt, prout ſolet diligens, ac prudens paterfamilias ad conſervandum publicum decorem, vel ad concordiam familiarum inducendam, aliquando poſſe recedere ab ordinario juris, & cauſarum agendarum tramite, & quid pro utriuſque litigantis utilitate æquius, melius videbitur, decernere. Sed non uſqueadeo id porrigendum eſt, ut juſtitiæ, & legum ipſarum generales regulæ offendantur; præſertim ubi agitur de aliquid decernendo, inſciis, vel inauditis iis, quorum intereſt.

eſt. Hac equidem in re ſic ſcribit idem Petra *loc. cit. n.* 86. *Propterea conſuevit Sacrum Conſilium quandoque in decretis addere* EX CAUSIS IN SACRO CONSILIO *DISCUSSIS; idque quia Regem repræſentat*. Hæc ratio & vaga, & generalis admodum eſt; quandoquidem non dici poteſt abſolute, Sacrum Conſilium repræſentare Principem; ſed tantum in iis, quæ pertinent ad facultatem juris dicendi inter cives; qua in re ipſe Princeps ſi judicaret, & cauſam, & rationem redderet ſui decreti, ne videretur ad arbitrium petitiones litigantium reducere voluiſſe. Sint exempli loco innumera Romanorum Principum Decreta, quæ extant in Codice Juſtiniani, in quibus, dum jus illi decernunt, & rationem, & cauſam addere ſolent. Utitur aliquando Princeps authoritate Summi Imperii, cujus ſcilicet *ratio*, ut loquitur eleganter Tacitus *annal.* 1., *non aliter conſtat*, *quam ſi uni reddatur*. Sed hoc ille efficit in cauſis magni momenti, in quibus Reipublicæ ſalus verſatur; tunc enim rationem geſtorum non reddere, ſumma ratio eſt. At cum agitur tantum de jure privatorum, de privatis civium controverſiis, cuinam bono, ut prolatæ ſententiæ nulla reddatur ratio; unde qui ſe læſum ſentit, non poſſit ordinariis remediis juris uti? Non utique credendum, hac extraordinaria authoritate temerè uti velle Senatores Sacri Conſilii, qui ſemper doctrina, & integritate fuerunt præſtantes; ſed non ſemper mores hominum in uno ſtatu permanent. Ipſemet Petra, dum ſuperiorem Sacri Conſilii prærogativam exponit, ſic ait *n.* 83. *Ab hujuſmodi vero decretis latis* EX CAUSIS, *reclamatio denegatur, ac proinde raro interponenda (dicebat enim Franciſcus Marc: &c. . . . . orandum eſſe, ut Deus nos præſervet ab expedienti Magni Conſilii: & ab æquitate Parlamenti)*. Igitur ſatis patet, quam grave ſubditis eſſe ſoleat judicandi methodus, quoties cauſæ ſententiarum ignotæ ſunt, & occultæ. Et, quod pejus eſt, omnis aufertur defenſio, omne remedium juris; nam, quod idem Petra docet, non dari reclamationem ab iis decretis, ſed tantum reſtitutionem in integrum, neſcio

quo

quo pacto evenire poſſit; etenim reſtitutio competit ex læſione: at quomodo condemnatus in ſententia Sacri Conſilii lata *ex cauſis*, dici poteſt læſus, cum ignorat, nec unquam divinare poteſt, quænam fuerit ratio ſententiæ; quidnam Sacrum Conſilium impulerit, ut hoc, vel illo modo decerneret? Dum opinionem Petræ tuetur Romanus *de præſt. S. C. præſt.* 33. *c.* 1. *n.* 5. *in fin.* addit, competere quoque remedium nullitatum. Sed quales nullitates exprimi poterunt, ubi neſcitur & jus, & factum, ex quo Judices judicaverunt? Ex his facile diluuntur, quæ idem Romanus proponit *præſt.* 18., nempe Sacrum Conſilium non debere judicare ſecundum allegata, & probata, ſed ſecundum propriam conſcientiam; nam ſi hoc verum eſſet, ſupervacaneæ utique redderentur omnes conſtitutiones, omnes pragmaticæ circa ordinem judiciorum obſervandum in Sacro Conſilio; & inutiles forent litigantium per tot labores, & diſpendia compilatæ probationes.

V. In eo autem ſumma eſt authoritas Sacri Conſilii, ſive mavis dicere cum noſtris, *præſtantia*, quod juſta, & legitima exiſtente cauſa, poſſit aliquando & teſtantium, & contrahentium voluntates interpretari, & ad certam formam redigere in iis, quæ pertinent ad fideicommiſſa, ſubſtitutiones, vincula, & conditiones appoſitas tum in teſtamentis, tum in contractibus. Dixi *interpretari*, nam libera facultas commutandi abſque evidenti neceſſitate, atque voluntate eorum, quorum intereſt, voluntates dominorum circa diſpoſitiones rerum ſuarum, ſubvertit omnia juris principia, & bono publico adverſatur; publice enim expedit, ait Paulus in *l.* 5. *D. quemad. teſtam. aper.*, ſuprema hominum judicia exitum habere. Et quod attinet ad contractus, nihil tam congruum fidei humanæ eſt, quam ea, quæ inter contrahentes placuerunt ſervare, *l.* 1. *D. de pactis*. Hinc rectiſſime in *pragm. un. de vincul., ſeu condit. &c.* nimia licentia, quam olim Judices, & Tribunalia ſibi aſſerebant, ſubvertendo teſtamentorum, & contractuum ſtatuta, interdicitur; & cavetur, ut deinceps, ubi agitur ex juſta cauſa de vinculis amovendis, ſive in

teſtamento appoſitis, ſive in codicillis, vel donationibus, circa prohibitionem *alienationis*, *commutationis*; *ſurrogationis* &c. appoſitam per teſtatores, aut contrahentes; id nullibi fieri poſſit nec coram quocumque alio Judice, niſi in Tribunali Sacri Conſilii, Regiæ Cameræ, aut Magnæ Curiæ. Tunc autem legitime id fiet in Sacro Conſilio, cum duarum Aularum Conſiliarii in unum conveniunt Præſide præſente, actibus judiciariis confectis, & auditis omnibus iis, de quorum commodo, vel damno agitur. Statuit præterea *pragmatica*, ut, ubi id faciendum ſit in Magna Curia, duæ itidem Aulæ conveniant, & relatio fiat in Sacro Conſilio. Sed quoniam hæc dici aliquo modo poſſunt cauſæ majores; propterea mandatur in §. 5., ad exequutionem perducendum non eſſe, quod decernit Sacrum Conſilium, niſi antea authenticum decretum illius in Collaterali Conſilio præſentetur, & Regius impetretur aſſenſus.

VI. Inter prærogativas Sacri Conſilii numeratur a noſtris, quod illius ſententiæ Regio nomine pronunciantur; idque & in *pragm. 6. de offic. S. C.* ſtatutum fuiſſe clare patet. Fortaſſis id placuit Ferdinando Regi ſtatuere, ut authoritas Sacri Conſilii ex originaria ſua inſtitutione permaneret; ſcilicet cum Rex ipſe in eo aderat. Et hinc factum puto, cur tales, poſtquam latæ ſunt, ſententiæ, opus non habeant *notificatione*, prout conſuetudine forenſi, & jure ordinario in reliquis Tribunalibus obſervatur; nam de eo quod Princeps decernit, & ſuo in Conſilio ſtatuit ad ſupplicantium petitiones, tenentur ipſimet ſupplicantes ſeſe certiores reddere; nec ſolet Princeps alia ratione voluntatem ſuam patefacere. Verum poſtquam decem dies lapſi ſunt poſt ſententiam prolatam, uſus eſt in Sacro Conſilio, ut fiat Mandatum ſive ipſis litigantibus, ſive Procuratoribus eorum, quod vulgo dicitur in foro *de parendo*; quaſi, quod ex eo debeant litigantes parere iis, quæ in Conſilio Principis decreta ſunt. Diſcrimen autem eſt in formula loquendi, nam effectu, ſive *notificatio* dicatur, ſive *Mandatum de parendo* idem prorſus eſt, cum

eadem

Digitized by Google

eadem juris remedia competant ad reſcindendam ſententiam. Hæc ſcire neceſſarium eſt, ne conceptiones tantum verborum, ut vulgo fieri ſolet, memoriæ mandantes, eorum ratio ignoretur. Quemadmodum videre eſt, & in alia formula in foro introducta, poſtquam formata eſt ſententia, nam additur in calce; *Lecta lata*. Quorum verborum quænam ſit ſignificatio, fruſtra quæritur in libris Doctorum. Origo, niſi fallor, hæc fortaſſis fuit: Jure Romano, poſtquam ſententia formata erat, tenebatur ipſemet Judex coram litigantibus eam recitare ex ſcripto. Et quoniam ſcribi ſolebant omnes ſententiæ in libro quodam originali, unde poſtmodum tranſcribebantur, ille liber dicebatur *Periculum*; ut explicat doctiſ. Gothófredus *in l. 2. C. T. de ſententiis ex periculo recit.*, ubi ſic ait: *Periculum nihil aliud eſt, quam cujuſque rei πεῖρα, experimentum, ſeu formatio, & protocollum ſententiæ, non ad memoriam, ut voluit Alciatus diſpunct.* 21., *ſed ad judicium certius formandum, ad ſententiam probe concipiendam. Periculum ſcilicet facere, alias quoque eſt, quid prius tentare, ne per errorem quid porro fiat. Nos* minutte *vocamus. Et vero hoc illud eſt, quod dicitur in l. 2. C. hoc tit. ſententias non ſubitas, ſed deliberatione habita poſt negotium ponderatas, ſibi ante formatas, & emendatas ſtatim in libellum ſecura fidelitate conferre Judices debere, ſcriptaſque ex libello partibus legere*. Hinc male in vulgatis Codicibus emendatur titulus *de ſententiis ex breviculo recitandis*; nam *periculum* legendum eſt. Nec videtur verum attigiſſe Cujacius, qui in *comment.* ad eum titulum, *periculum* explicat, *quia ex ſententia ſemper aliquis periclitatur; aut Reus, aut Judex, ſi male damnavit*; nam abſona videtur hæc nominis ethymologia. Qui autem Magiſtratus erant illuſtres, poterant ſententias recitare coram partibus etiam per ſuos officiales, *l. 2. C. de ſent. ex peric. recit.*. Cum igitur Sacrum Conſilium eminens ſit Tribunal, neceſſitas recitandæ ſententiæ definitivæ nulla eſt, ſed tantum Magiſtris Actorum tale munus demandatur ex præſcripto *cit. pragm.* 6. Quod neque

ſit

fit in ſingulis cauſis, ſed ex conſuetudine, dum feriæ eſtivæ indicuntur, & Nativitatis Domini, & Paſchatis, publice leguntur ſententiæ in anteacto tempore prolatæ; idque meræ ſolemnitatis gratia, nam nec omnes recitantur, nec fit coram partibus. Igitur, ut denotetur, ſententiam jam lectam eſſe, adduntur illa verba, *lecta lata*, quibus ſignificatur, eo ipſo, quod lata fuit ſententia, haberi eam pro lecta. Sed nudæ, ut jam diximus, hæ formulæ ſunt, quæ effectum prope nullum continent.

VII. Poſtremo ſupremæ tribuitur Sacri Conſilii authoritati, quod illius ſententiæ armata manu exequi poſſint ex *pragm. 5. cod. tit.* Hoc ſane cum noſtri Interpretes proponunt, Majeſtatem inde apparere ejus Tribunalis præcipuam contendunt. Sed quis unquam dubitavit, quemcumque, non dico Magiſtratum, ſed & inferioris notæ Judicem, ſententias ſuas armata manu exequi poſſe, cum nec Juriſdictio intelligatur ulla, niſi & imperium mixtum habeat, hoc eſt vim coercendi? Ulpianus ſane in rei vindicationis judicio, quod recte coram quocumque Judice inſtituitur, manifeſte nos docet, manu militari compellendum eum, qui Judici non paret, rem reſtituere jubenti *l. qui reſtituere* 68. *D. de rei vind.*. Igitur, dicet aliquis, inutilis fuit proviſio *cit. prag. 5.* Nequaquam; nam mens Regis Ferdinandi ea fuit, ut ex modo exequutionis appareret, ſententias Sacri Conſilii habendas, tanquam ab ipſo Rege profectas: cæterorum Judicum ſententiæ exequuntur quidem manu armata, ſed ab Apparitoribus, & Lictoribus, qui eorum juſſui præſto ſunt, & ſpecialiter miniſterio cujuſque Curiæ ſunt addicti. At quæ ſunt Sacri Conſilii, non minus ac Regia mandata, voluit ut etiam ad exequutionem perducerentur per Gubernatores, & eos, qui rei militari præerant in Provinciis. Et hoc ſane denotant illa verba *pragmaticæ*, a noſtris non animadverſa: *Ne vero tantæ juriſdictionis ſententiæ, decreta, ordinationes, proviſionesque irritæ ſint, atque inanes: Locumtenenti noſtro generali* (intellige qui nunc dicitur *Capitaneus Generalis* exercitus) *omnibuſque Capitaneis, ſtipendiariis*

diariis militibus noſtris, ac Siciliæ Regni Magiſtratibus, ut illorum exequutioni, ſi opus fuerit, fortem, armatamque manum præſtent, imperamus: Verum poſteriori ætate uſu inductum eſt, ut ſtipendiariorum militum non poſſit miniſterio uti Sacrum Conſilium pro exequutione ſuarum ſententiarum, niſi ubi ex urgenti neceſſitate antea Princeps conſulatur, ejuſque juſſu Præfectis militiæ expediatur commiſſio.

C A P. VI.

De origine, atque authoritate Regiæ Cameræ.

ORIGO hujus Tribunalis antiquiſſima ſane eſt in Regno; ſed ſi novam ejus formam ab Alphonſo primo Aragonenſi ſtatutam inſpicere velimus, novum illud aliquo modo dicere poſſumus; & propterea de eo poſt Sacrum Conſilium agere inſtituimus. Prætermittendæ hic equidem ſunt noſtrorum minus aptæ comparationes inter Regiam Cameram, & Procuratorem Cæſaris, Comitem Sacri Palatii, Sacrarum Largitionum, Rerum Privatarum &c., nam viris doctis eæ omnino non probantur; cum ſatis conſtet, ex diverſa forma publicæ rei adminiſtrandæ, ſummique Imperii exercendi, diverſa quoque Magiſtratuum, atque Officialium munera facta eſſe. Et quemadmodum mores noſtri cum antiquis Romanorum inſtitutis non conveniunt, ita nec publicarum rerum cura, atque officium. Sunt equidem nonnulla, in quibus ſimilitudinem quandam invenire poteris inter antiqua, & nova Officiorum genera; ſed non ideo recte dicetur, hæc ſucceſſiſſe in illorum locum; quandoquidem ea ratione & longe remotiſſima quæ ſunt, poterunt ad antiqua referri. Apud omnes ſane Nationes, publicæ pecuniæ, nempe quæ redigitur a tributis, & vectigalibus, quæque publicis impendiis deſervit, cura, atque adminiſtratio certis perſonis committitur; quæ variis nominibus deſignantur; quemadmodum & locus ipſe, ubi talis

talis pecunia conſervatur . Longobardi Cameram adpellare ſolebant locum , in quo Regia gaza reponebatur , fortaſſis quia habebat fornices convexos ; unde & feuda , quæ conſiſtebant in certis annuis redditibus perſolvendis ex Ærario Principis , appellabant feuda de Camera *lib.* 2. *feud. tit.* 1. ; ubi Cujacius Cameram interpretatur Ærarium . Idem confirmat Hotomanus *de verb. feud. v. Camera* , ex illis verbis teſtamenti Caroli Magni apud Eguinarthum : *Incipit deſcriptio , atque diviſio , quam perfecit de theſauris ſuis , atque pecunia , quæ illa die in Camera ejus inventa eſt* . Et cenſet Hotomanus , feudum Soldatæ , & Cameræ in libris feudorum idem ſignificare , *ut tit.* 10. *ejuſd. lib.* . Soldatæ nomine intelligebatur ſtipendium militi conceſſum in pecunia , vel annona ſub conditione fidei , atque obſequii . Fictum verbum a voce germanica *ſold* , quæ ſtipendium , vel mercedem ſignificat ; unde apud antiquos Germanos *Soldurj* vid. Cæſarem de *bel. gall. lib.* 3. appellabantur milites mercede conducti.

II. Expulſis a Regionibus noſtris Longobardis , Normanni , qui in dominatum ſucceſſerunt , quædam eorum inſtituta retinuerunt , unde poſtmodum in noſtras leges translata ſunt ; necnon etiam quædam vocabula apud illos uſitata . Hinc Rex Rogerius , cum ſeptem ſuprema Regni officia ſtatuiſſet , quibus publicarum rerum cura commiſſa fuit , Præfectum Regiæ pecuniæ adpellavit Camerarium, ſcilicet quia præerat Cameræ , ideſt Ærario Principis . Erant & ſub Normannis Regibus alii Officiales ſtatuti , ad quorum curam etiam pertinebat rerum fiſcalium exactio , atque adminiſtratio ; & dicebantur *Magiſtri Quæſtores* , ut in *conſt. præſenti tit. de offic. Secreti* , non diſſimili ſenſu , ac olim apud Romanos dicebantur Quæſtores Ærarii , qui quærebant , ſive conquirebant pecunias publicas . Erant & alii qui dicebantur *Dohanæ de ſecretis* , ut in *ead. conſt.* , *& in ſeq.* nominantur ; & non ſemel *Secreti Dohanæ* . Quod officium , certum eſt , pertinuiſſe ad Regii patrimonii adminiſtrationem ; nam in *cit. ſeq. conſt.* , cujus initium eſt *Dohanæ de ſecretis* , ad eorum curam , necnon etiam Quæ-

ſtorum

ſtorum ſpectare decernitur, theſauri inventionem, pecunias deperditas, quemadmodum & res ex naufragio obventas, quarum domini ignorantur; præterea bona vacantia, ſcilicet eorum, qui ſine hærede deceſſerunt. Et notabile eſt, quod ſtatuit conſtitutio in hac ſpecie, ſcilicet, ut bona publice ſubhaſtata vendantur, & tertia pars pretii pro morientis anima pauperibus erogetur, & reliquum redigatur in Fiſcum. *Niſi forte* (ſunt verba conſtitutionis) *prænominatus Secretus, & Quæſtor nobis viderit expediri, ut æſtimatione prædictæ tertiæ pro defuncti anima erogata, ipſæ res hæreditariæ in Fiſci noſtri poſſeſſione ſerventur*. Sed undenam originem duxit verbum *Secretus*, non ſatis conſtat. Fortaſſis barbare tunc dicebatur *Secretus*, qui ſecernebat, hoc eſt dividebat jura fiſcalia a juribus privatorum. Cui conjecturæ videtur Topius accedere *de orig. Trib. part.* 1. *lib.* 4. *cap.* 1. Dohana autem quid ſignificet jam alibi annotavimus, nempe ædes, in quibus fiſcales redditus, vectigalia, portoria, & cætera id genus tributa pro mercibus, & mercium tranſvectione conſervantur. Verum munus ſuperiorum officialium paulatim translatum fuit in Camerarios, ut videre eſt in *cit. conſtit. præſenti*; qui plures erant in Provinciis, & dicebantur Magiſtri Camerarii; & quemadmodum ſub Magno Juſtitiario erant minores Juſtitiarii, ita & Camerarii ſub Magno Camerario. Eorum officium temporibus Gulielmi I. non tantum verſabatur circa res, ad Fiſcum, ſive ad Ærarium Principis pertinentes; ſed etiam circa pretium ſtatuendum rebus venalibus, ſive aſſiſas ordinandas, ut loquitur *conſtit. Magiſtros Camerarios*; ubi additur, id facere eos debere cum conſilio Bajulorum. Habebant etiam juriſdictionem in cauſis privatorum *conſtit. officiorum*. Imo poterant ipſos Bajulos creare, & in ipſos, eorumque Judices, ac Notarios, ſcilicet Aſſeſſores, & Actorum Magiſtros imperium certis in caſibus exercere *conſtit. Magiſtri Camerarii*, ubi idem Rex Gulielmus vetat, Camerarios Bajulationis officium vendere; & addit: *Indignum nempe fore decernimus, ut ſacratiſſimum quiſquam juſtitiæ miniſterium pretii venalitate mercetur; ſed Bajulationes eaſ-*

dem committant viris fidelibus, & opinionis electæ prudentioribus, & generoſioribus: prout locorum conditio miniſtrabit &c. Verum poſterior ætas hæc immutavit, nam ſimul cum feudis vendi ſolent Bajulationes; & a Baronibus eædem locantur abſque ullo perſonarum delectu. In controverſiis, quæ oriebantur inter Fiſcum, & privatos, temporibus Regis Gulielmi, Camerarii non habebant omnimodam juriſdictionem, ſed veluti quandam notionem; nam idem Rex in *conſtit. Quæſtiones omnes* jubet, ut in iis ſimul cum Juſtitiariis Camerarii *cognitiones, atque judicia accipiant* (vulgo dicimus capere informationem) præſente Fiſci Patrono, & Procuratore, uſque ad ſententiam: *dato parti alteri peremptorio termino* (ſic ait conſtitutio) *& per nuntium, & litteras ſuas ad Curiam noſtram mittant.* Quibus ex verbis colligitur, tunc temporis Magnam Curiam, quæ erat Curia Principis, fuiſſe Tribunal ordinarium non tantum in controverſiis privatorum, ſed etiam in iis, quas Fiſcus exercebat cum privatis. Idque optima ratione factum creditur, ut manifeſtum foret, Principem æquo jure cum ſubditis uti. Ipſemet Tiberius Auguſtus, etſi callidiſſimus in arte regnandi; tamen ea in re nihil peculiare ſibi vindicabat; unde de eo ſi ſcribit eleganter Tacitus *an. lib.* 4. *cap.* 2. *Rari per Italiam Cæſaris agri; modeſta ſervitia; intra paucos libertos domus; ac ſi quando cum privatis diſceptaret, forum, & jus.*

III. Quoniam circa redditus ad publicum patrimonium pertinentes, præcipua cura eſſe debet in computis rationum, ſcilicet inſpiciendo, utrum ii, quibus eorum exactio committitur, probe, & recte conficiant tabulas accepti, atque expenſi; ideo ſub Normannis quoque, & deinceps, maxima fuit authoritas eorum, qui dicebantur Magiſtri Rationales, quaſi Doctores, ſive periti in rationum, & computorum inquiſitione. Horum Rationalium munus quodnam fuerit olim, & quodnam ſequentibus temporibus, ſtatutum legitur tum in antiqua editione Rituum Regiæ Cameræ ſub titulo *de officio Magiſtrorum Rationalium*; tum in noviſſimis pragmaticis conſtitutionibus, quas explicabimus

Digitized by Google

mus infra. Hac ſane in re tum Scriptores noſtri, tum leges ipſæ mirum in modum variæ ſunt, & confuſæ. Illud plane conſtat, uſque ad tempora Alphonſi I. Aragonenſis diſtinctum fuiſſe Collegium, ſive Tribunal Rationalium, a Collegio Magni Camerarii; ubi, & quidam Judices extabant, Præſidentes nuncupati; ſed Alphonſum ſtatuiſſe, ut unum idemque Tribunal conſtitueretur, tam ex Præſidentibus, quam ex Magiſtris Rationalibus, vid. edictum Alphonſi relatum a Topio *part.* 1. *pag.* 259. Statuit præterea, ut circa controverſias, quæ orirentur in ratione computorum, & in aliis quibuſcumque, ad fiſcales proventus pertinentes, ſoli cognitionem, atque juriſdictionem haberent Præſidentes; & ut Rationalibus tantum competeret facultas referendi, & proponendi quid in dubium, & diſceptationem veniret; unde ab illis definitio procederet. Quo deinceps factum fuit, ut non amplius Rationales haberentur pro Judicibus controverſiarum fiſcalium. Qui poſtmodum ſequuti fuerunt Reges ampliarunt authoritatem ejus Tribunalis ad omnia ea, in quibus Fiſcus Principis quacunque ratione ſua intereſſe perſpexerit; & propterea ſucceſſionum feudalium controverſiæ ibi agitantur, quæque ad feudi naturam, atque onera ſpectant; quemadmodum ubi agitur de Regio jure patronatus in beneficiis eccleſiaſticis. Ibi etiam quæſtiones tractantur circa redditus Univerſitatum Regni; circa officia, quæ a Rege conceduntur, ſive venditionis, ſive locationis titulo; circa conductiones vectigalium, & tributorum; circa modum, & rationem monetæ cudendæ. Et in ſumma ordinariæ juriſdictionis eſt illius Tribunalis cognoſcere, & definire de iis omnibus, in quibus agitur, vel de lucro, vel de damno Regalis Patrimonii.

IV. Ex iis, quæ narrat Angelus de Conſtantio *hiſt. lib.* 16. creditur, Alphonſum Præfecto Regiæ Cameræ, qui Locumtenens dictus eſt, addidiſſe quatuor Præſidentes juris peritos, & duos imperitos, qui ſcilicet ſuffragium ſuum ferrent in iis tantum controverſiis, in quibus non de jure diſceptaretur. Sed deinde eum in modum crevit illorum nu-

Digitized by Google

merus, ut confuſionem parerent; nam ex catalogo apud Topium relato *loc. cit. pag.* 146. *an.* 1495. erant viginti ſex. Et propterea a Ferdinando II. Aragonenſi redactus fuit ad quinque. Sed negotiorum multitudine exigente ſub Hiſpanis Regibus ampliatus eſt. Ex diplomate relato ab eodem Topio *loc. cit. pag.* 296. mandavit Philippus II. ut Regia Camera in partes divideretur duas (vulgo in duas Aulas) quarum in unaquaque tres aſſiſterent Præſidentes juris periti, unus imperitus; præter Locumtenentem, cui facultas conceſſa fuit modo in una, modo in altera adeſſe, prout negotii ipſius natura exigeret. Superius diploma inſertum legitur in *pragm.* 68. *de offic. Procurat. Cæſar.*, ubi & certa forma præſcribitur, quanam ratione negotia ad Regiam Cameram ſpectantia, modo ſimul ab omnibus Præſidentibus, modo ſeparatim in unaquaque Aula tractari debeant. Sub Regno Philippi IV. & de tertia Aula inſtituenda mandatum fuit, prout videre eſt in *prag.* 75. §. 51. *eod. tit.* idque ad libitum Locumtenentis, ut dicitur in notis ad eandem pragmaticam. Procedente tempore, quod & hodie ſervatur, ordinarius Præſidentium numerus ampliatus fuit ad duodecim, quorum octo juriſperiti ſunt, reliqui vero quatuor ſecus, unde vulgo *idiotæ* adpellantur; qui licet aliquando contenderint, ut patet ex *pragm.* 58. *eod. tit.* ſuffragium ferre poſſe in controverſiis cujuſcunque generis; tamen prohibitum omnino id eis fuit in in *pragm.* 77. *eod.* quoties de jure diſceptatur; prout modo diximus

CAPUT VII.

De officio, atque authoritate Præfecti Regiæ Cameræ, vulgo Locumtenentis.

TRIBUNAL Regiæ Cameræ, quæ & Summaria adpellatur; *quia rationes ipſæ in Camera per Præſidentes, & Rationales ibidem ordinatos ſummarie videntur*, ut ſunt verba edicti Alphonſi I. de quo ſupra; habet ſuum Præfectum, qui Magnus Camerarius dicitur. Verum cum il-

le

le aliquando juſtis impedimentis detineretur, unde ſuo muneri vacare non poſſet, vel ab ætate Regis Roberti conſuevit, ut Vicarium ſtatueret, qui generali nomine Locumtenens dictus fuit. Ex catalogo confecto per Topium *part.* 1. *lib.* 4. *cap.* 6. *de Magnis Camerariis* adparet, primum Locumtenentem creatum fuiſſe anno 1305. Berardum Caracciolum. Verum ſub Regno Alphonſi I. fuit inductum, ut Præfectus Regiæ Cameræ ſemper eſſet Locumtenens, qui non amplius a Magno Camerario, ſed ab ipſo Rege crearetur; quod & ad noſtram uſque ætatem perduravit; unde Magni Camerarii titulus, honoris tantum factus eſt, & dignitatis; non autem muneris, & juriſdictionis.

II. Ut autem ordine, ac methodo præcipua quæque, & cognitu magis neceſſaria proponi, & explicari poſſint, quæ in noviſſimis Legibus Regni ſtatuta ſunt de Regia Camera non ſine maxima confuſione, atque obſcuritate; primum omnium de Locumtenente agendum eſt. Circa controverſias ad juriſdictionem Regiæ Cameræ ſpectantes, ut ordinate procederetur, uſu introductum eſt, ut initio cujuſque anni Locumtenens ſingulas Regni Provincias ſingulis Præſidentibus aſſignet, adhoc ut eorum unuſquiſque ſit veluti deſtinatus Judex cujuſque Provinciæ; unde apud eum litigantes inſtituere poſſint actiones ſuas, ſive inſtantias proponere. Hæc diſtributio dicitur a noſtris *Commiſſio generalis*. Præſidens autem aſſignatus & actibus judicialibus incumbit, & interloquutorias ſententias, ubi neceſſarium eſt, pronunciat, quæ ab eodem exequutioni demandantur; dummodo partes non interponant adpellationem. Nam conſuetudo ſic ſe habet in Regia Camera, ut ad impedienda Præſidentium decreta, per ſupplices libellos adeatur Locumtenens, qui ſolet mandare, ut negotium, de quo agitur, referatur in Tribunali, adhoc, ut omnium ſuffragiis res examinetur, ac dijudicetur; quemadmodum & de Sacro Conſilio ſupra diximus. In ferenda autem definitiva ſententia, a Præſidente Commiſſario fit relatio in Tribunali, ut demum controverſiæ finis imponatur. Ad officium quoque Locumtenentis pertinet deſignare, quænam cauſæ *disjunctis Aulis* tractandæ

ſint;

Digitized by Google

ſint, ut ſtatuitur in *prag.* 68. § 3. *de offic. Procur. Cæſar.* Qua-in re diverſa adparet agendi methodus, quæ obtinet in Regia Camera, ac in Sacro Conſilio; etenim, ut ſupra diximus, Præſes Sacri Conſilii decernit, ubi junctis Aulis tractandæ ſint cauſæ: contra vero Locumtenens, ubi disjunctis Aulis. Ex quo infertur, in Regia Camera jure ordinario omnes cauſas junctis Aulis tractandas eſſe; niſi contrarium a Locumtenente decernatur. Datur autem facultas tum Fiſci Advocato, quoties ſua putaverit intereſſe, tum privatis litigantibus, adverſus decretum, ut disjunctis Aulis procedatur, provocare, ſive ad ipſummet Locumtenentem, in cujus arbitrio erit contrarium ſtatuere, ſive ad Principem *cit. prag.* 68. §. 4. & 5.

III. Proprium Locumtenentis munus eſt curare, ut officialium unuſquiſque recte in ſuo officio verſetur. Hinc in *pragm.* 75. §. 94. *cit. tit.* mandatur, ut initio cujuſque anni teneantur Rationales, Procurator Fiſci, & Secretarius juramentum in manibus Locumtenentis præſtare *de Secreto Tribunalis ſervando*. Id ipſum jam antea ſtatutum fuerat de Præſidentibus in *prag.* 10. §. 7. *de ſuſpicion. offic.* Quod ſi eorum aliquis ſtatutis horis non aſſiſtat in Tribunali, poſtquam admonitus fuerit, pœna pecuniaria poterit coerceri per Locumtenentem. Hoc autem intelligendum eſt de Rationalibus, & aliis inferioribus officialibus; nam de Præſidentibus fiet relatio ad Principem *d. pragm.* 75. §. 67. Ne autem multitudo inferiorum officialium confuſionem pariat, & rebus gerendis impedimentum, ideo cavetur in *pragm.* 11. §. 32. & 33. *de official. & his, quæ eis &c.* ut cum conſilio Locumtenentis ad certum numerum redigantur Scribæ, & *Aſtitantes*. Quod a Carolo V. ſtatutum quoque fuerat, ſed ad arbitrium Proregis, & Locumtenentis, ut habetur ex *pragm.* 19. §. 6. *de offic. Procur. Cæſar.* Verum ſtatuto jam numero alii prohibentur adjungi, & noviter creari *d.* §. 33. Quoniam antea diſſidium fuit inter Locumtenentem, & Præſidentes, Advocatumque Fiſci circa electionem dictorum *Aſtitantium*; ideo decernitur in *prag.* 66. §. 11. *de offic. Proc. Cæſar.* eam facultatem competere tantum Locumtenenti;

qui

Digitized by Google

qui tamen electionem jam factam tenetur in Tribunali proponere, ut quiſque adverſus eam, ſi quid habeat legitimæ oppoſitionis, pronunciare poſſit. Cum autem in Regno noſtro neſcio quo fato eveniat, ut quæ recte proviſa ſunt legibus, uſu reddantur inutilia; ideo ſuperiores pragmaticæ circa numerum Actitantium in deſuetudinem abierunt; & propterea in *prag. an.* 1738. §. 4. Regis noſtri quædam leguntur mandata ad omnem abuſum tollendum; eaque optime ſtatuta ſunt, dummodo obſerventur, nec deſerviant tantum, quod utplurimum evenire ſolet, multitudini pragmaticarum, & conſtitutionum augendæ.

IV. Non ſolum inter Præſidentes, ut diximus, fit diſtributio Provinciarum, ſed inter Rationales quoque; idque arbitrio Locumtenentis; quemadmodum ubi deſtinantur duo alii Rationales pro computis Regii patrimonii ineundis, & alius pro iis, quæ peculiariter pertinent ad exactionem vectigalis, quod exigitur ex paſcuis animalium in Provincia Apuliæ, & primum inſtitutum fuit ab Alphonſo Aragonenſi, poſtquam hujus Regni dominus effectus ad pacis artes, rerumque publicarum curam ſerio ſeſe contulit. Erant ſub Romanis Imperatoribus in variis Imperii Provinciis fundi, & agri, quos Principes poſſidebant partim publico, partim privato jure, eoſque locare ſolebant, vel ad animalia paſcenda concedere, certa penſione conſtituta; idque & in Regno noſtro obtinuiſſe non levis conjectura eſt, ex *l.2. C. T. de paſcuis*. Quæ conſtitutio lata fuit a Valentiniano ſeniore dum erat in Civitate Luceriæ, ut patet ex ejus ſubſcriptione (Luceria eſt Urbs Apuliæ Dauniæ, Metropolis Provinciæ, quæ vulgo dicitur *Capitanata*, cujus ager uberrima continet, & ampliſſima paſcua; etſi Gothofredus interpretetur Luceriam, quæ erat in Gallia Ciſpadana, nunc *Luzara* adpellatur in Ducato Mantuano). Statuit ibi Imperator, ut penſio paſcuorum rei privatæ augumentum, vel licitationem admittere non debeant; ea ratione, ne prætextu gravioris penſionis, animalia de gregibus Imperatoris arceantur a paſtu illorum paſcuorum. Dum Provinciæ noſtræ in Lon-

Longobardorum, & Normannorum imperium tranſierunt; credendum eſt, eodem jure eiuſmodi agros habitos fuiſſe, quemadmodum & ſub Regibus, qui ſequuti ſunt; nam, uti recte animadvertit Moles in *deciſ. Reg. Cam. tit. de Dohana Menæpecudum* §. 1. *n.* 8., *& inf.* ante Alphonſum primum Aragonenſem, nullum aderat vectigal in Regno circa paſcua ad Regium patrimonium ſpectantia, ſed ea locabantur, ut cæteræ res privatorum pro arbitrio uniuſcujuſque. Sed Alphonſus eodem tempore proſpiciens, & commodis fiſci, & eorum, qui pecora poſſidebant in Provinciis Aprutii, & Apuliæ, neceſſarium vectigal impoſuit; ſcilicet ut ii omnino tenerentur certo pretio conſtituto paſcua Regii patrimonii conducere. Huic ſententiæ accedit Joſephus de Roſa *conſult.* 70. *n.* 4. illis verbis: *Alphonſus .... videns, poſſe in immenſum Fiſci commoda augeri, ſi quod antea liberum erat ad neceſſitatem quandam traduceretur, ut ſcilicet paſtores ovium, qui antea pro libito, tam ex Regiis, quam ex privatorum prædiis paſcua ſumebant, tenerentur in Apuliam omnino venire, & Regia tantum paſcua conducere.* Ab hac opinione diſceſſit Stephanus de Stephano in portentoſis commentariis duplici volumine comprehenſis, *ad pragm.* 79. *de offic. Proc. Cæſar.*, ubi *art.* 1. probare conatur, etiam ſtante Romanorum Republica vectigal ex pecudibus extitiſſe. Sed vereor, ne decipiatur; nam exigebatur tunc temporis hoc vectigal, ſed a volentibus tantum; hoc eſt ab iis, qui ſponte ad publica paſcua animalia conducebant; idque vel ex verbis Petri Burmanni *in diſſert. de vectigalib. Pop. Rom.*, ab eodem de Stephano relatis *loc. cit. n.* 9., evidenter patet. Illud autem certum eſt, pro tali onere immunitatem Alphonſum dediſſe ab omnibus aliis oneribus, quæ antea præſtabantur tum pro tranſitu animalium de uno in alium locum, tum pro aſſociatione Regiorum officialium, quo tutum eſſet iter. Dedit præterea proprios Judices, unde ab ordinaria juriſdictione exemti fuere. Sed quoniam Regia paſcua non ſufficiebant, iis adjecta fuere quamplurima alia in eadem Provincia Apuliæ exiſtentia, quæ pertinebant

bant ad privatos dominos, quibus aſſignatus fuit annuus canon in certa pecunia; quæ exolveretur de publico Ærario. Hoc novum vectigal, quod eſt non infima publicorum redituum pars, ſive locus ipſe, ubi exigitur, adpellatur a noſtris *Dohana Menæpecudum*. Quorum vocabulorum, cum barbara ea ſint, & a barbaris Scriptoribus uſitata, non facile eſt originem, atque propriam ſignificationem inquirere. Dohana, ſive Dovana, ut eſt apud Cangium *in gloſſ.*, apud Saracenos dicebatur Sultanorum Palatium, ubi ſcilicet eorum theſauri conſervabantur. A Saracenis ad nos, ſicuti & nonnulla alia vocabula ſermone vernaculo jam recepta, illud pervenit eodem ſignificatu, ut ſupra annotavimus. Frequentius deinceps eadem vox uſurpata eſt ad ſignificandum locum, in quo redditus exiguntur Regiæ Domus. Vocabulum *Menæpecudum* credidit *cit. de Stephano* derivaſſe a *menandis* pecoribus, prout vulgo dicitur, hoc eſt abigendis, & de uno in alium locum ducendis.

V. Igitur in hac *Regia Dohana* quoniam non levis momenti ſunt Regiarum exactionum computa; ideo, ut diximus, a Locumtenente quotannis certus ad eam rem perficiendam aſſignatur Rationalis. Id ipſum quoque uſitatur in *Cedulario*. Hoc vocabulum novum quoque eſt, & barbarum; illudque legitur in pragmaticis noſtris ad denotandum librum, in quo deſcriptæ inveniuntur omnes feudorum conceſſiones; nam *cedula* appellatur vulgo diploma Regium, in quo feudi extat conceſſio. Ut autem ejuſmodi conceſſiones certam ad formam redigerentur, placuit Philippo II., peculiarem librum conficiendum eſſe, ejuſque rei gratia idoneum Rationalem eligendum a Locumtenente, vide *pragm. 66. §. 10. de offic. Procur. Cæſar.* Ejuſdem libri reformatio injungitur in *pragm. 75. §. 49.*, *&* 123. *eod. tit.* Procedente tempore, quo acrius, & diligentius in jura fiſcalia inquireretur, Aula quædam, *Cedularii* dicta, inſtituta fuit, ex qua adverſus feudorum poſſeſſores mandata prodibant, ſive ad titulum oſtendendum, ſive ad onera non ſoluta præſtanda; idque eveniebat quotidie; nam qui re-

 bus

Digitized by Google

bus fiſcalibus inſtant, ad favorem captandum, & quò videantur de Regiis exactionibus ſolliciti, ſolent utplurimum juſti, rectique metam tranſgredi, & eodem tempore ſubditis graves eſſe, Et propterea an. 1717., precibus a Civitate, & Regno porrectis (vid. *vol. 2. privileg. pag.* 280.) impetrata fuit ejus Aulæ abolitio. Verum liber Cedularii remanſit, ejuſque curà certo aſſignatur Rationali, ut dictum eſt.

VI. Uſus obtinuit in Regia Camera, ut veluti auxiliatores ad computa inquirenda eligerentur nonnulli a Locumtenente; iique dicti ſunt Prorationales. Quorum numerus erat incertus; ſed ad certam formam redigitur in *cit. pragm. ann.* 1738. §.4. *num.* 13. Quamvis Secretarius, qui dicitur Regiæ Cameræ, non debeat eſſe præſens, dum feruntur ſuffragia in Aula; tamen id remittitur arbitrio Locumtenentis, qui poteſt eum advocare, quoties ei videbitur, negotii ipſius qualitatem id exigere *dict. prag.* 75. §. 93.; ubi etiam mandatur, librum conficiendum, in quo Præſidens noviſſimo loco electus ſcribere debeat ſuffragia; eumque librum certo in loco accludendum cum clavi, quæ ſervanda eſt a Locumtenente. Hujus quoque partes erunt, certam diem præfigere, qua Rationales debeant in Aula referre computa, unicuique eorum commiſſa ad diſcutiendum *pragm.* 19. §.1. *eod. tit.* Et ut omnis confuſio tollatur, decernitur dies Saturni in *prag.* 67. *eod.* Quoties autem computa diſcutiuntur, & circa ea alicujus momenti oritur dubitatio, fieri poteſt mandatum a Regia Camera, ut ea de re *fiat verbum* in Aula; illudque ſubſcribendum erit a Locumtenente *dict. pragm.* 75. §.5. Omnes Officiales pro juſtitia adminiſtranda deputati, ſcilicet Judices, Auditores, Gubernatores, cum judicio Syndicatus ſtare debeant, ut ſuo loco explicavimus; ideo prudenter mandatum fuit a Philippo II. in *pragm.* 41. *eod. tit.*, ut Locumtenens non ſubſcribat commiſſiones, ante præſtitam fidejuſſionem in Regia Camera de ſtando Syndicatui. Sed hæc conſtitutio, licet generalis, & bono publico proſpiciens, per interpretationem tamen reſtricta fuit tantum ad Officiales

ciales Regios; & demum uſu abrogata. Non ſemel in ipſis negotiis propoſitis coram Præſidentibus neceſſarium eſt, ſive ubi agitur de teſtimoniis recipiendis, ſive de re ad Univerſitates pertinente, ut Commiſſarius aliquis deſtinandus ſit; quod olim arbitrio Præſidentis commiſſarii fieri poterat; ſed poſtmodum ſtatutum fuit, ut ea de re prius in Camera referatur, & deinde electio perſonæ, ad commiſſionem ſuſcipiendam, fiat a Locumtenente *pragm.*11.§.35. *de official.*, *& his quæ eis probib.* Quod confirmatur in *dict. prag.*75.§.61. Qui actus judiciarii conficiuntur, ſive *informationes* capiuntur, æqualiter, pro illarum diſcuſſione, diſtribuendæ ſunt a Locumtenente inter Præſidentes *prag.*18. *eod.tit.*; ſed quæ pertinent ad liquidationem *relevioru*m; *ſive adhoarum* (hæc ſunt onera feudorum in Regno; prout explicabimus ſuo loco) diſtribuuntur inter Rationales, ut cavetur in calce *ejuſd. pragm.*; quæ videtur eo tempore lata, quo nondum in uſu erat Provinciarum diſtributio; nam ea introducta, informationes, de quibus diximus, ſpectant ad Commiſſarium uniuſcujuſque Provinciæ.

VII. Dum hoc Regnum erat ſub Hiſpanorum Principum ditione, quoties publica pecunia eroganda erat, mandata de ſolvendo a Proregibus conficiebantur. Verum, ut cautius procederetur, in *d.prag.*11. §. 4. *de official.*, *& his quæ eis &c.* jubetur, in iis ſubſcribi debere & Regentes, qui Collaterales dicebantur, & Locumtenentem Regiæ Cameræ. Id ipſum confirmatur in *pragm.*12. §. 3. *de offic. Secret.*, & in *d. prag.* 75. §. 58. Poterat tamen ex neceſſariis cauſis ipſemet Locumtenens, & Regia Camera mandare Theſaurario generali, ut ſolutiones fierent; dummodo tamen eæ non excederent ſummam aureorum quindecim; nam ubi agebatur de majori ſumma, Prorex antea conſulendus erat *prag.*51. §. 3., & *d.prag.*66. §.3. *de offic.Procur. Cæſar.* Quæ omnia noſtris temporibus immutata ſunt; nam ſolutiones e publico Ærario fiunt authoritate Præfecti Regalis Patrimonii, qui nunc a Rege conſtitutus eſt, *Superintendentis* nomine; eique additi ſunt & alii Officiales, quo diligentius, & maturius de iis ſolutionibus decerneretur.

VIII. Quæ in Regia Camera tractantur negotia, cum ſoleant eſſe graviora, utpote vel ad Fiſcum, vel ad publicum commodum pertinentia; ideo prudenter cautum legimus a Carolo V. in *pragm.* 1. §. 10., *&* 12. *eod. tit.*, ut omnes conſultationes, quæ Principi tranſmittendæ ſunt, expediantur in *Banca* (ſcilicet in loco, ubi omnes conveniunt, in Tribunali) *cum expreſſo voto omnium Præſidentium, & Rationalis conficientis illas*. Idem ſtatuitur *in Literis*, aut *Proviſionibus, intra Regnum tranſmittendis*. Et additur: in libro *notamentorum*, ſcilicet in quo ſuffragia, ſeu vota notantur, ſcribi debere, quoties non omnium, ſed majoris partis interfuit conſenſus. Requiritur præterea ſubſcriptio Locumtenentis. Verum in *cit.* §. 12. exceptio proponitur, *quando aliquis caſus occurreret, qui propter intereſſe Regiæ Curiæ non pateretur dilationem, ut Litera expediatur in Banca*; tunc enim ſolus Locumtenens expedire poterit, a quo dabitur *ſequenti die notitia Præſidentibus*. Sed quia magiſtra rerum experientia docuit, ait *prag.* 24. *eod.tit.*, omnes Litteras *in Banca* cum voto omnium Præſidentium expediri non oportere, nec fieri poſſe ſine maximo negotiorum, præſertim Regii Fiſci, impedimento; ideo ſuperior *pragmatica prima* declaratur, & ſtatuitur: ut Proviſiones omnes, quæ quotidie per Cameram fiunt, *videantur, & firmentur per Præſidentes in eorum domibus, ubi commodius, & maturius illas conſiderari, & firmari poterunt: unuſquiſque videlicet ex Præſidentibus videat, & ſubſcribat Litteras, & Proviſiones, ad Provincias, & negotia ſibi commiſſa, ſpectantes. Poſtmodum vero per Locumtenentem, ſimiliter in ejus domo, videantur ea, quæ convenit, adhibita diligentia; & ſubſcribantur; & demum per Secretarium, & in libro Notamentorum notentur. Iis dumtaxat exceptis* (ſequitur pragmatica) *quæ maximi eſſent momenti, & importantiæ; vel quæ maximam haberent difficultatem; vel quæ celeritatem, præſertim pro Regii Fiſci commodo, deſiderarent. Quæ omnia in Banca diſcuti, ordinari, ſubſcribi, & expediri decernimus, & mandamus.*

IX.

Digitized by Google

IX. Sunt quædam noſtris legibus expreſſa, quæ nominatim prohibentur, ne fiant a Locumtenente. Primo domi, & privatim admittere licitationes, & ſubhaſtationes, quæ fiunt de rebus ad Fiſcum pertinentibus; ſiquidem in *pragm.4. eod.tit.* mandat Carolus V. id fieri tantum debere *in Banca*, ideſt in Tribunali, *una cum aliis, qui in eadem Banca intereſſe conſueverunt*. Secundo particeps fieri nequit in contractibus cujuſcumque generis, initis circa res fiſcales: quæ prohibitio generalis eſt in omnibus Officialibus Regiis, *dict. pragm.75.* §.43.; ubi *in* §. 107. id ipſum interdicitur famulis, aliiſque perſonis de familia eorundem Officialium. Tertio nec ipſe Locumtenens, vel quivis alius, ſive in dignitate conſtitutus, ſive ſecus, officium exercens tum in Regia Camera, tum in adminiſtratione Regalis Patrimonii, poteſt emere cujuſcumque generis bona, vel feudalia, vel burgenſatica, vel officia, quæ in ipſa Regia Camera venduntur publice, & ſub haſta; idque non minus ad inſtantiam Regii Fiſci, quam privatorum *pragm.8. de empt., & vend.*, ubi & pœna ſtatuitur privationis officii, & corporalis arbitrio Principis; necnon nullitatis contractus. Eadem prohibitio confirmatur in *dict. prag.75.* §.77.; tantum additur, emtiones in ſupradictis rebus fieri non poſſe ſine expreſſa Principis licentia. Quarto prohibetur, dum litigantium petitiones leguntur, & referuntur domi coram Locumtenente, admitti ad eam rem conficiendam ſubſtitutos Actuariorum; nam in *cit.* §. 4. *pragm. an.* 1738. *num.* 12. mandatur Locumtenenti, ut admittat tantum Actuarios *in capite* qui dicuntur; unicuique eorum hebdomada aſſignata; unde ſi quis legitimo impedimento detinebitur, tale munus transferetur ad eum, qui erit immediate ſequens. Poſtremo nequit Locumtenens, aut Advocati, aut Arbitri munus aſſumere in cauſis privatorum; nec teſtimonium dicere; aut in Sacramento baptiſmi, vel confirmationis tanquam patrinus, vulgo *compater*, aſſiſtere, ſine permiſſu Principis. Sed hæ, & ſi quæ ſunt ejuſdem generis prohibitiones, quia generalem rationem continent, in quibuſcumque Officialibus locum habent, vid.*prag.9.*§.*ult.*, & *prag.7.* §. 3.

§. 3. *de offic. Jud. pragm.* 63. *de offic. Sacr. Reg. Conſ.*, *prag.* 8. *de official.*, *& his*, *quæ eis &c.*

X. Quoties juſto impedimento detinetur Locumtenens, quominus poſſit ad Tribunal venire, ne cauſarum, negotiorumque expeditionibus mora afferatur, ſic placuit Carolo V. decernere in *pragm.* 8. *de offic. Procur. Cæſar.*, ut qui adſunt Præſidentes *poſſint cauſas decidere, & terminare, non ſecus ac ſi adeſſet Locumtenens: cui advenienti poſtea per Notatorem Cameræ* (intellige Secretarium) *dari debeat notitia eorum, quæ ab ipſis Præſidentibus ſint actitata, & proviſa. Et caſu præfato* (ſequitur conſtitutio) *unus ex Præſidentibus exerceat officium Locumtenentis in ejus abſentia, cum authoritate ſubſcribendi in proviſionibus, & litteris neceſſariis, quæ a Regia Camera emanaverint, eaſque libera authoritate ſignandi . . . . . . Si vero abſentia eſſet per dies multos, aut per menſem, vel per hebdomadas, liceat uni ex eiſdem Præſidentibus alternatim per hebdomadam officium Locumtenentis exercere, cauſaſque omnes emergentes in Banca terminare, & decidere; ſententiis dumtaxat diffinitivis exceptis, quæ nullo pacto celebrari, aut fieri poſſint, abſque præſentia Locumtenentis.* Eadem ferme repetuntur in §. 3. *ejuſd. pragm.*, in quo licet addatur, ante deciſionem fieri debere relationem ipſi Locumtenenti; tamen notat Tapia, id amplius non ſervari, cum ſententiæ publicentur, etiam non expectato Locumtenente, die ſequenti. In §. 4. exceptio proponitur circa ſententias diffinitivas, quæ ferri poſſunt, dum abeſt Locumtenens; ſi ejus *abſentia duraverit ultra quindecim dies; vel ſi res ſui natura exegerit celeritatem, aut ſine incommodo, vel ſcandalo differri non poſſit.* Statuitur præterea in §. 5., & 6. *cit. pragm.*, ut poſtquam ſuffragia lata ſunt, vulgo *cauſa notata*, die ſequenti debeat ſententia promulgari. Noſtris temporibus, abſentis Locumtenentis vices obire ſolet is, qui primus eſt inter Præſidentes, quique adpellatur Decanus Regiæ Cameræ.

CAP.

CAP. VIII.

De munere, atque officio Præſidentium, Advocati, & Procuratoris Fiſci in Regia Camera.

PRæTER ea, quæ de Præſidentibus Regiæ Cameræ jam diximus, quædam peculiaria hic adnotanda ſunt, ad munus uniuſcujuſque eorum pertinentia. Quoniam generalis regula ſic ſe habet: omnes cauſas in Camera tractandas eſſe, ubi ex eis aliquid intereſt Regii Fiſci, vid. *prag.61.*, *& 62. de offic.Proc. Cæſ.*; inde ſequitur, non poſſe Præſidentes quidquam decernere, inaudito Fiſco. Quæ definitio non tantum in Camera locum habet; ſed & coram quocumque Judice ex *pragm. 36. de offic. S. R.C.*; ubi etiam mulcta arbitrio Principis ſtatuitur adverſus Judices, qui contra fecerint; ipſæque ſententiæ, actuſque judiciarii declarantur nulli. Hinc uſus obtinet, ut petitiones propoſitas a litigantibus, antequam decernatur quid, ſoleant Præſidentes Fiſci Patrono committere examinandas, ut poſſit ille, ſive excipiendo, ſive alio modo, ſua jura tueri. Certis etiam diebus non debent Præſidentes alia negotia proponere in Tribunali, quam quæ Fiſci propria ſunt. Dies autem deſignantur Lunæ, Martis, Jovis, & Veneris in *prag.5. §.3.de offic. Procur. Cæſar.* In *pragm.75. §. 53. eod. tit.*, mandatur, cauſas, ubi Fiſcus eſt actor, arbitrio Locumtenentis tractandas eſſe per dies, hoc eſt certis diebus aſſignatis: ubi vero eſt reus, per horas, ſcilicet ſtatutis horis, eadem die, in qua, & aliæ agitantur cauſæ: incidentia vero, ſive interloquutorias ſententias, ne impedimentum ipſis cauſis afferatur, proponi poſſe quacumque die. Et quamvis dies Mercurii, & Saturni pro cauſis privatorum ſint deſtinati; tamen in §. 54. *ejuſd.prag.* cavetur, & die Mercurii cauſas fiſcales peragi poſſe, ubi neceſſitas id exegerit.

II. Dum ſententia definitiva proferenda eſt, diximus ſupra, relationem a Præſidente Commiſſario fieri debere in Tribunali. Excipitur tantum caſus expreſſus in *prag.15. cit.*

Digitized by Google

cit. tit., quoties agitur de computis Adminiſtratorum pecuniæ Univerſitatum; nam ſuper iis, diſcuſſione prius habita per Rationalem, & ſequuta deinde relatione, Commiſſarius etiam domi poteſt decernere, litemque terminare *nomine Regio, & ad exequutionem procedere; niſi ob importantiam* (ait prag.), *ac difficultatem emergentis dubii, aliter videretur*.

III. Jure Romano quibuſdam in negotiis, & Magiſtratus ipſi tenebantur de minus idonea ſatisdatione. Quo pertinet titulus in Codice *de Magiſtratibus conveniendis*; ubi Cujacius nos docet, ex Senatuſconſulto, & Oratione Imperatoris Trajani, propoſitam fuiſſe actionem ſubſidiariam adverſus Magiſtratus municipales, qui a tutoribus, & curatoribus datis, aut non exegerunt ſatisdationem, rem minoris ſalvam fore, aut exegerunt minus idoneam; & propterea ſi non fuiſſet ſolvendo tutor, vel curator, eorumque fidejuſſores, ipſi Magiſtratus tenebantur ex negligentia. Sed hæc abrogata ſunt moribus omnium ferme Nationum, vid. *Vin. §. ult. Inſtit. de ſatiſd. tut.*; quemadmodum & in Regno noſtro; in quo fidejuſſiones judiciales, nullius Judicis, nec etiam pedanei, periculo ſunt, nam exiguntur a Magiſtris actorum; qui emolumentum ob periculum percipiunt, vid. *pragm. 15., & 17. de Actuar., Scrib. &c., & dict. prag. 75.* §. 176. Verum in fidejuſſionibus, quæ præſtandæ ſunt pro Fiſco, additur in *cit. prag. 75. §. 111.*, ut præter id, quod eſt proprium munus Magiſtri actorum, Præſes Commiſſarius, & Advocatus fiſcalis, curent per cognitionem extrajudicialem sese certiores reddere de qualitate eorum, qui obligandi ſunt, & deinde referre in Regia Camera. Quod ſi ſecus factum fuerit, in crimen falſi Actuarium incurrere ſtatuit pragmatica, & Commiſſarium, Fiſcalemque in pœnam ſuſpenſionis, & privationis officii. Hæc autem ideo ſtatuta ſunt, ut cautius peragantur quæ Fiſci interſunt.

IV. Poſtquam Alphonſus I. certam formam adminiſtrationis ſtatuit in Dohana Apuliæ, cujus ſupra meminimus, ei Præfectum dedit, ut omnia ibi ordine ſuo;

atque

atque legitime procederent; quem Præfectum in ſuo Diplomate appellavit *Commiſſarium*, *Dohanerium*, *Procuratorem*, & *Nuntium Regis*. Sed poſtmodum & tempore locationis paſcuorum, & exactionis pecuniæ, & aliquando etiam mortuo Procuratore, illic deſtinabatur Præſes Regiæ Cameræ ad certum tempus. Et demum inductum fuit, ut continuo, tanquam Præfectus, & Gubernator, in ea Dohana aſſiſteret unus ex Præſidentibus; cujus electio pertinet ad Principem, & ſolet quolibet biennio ſucceſſorem accipere. Quæ conſuetudo an publice expediat dubitant noſtri, vid. *Steph. de Steph. expoſ. ad prag. 79. in princ. n. 3.* nam qui ad certum tempus huic muneri incumbunt, magis proprio, quam univerſali commodo ſtudent; & ex eis nonnulli ultra legitimum modum, quæ Fiſci interſunt, procurant; unde Judicantium munere omiſſo, ad gratiam, & favorem captandum ſeſe convertunt; & dum credunt utiliter agere pro Principe, non minus ei, quam Regno, quod revera utile eſt, ſubvertunt; idque & generaliter de omnibus iis dici poteſt, qui plus juſto ſtudent Fiſco favere; hic enim, ut eleganter ait Plinius in *panegy.* *ſimilis eſt lieni, quo creſcente cætera membra tabeſcunt*. Et propterea, quemadmodum in humano corpore non conſervatur ſanitas, ſed totius diſſolutio, atque interitus procuratur potius, ubi ultra naturalem ſtatum, pars aliqua nimium excreſcit; ita & in civili corpore, ſive Republica, aut Regno. Quo fit, ut & ipſi fiſcales redditus, licet initio incrementum aliquod accipiunt, tamen deficiant paulatim, dum corporis univerſi, ſcilicet privatorum, facultates, & copiæ decreſcunt. Et propterea ad tale incommodum avertendum variæ rogatæ fuere diverſis temporibus leges, quæ in libris Pragmaticarum extant, & præſertim *pragm. 78. cit. tit.*, cujus plura leguntur capita, ne conductores publicorum paſcuorum vulgo *Locati*, in dicta *Dohana* inſolitis, & injuſtis exactionibus vexarentur; & ut ad certum ordinem, ac methodum omnia ibi redigerentur. Sed omnia effectu, atque exequutione deſtituta ſunt; adeo ut & ipſi rerum forenſium Scriptores non ſemel querantur, in ea Dohana inutiles factas

 eſſe,

eſſe, & otioſas, tum antiquas, tum novas leges; necnon Regia Diplomata, quæ frequenter edita fuere; ſed omnia inibi pertractari, & decerni, nutu, & arbitrio alieno. Neque tanti abuſus alia reddi poteſt ratio, quam calliditas, & verſutia eorum, qui adminiſtrationi præpoſiti fuere primis temporibus, eorumque ſucceſſorum; quique iis præſto ſolent eſſe ad idem munus ſubeundum, quos Tribunalium *Subalternos* vulgus adpellat. Illi ſane, ut ſuo commodo indulgerent, prætermiſſis legum ſanctionibus, novas technas, nova rerum vocabula adinvenerunt, unde juſtæ conductorum petitiones eluderentur, & eodem tempore fiſcalibus exactionibus fraus fieret. Et inde paulatim rerum agendarum ordo uſque adeo perturbatus fuit, ut nihil certi, nihil quidquam perſpicui exiſteret, ſed omnia confuſa, & perceptu pene impoſſibilia. Hinc vulgares voces: in Dohana Apuliæ non legum peritiam, non Judicum prudentiam, non longiſſimi temporis experientiam in judicando proficere, ſed ſingula quæque ex factis ipſis, adhibito conſilio eorum, qui ætatem omnem in iis egerunt, apprehendenda eſſe. Et propterea qui Præſidentes Regiæ Cameræ illuc mittuntur quolibet biennio, ſemper novi ſunt, & in judicando incerti, unde a nutu Actuariorum, Scribarum, & Apparitorum pendere neceſſe habent. Sed quo pacto id evenerit, mirum fortaſſe prudentibus hominibus videri poterit, cum leges ipſæ claræ ſint, & manifeſtæ, & quid voluerit Legislator perſpicue oſtendant. Dicet fortaſſe quiſpiam: uſus, & methodus rerum agendarum oſtendere ſolet, non ſemper leges ad effectum perduci poſſe; & ſæpiſſime in ipſis factorum ſpeciebus requiri, ut novi aliquid inducatur, diverſum a voluntate legis. Sed hæc futilis reſponſio eſt, nam primo, quæ optime ſtatuta cernuntur in legibus, nulla ratio eſt, cur ad effectum perduci nequeant; niſi ob ignorantiam, aut malitiam exequutorum, qui privati commodi gratia, fraudes committunt, & cavillationes: Quemadmodum (ſi parva licet componere magnis) in Lege Dei aperta, & perſpicua, dum aliquis eam ad effectum non perducit, dicetur utique; aut ignarus, aut cavillator illius, non autem in facto aliter

agen-

Digitized by Google

agendum eſſe. Deinde, ſi noviter adinventa, & quæ ex praxi, ut dicitur, & de ſtylo introducta ſunt, præter, & ſæpiſſime contra legum formam, publice, & privatim prodeſſent; concederetur libenter, optimum fuiſſe, ex uſu leges aut immutatas, aut inutiles factas eſſe. Verum experientia contrarium docuit: nam quis adeo rerum imperitus eſt, ut ignoret, quot, quantiſque incommodis, diſpendiis, litiumque anfractibus, & non ſemel cum univerſi patrimonii ſubverſione, conflictentur ii, qui agere, aut excipere neceſſe habent, præſertim in Tribunalibus, in quibus confuſum, & incertum jus dominatur, & quod magna ex parte dependet, non ex legibus ſcriptis, ſed ex verborum, & formularum complicationibus, quarum peritior cenſetur, qui minus ratione, aut exacto judicio utitur. Idque præ cæteris videre eſt in Regia Camera, ubi poſt ingentem laborum, temporiſque jacturam, vix, ac ne vix quidem ſcire quis poteſt, quid pro jure certo tenendum ſit; nam & Ritus ipſi, qui dicuntur, ejus Tribunalis, & Decreta generalia, ſive Arreſta, Deciſiones, Pragmaticæ, Regia Diplomata, continuis mutationibus ſubjecta ſunt, & uſum pene nullum habent. Unde licet ex Scriptoribus noſtris quamplurimi praxim forenſem compoſuerint; nulli tamen adhuc extiterunt, qui de Regia Camera eandem provinciam adgreſſi ſint; ea ſcilicet de cauſa, quia nihil certi haberi poteſt, & ſemper in ſingulis factorum ſpeciebus diverſa forma, & methodus agendi cernitur, quæ non ex legibus ſcriptis, ſed ex nutu, & conſilio hujus, vel illius Actuarii, Scribæ, Prorationalis &c. petenda eſt.

V. Sed querelarum plus ſatis. Accedamus modo ad ea explicanda, quæ ad officium Advocati, Procuratoriſque Fiſcalis pertinent. Quænam ſit origo Fiſci Advocati jam ſatis expoſitum eſt libro ſuperiore. Quod vero attinet ad Regiam Cameram, cum ibi publica, ſive Principis pecunia, & patrimonium adminiſtretur, neceſſarium utique eſt, ut certa ſit, & deſignata perſona, quæ illius commodo, atque utilitati ſpecialiter incumbat. Et quemadmodum ſolet quilibet diligens paterfamilias rebus ſuis procurandis Acto-

Yy 2 rem,

rem, ſive Defenſorem ſibi eligere, ita & multo magis ea debet eſſe Principis cura. Quod & publice intereſt; nam quoties ejus pecuniæ juſta, atque legitima eſt procuratio, ejuſdemque jura in tuto ſunt, ſatis, ſuperque proſpicitur publicis neceſſitatibus, unde ſubditorum extraordinariæ collationes aut omnino ceſſant, aut perexiguæ fiunt. Verum munus hujus Advocati legitimam defenſionem excedere non debet, quemadmodum & quilibet cauſarum Patronus facere tenetur in litibus privatorum; & propterea in *l. 6. C. de dilat.* generali nomine *Defenſores* adpellantur, & ad æquale jus reducuntur, tam qui Fiſci, quam qui privatorum patrocinium ſuſcipiunt. Cui congruit quod in *pragm.* 38. *de offic. S.R.C.* iiſdem pœnis coerceri mandatur Advocatum, Procuratoremque Fiſci, ac privatorum, dum calumnioſe, & fraudulenter se gerunt. Igitur Advocatus Fiſci ſumma diligentia peragere debet, quæ ſui muneris ſunt; eo tamen modo ne propria authoritate abutens, injurioſus efficiatur erga privatos. Huc pertinent verba Imperatoris Conſtantini Magni, relata in *l. 3. C. de Advoc. Fiſci*: *Fiſci Advocatus, pœnam metuens, caveat, ne fiſcalia commoda occultet: neve ullo negotio exiſtente, Fiſci nomine, privatis audeat calumnias commovere.* Non exprimitur in hac conſtitutione, quanam pœna adficiendus ſit Fiſci Patronus, qui male adminiſtrat negotia Principis, & contra, privatis gravis efficitur, atque incommodus; ſed habetur in conſtit. Theodoſii junioris, *l. 5. C. T. de bonis vacant. in fin.*: *Fiſci Patronus* (inquit Imperator) *detrimento, quod vitio ejus Fiſco ingeritur, reſarcire urgebitur: aut ſi litem improbe cuiquam intenderit, redhibitione ſumtuum, damnorumque coercebitur.* Ne autem talia evenirent, curabant optimi Principes, ut Fiſci Advocatus non literis tantum cæteris *pollentior* eligeretur, *ſed melior, & innocentia potior*, ut loquitur idem Conſtant. M. in *l. 2. C. T. de Advoc. Fiſci*, & qui *examinata fide noſceretur*. Et quidem recte, nam videtur omni ex parte abſurdiſſimum, ut ab eo, qui jura Principis tuetur, injuriarum occaſio naſcatur in ſubditos, cum ipſe Princeps legum ſit author, & cuſtos; ejuſque præcipua cura eſt, ut

Digitized by Google

ut ſubditi æquo jure utantur, & ut ſuum unicuique tribuendo, abſtineatur ab injuria. Extat nobilis epiſtola Regis Theodorici, qua ille ſuum, ideſt Fiſci Advocatum, ſic inſtruit *apud Caſſiod.* 1.*var. c.*22. *Sume igitur Fiſci noſtri tuenda negotia: Ita per medium juſtitiæ tramitem moderatus incede, ut nec calumnia innocentes graves, nec juſtis petitionibus retentatores exoneres. Illa enim vera lucra judicamus, quæ integritate ſuffragante percipimus. Non ergo quoties ſuperes, ſed quemadmodum vincas, inquiramus. Æquitatem nobis placiturus intende. Non quæras de poteſtate noſtra, ſed potius de jure; victorias: quando laudabilius a parte Fiſci perditur, cum juſtitia non habetur. Nam ſi Dominus vincat, oppreſſionis invidia eſt: æquitas vero creditur, ſi ſupplicem ſuperare contingat. Non ergo parvo periculo cauſas dicimus, quando tunc fama noſtra proficit, cum ſe commoditas injuſta ſubducit. Quapropter ſit interdum cauſa mala Fiſci, ut bonus Princeps eſſe videatur: majori quippe compendio perdimus, quam ſi nobis indebite victoria ſuffragetur.*

VI. Hæc equidem generalia cum ſint præcepta, tum ratione, tum æquitate firmata, ubique ſervari debent, & in hoc Regno multo magis, cujus leges peculiari quodam modo proſpiciunt communi omnium utilitati. Sed videamus quid eiſdem ſpecialiter caveatur circa munus Advocati Fiſcalis. Jam alibi diximus, in omnibus cauſis ad Fiſcum pertinentibus, Patronum illius audiendum eſſe; quod ſic exprimit generali definitione Rex Fridericus in *prag.* 16. *de offic. Proc. Cæſar. Item mandat Regia Majeſtas, quod in cauſis, in quibus tangitur intereſſe Regii Fiſci, non poſſit aliquo modo procedi, non requiſito Advocato, ſeu Procuratore Regii Fiſci. In quibus cauſis idem Advocatus, ſeu Patronus Regii Fiſci ſemel, bis, & iterum audiri debeat.* Quæ conſtitutio jus Romanum confirmat, vid. *l. ult. C. de Advoc. Fiſc. l.* 2. *C. ſi adverſ. Fiſc.* Imo nec cauſæ liberales excipiuntur, ſcilicet ubi agitur de libertate alicujus aſſerenda; nam ſi ſervus dicatur eſſe fiſcalis, vel ex bonis ad Fiſcum pertinentibus, & pronunciatum ſit eum liberum eſſe, abſen-

Digitized by Google

ente Fiſci Advocato, libertas data reſcinditur *l.* 3. §. *Divus Adrianus*, & *l.* 7. *D. de jur. Fiſc.*; ubi notat Cujacius, id merito connumerari inter præcipua jura, & privilegia Fiſci; nam privatorum cauſæ, propter abſentiam Advocatorum, non retractantur, quæ ſemel judicatæ ſunt, *l.* 4. *C. de poſtul.* At cauſæ fiſcales retractantur, propter abſenſentiam Patroni Fiſci; quia nihil actum eſſe intelligitur, ideſt res integra eſſe, necdum judicata: Et ubi nihil actum eſſe intelligitur, ibi ſententia eſt ipſo jure nulla, ex integro agi oportet, *l.* 4. *C. quomod.*, & *quand. Judex l.* 1. *C. de ſent.*, & *interloquut.* Quid ſi ſententia ſit pro Fiſco, an adhuc erit nulla, dum fuit pronunciata eo abſente? Negandum eſt, quandoquidem ſuperiores leges cavere voluerunt, ne quid Fiſcus detrimenti caperet; quod utique in propoſita ſpecie non evenit. Cenſetur autem in legibus noſtris uſque adeo conveniens, cauſas fiſcales, Fiſco inaudito, tractandas non eſſe, ut certi dies deſignati ſint ad eam rem perficiendam; nam in *prag.* 62. §. 3. *eod. tit.* mandatur Locumtenenti, ut qualibet die Lunæ non alia proponantur negotia in Camera, quam ea, in quibus actoris partibus fungitur Regius Fiſcus.

VII. Quoniam ſæpius in diſceptationem venit, quænam proprie fiſcales cauſæ adpellandæ ſint, in quibus ſcilicet Advocatus Fiſci audiri debeat; ideo generalis obſervanda eſt regula, quæ habetur in *cit.* §. 3., nempe privatas, non fiſcales cauſas dicendas eſſe, quoties Fiſcus neque principalis Actor eſt, neque Reus conventus, neque Author laudatus; hoc eſt in judicio evictionis; nam ſi quis rem fiſcalem emerit, de qua controverſia moveatur, quoniam Fiſco denunciandum eſt, utique ejus intereſt, & propterea nihil quidquam decerni poteſt, eo inaudito. Quæ eſt ratio, cur in *eadem prag.* ſtatuatur, ſuperiores cauſas non alibi, quam in Regia Camera tractandas eſſe, ubi Advocatus Fiſcalis reſidet. Superior generalis definitio, cum perſpicua admodum ſit; ſufficiet utique ad omnes difficultates amovendas, ut certò ſciri poſſit, quænam proprie ſint cauſæ fiſcales; niſi conſuetæ forenſes cavillationes, & Doctorum mi-

minus aptæ interpretationes eam perturbaſſent. Et primo errare videtur mihi Capyciuſlatro, qui *deciſ.* 186. *num.* 3. inter controverſias tractandas in Regia Camera, & per conſequens, interveniente Advocato Fiſcali, ponit etiam, quoties privatus privatum convenit ex cauſa quæ a Fiſco pendet; nam hoc falſum eſt, niſi Fiſci interſit, prout apparet in propoſita jam ſpecie circa evictionem. Et male utitur Capyciuſlatro *l. cum vendente* 4. *C. ubi cauſæ fiſcales &c.* & *l. ſi minori* 3. *C. de jur. fiſc. lib.* 10., etenim in *l.* 4., ut recte gloſſa animadvertit, proponitur, privatos ex conſenſu, *audientiam*, hoc eſt forum Procuratoris Cæſaris elegiſſe; quod utique ad rem non facit; ſiquidem in conſentientem cujuſvis Judicis juriſdictio eſt *l.* 1. *C. de juriſd. omn. jud.* Quod vero attinet ad *l.* 3. non agitur ſimpliciter de cauſa inter privatos; nam ſpecies ibi proponitur de re obligata Fiſco, & quæ a Procuratore Cæſaris minore pretio per fraudem vendita erat; & recte ajunt Imperatores, ſucceſſorem Procuratoris reſcindere debere venditionem, & rem reſtituere debitori, qui obtulit quantitatem debitam. Sed omiſſis iis, quæ ex jure Romano ſunt, *cit. prag.* 62. §. 3. prudenter omnem apud nos dubitandi occaſionem tollit; nam ſtatuit præterea, ab Advocato Fiſcali Principem conſulendum eſse, quoties in cauſis privatorum, aliquid præciſe adpareat, ad Fiſci commodum, vel incommodum pertinens, ad hoc ut decerni poſſit, utrum in Regia Camera, an in Sacro Conſilio, aliove Tribunali, propoſita quæſtio tractari debeat. Et videtur amplius non eſse locum iis, quæ proponit de Franchis *deciſ.* 117. *num.* 2., ſcilicet ſolitum eſse Sacrum Conſilium, *quando lis eſt inter privatos, & Regius Fiſcus in cauſa non habet intereſſe formatum, & dubitatur ex lite inter partes, aliquod intereſſe poſſe oriri Fiſco, providere, quod Advocatus patrimonii poſſit aſſiſtere in cauſa in Sacro Conſilio*; nam poſt eam pragmaticam, dum in dubio conſulendus eſt Princeps, hic utique decernet, ubi cauſa tractanda ſit. At quando manifeſta res eſt, non tantum, petente Fiſco, agitanda eſt cauſa in Regia Camera, ſed tenentur ipſimet Judices ex offi-

cio

Digitized by Google

cio, negotium, quod in diſceptationem venit, ad eam remittere; ſiquidem quilibet eorum, etſi alieno Tribunali addictus, tenetur quæ Fiſci commoda ſunt, advertere, vid. ejuſd. de Franchis *deciſ.* 132. Quapropter oſcitantia Doctorum nimia hic videtur, dum confundentes tempora, ante, & poſt *cit. pragm.* 62., ab antiquis quæſtionibus non abſtinent; imo nec ſenſum pragmaticæ ſe percepiſſe oſtendunt, ut videre eſt in illis verbis *de Luca ad cit. deciſ.* 132. *de Franchis num.* 2..... *Ubi quod licet per prag.* 61. *de offic. Pr. Cæſ. cauſæ decidendæ per Regiam Cameram ſunt, in quibus Fiſcus eſt actor, vel reus, vel author laudatus; & in prag.* 62. *eſt quartus caſus, quando intereſſe Regii Fiſci eſt præſentaneum, & conſiderabile, & adſit ejus inſtantia; nihilominus &c.*; nam in pragmatica non proponitur quartus hic caſus, utpote in quo Regia Camera ſit Judex ordinarius; ſed ſtatuitur, ut eo interveniente, conſulatur Princeps, a quo, ſecundum qualitatem facti, decernetur de Judice competenti. Et fortaſſis hanc cauſam habuit pragmatica, cur ita ſtatueret indefinite, quia ad Principis æquitatem pertinet curare, ne a potentioribus, ſcilicet iis, qui opibus, & gratia valent, & conventu ſunt difficiles, infirmiores ſubditi opprimantur, quo pertinet *tit. in Cod. Ne liceat potentioribus patrocinium litigantibus præſtare, vel actiones in ſe transferre*. Quod præcipue cavendum eſt in Fiſco, quo nemo potentior eſt, aut conventu difficilior. Hinc iiſdem Romanis legibus prohibetur, ne Fiſcus, aut Reſpublica procurationem litis alienæ in perniciem privatorum ſuſcipiant; nec etiam ſub prætextu, quod is, cujus lis eſt, debitor ſit Fiſci, vel Reipublicæ, nec quod partem litis eis donaverit; quæ donatio non admittitur; quemadmodum & nullius momenti ſit mandatum, ſi debitor Fiſci, ei mandet actionem adverſus debitorem ſuum, vid. *l.* 2., & 3., & *tot. tit. Cod. Ne Fiſcus, vel Reſpublica procurationem alicui, patrocinii cauſa, in lite præſtet*. Hæc omnia cavere voluit *d. pragmatica*, & propterea decrevit, exceptis tribus cauſis, de quibus ſupra, in omnibus reliquis Principem adeundum eſſe, ſi quando apparere poſſit commodum, vel incom-

commodum Fiſci; quò ſcilicet deliberetur, utrum petitio Fiſci juſta ſit, an injuſta, tum circa negotium ipſum, tum circa judicem competentem.

VIII. Fiſcales cauſæ quæ ſint ut cognoſci poſſit a Principe, & ut illarum curſus non impediatur, ſtatuitur, & mandatur in *prag.* 20. *de offic. Pr. Caſ. librum fieri per Magiſtrum Actorum Regiæ Cameræ, in quo cauſæ omnes pendentes, in quibus Fiſcus actoris vices ſuſtinet, ac pariter futuræ, in quibus Fiſcus aget, annotari debeant, una cum annotatione Commiſſariorum, quibus commiſſæ ſunt, ac Scribarum, ſeu Actuariorum, qui illas agunt. Qui liber per Fiſci Advocatum conſervetur; & tam per eum, quam per Procuratorem, ſolerti, qua decet, ſollicitudine adhibita, percurratur; ut ad earundem cauſarum expeditionem, prout illarum qualitas, ac temporum opportunitas exegerint, pervenire poſſit*. Cavetur denique in *prag.*, eum Librum bis quolibet menſe in Tribunali recognoſcendum; & poſtremo die Saturni relationem faciendam Principi; & unumquemque ex Commiſſariis referre quoque debere *ſtatum cauſarum ſibi commiſſarum*.

IX. Pertinet quoque ad Advocatum Fiſcalem providere, ut diligenter exequantur quæ in *pragm.* 43. *eod. tit.* ſtatuta leguntur circa curam, quæ peculiaris eſſe debet Scribarum Regiæ Cameræ, quibus munus datur regiſtrandi litteras, & proviſiones Curiæ; nempe ut illi ſub pœna privationis officii, alteriuſve ad arbitrium Principis, indicem, ſeu notam conficiant, & conſignent Rationalibus, de omnibus commiſſionibus expeditis, tam pro exactione pœnarum, quam debitorum Regiæ Curiæ, ac pro capienda poſſeſſione bonorum, quæ Fiſcus ad se, tamquam vacantia, vel aliter ſpectare prætendit. Quæ omnia rectiſſime ſtatuta ſunt, ne per incuriam prætermittantur, aut male adminiſtrentur quæ Regii patrimonii interſunt. Eodem pertinet quod mandatur in *prag.*44., *ut Conſervator Quinternionum Regiæ Cameræ menſe quolibet det notam omnium privilegiorum, conceſſionum, ſeu aſſenſuum feudalium, Rationali, qui Cedularii curam tenet; & pariter eadem nota*

 detur

Digitized by Google

detur Fiſci Advocato, ut inde feudorum, quæ ob lineam finitam Regiæ Curiæ devolui contigerit, vel releviorum, facilis notitia, & recens memoria habeatur; & indemnitati ejuſdem Curiæ circa hoc conſultum adpareat, ſub pœna, ut ſupra.

X. Cum jura tantum Fiſci, ut dictum eſt, tueatur ejus Advocatus in Regia Camera; ideo tanquam ſuſpectus recuſari non poteſt ab altera parte litigantium; quandoquidem non judicat ipſe, ſed tantum in judicando aſſiſtit. Verum quoniam abuſus jam inolevit, ut ille ſimplicis Advocati munus ſupergreſſus, non leve momentum adferret deciſionibus cauſarum, unde plus ſibi videbatur Fiſcus tribuere, quam univerſum Judicantium Collegium; propterea ante Philippi IV. Hiſpaniarum Regis tempora, paſſim recuſabatur, ſive ſuſpectus allegabatur, etiam ex cauſis leviſſimis; quod grave adferebat adminiſtrationi Regalis Patrimonii incommodum. Et propterea ſic ſtatuit idem Rex in *cit. pragm.* 75. §.78., ut propoſitæ ſuſpectionis cauſæ adverſus Advocatum Fiſcalem nullo alio tractentur in Tribunali, præterquam in Regia Camera; & ut nulla alia cenſeatur legitima cauſa ejuſmodi ſuſpectionis, niſi capitalis inimicitia, non reconciliata, quæ intercedit inter ipſum Fiſcalem, & litigantem, vel eorum conſanguineos, & affines uſque ad ſecundum gradum. Sed hæc conſtitutio videtur mihi exceptione temperanda ex *pragm.* 12., & 14. *de ſuſpic. offic.*, ubi prohibetur ſuſpectum allegari, non minus Locumtenentem, quam Fiſci Patronum, quoties agitur de redditione, & recognitione computorum; fortaſſis quia in ejuſmodi cauſis propoſitæ ſuſpectiones videntur potius ad calumniam pertinere, quam ad legitimam defenſionem; vel quia ea de re, quæ naſci ſolent controverſiæ, facti magis ſunt, quam juris. Neque obſtat quod *pragm.* 75. cum generalis ſit, & poſterior, videatur derogaſſe *dd. pragmatica* 12., & 14., nam ex regula *l. in toto* 81. *D. de reg. jur.* generi per ſpeciem derogatur, quoties in ſpecie peculiaris adeſt ratio, ut in caſu noſtro; quæ efficit, ut & lex noviſſimo loco lata, non abroget priorem.

XI.

Digitized by Google

XI. Quemadmodum in cauſis privatorum Advocato ſolet adjungi Procurator, cujus nempe munus eſt actibus judicialibus incumbere, & ea omnia providere; quæ pertinent ad inſtructionem cauſæ; eodem modo & in Regia Camera Patrono Fiſci Procurator ejuſdem adjunctus eſt. Hic tamen non aſſiſtit in Tribunali, ſed ſeparatam ſedem habet; idque olim commune erat cum Fiſci Advocato; unde ſic ſtatutum legimus a Carolo V. in *pragm.* 1. §. 14. *de offic. Proc. Cæſ.: Pro cuſtodia juſtitiæ, ne vota pandantur, ſtatuimus, ut nemo, niſi Locumtenens, & Præſidentes in Banca intrent*: Sequitur conſtitutio: *Per Porterios Locumtenenti notificandum, quoties poſt cauſam votatam, Patronus; ac Procurator Fiſci, vel aliquis ex Rationalibus, aut Scribis, quidquam pro ſervitio noſtro proponere voluerint &c.* Verum ex Petri Toletani Proregis declaratione, ſeu potius nova lege, quæ extat in *pragm.* 23. *eod. tit.* ſtatutum fuit, Advocatum Fiſci ſemper in Tribunali intereſſe debere, etiam quando cauſæ *diſcutiantur, votantur, & deciduntur*: *Procurator autem Fiſci, & Notator, quando cauſæ votantur in Tribunali præſentes eſſe non debeant; ſed poſt cauſam votatam, Tribunal ingrediantur &c.* Neſcio autem, an novum hoc jus inductum, publicæ utilitati fuerit conſentaneum: Illud plane conſtat ex *volum. privileg. tom.* 2. *pag.* 281., quod & alibi monuimus, enixis precibus petitum fuiſſe a Civitate, & Regno, ut Advocatus Fiſci publice, & coram ipſis partibus, quæ ſua ſunt jura, proponat; ut nempe ejus petitionibus, atque objectionibus congrue reſponderi poſſit; ſatis enim grave viſum eſt, dum feruntur ſuffragia a Judicantibus, ſolum Advocatum Fiſci intereſſe, a quo aliquando facile eſt proponi, quæ mentem Judicantium moveant, dum nullus adeſt, qui ei legitime, atque idonee contradicat.

XII. Ad curam Procuratoris Fiſcalis ſpectat, in peculiari libello annotare *informationes captas de ordine Regiæ Cameræ, vel capiendas, ac ad eandem quomodolibet tranſmittendas*, ut loquitur *pragm.* 21. *cit. tit.* Quod ideo ſtatutum cenſeo, ut circa eas informationes promovere poſſit,

 ac

ac perficere Procurator, quæ Fiſci interſunt, ne illæ per incuriam, & malitiam aut deſerantur, aut minus recte conficiantur. Officio quoque Procuratoris Fiſcalis accenſetur, quod injungitur in *pragm.* 19. §. 4. *eod. tit.*, ſcilicet, ut ille ſimul *cum Notatore, & Actorum Magiſtro, teneatur ſingulis diebus certiorem facere Locumtenentem, & Præſidentem de computis, quæ fortaſſe in termino ſtatuto, per Miniſtros non fuerint præſentata, ut debite provideatur indemnitati Regiæ Cameræ; nec deſiſtat, donec fuerit proviſum*. Ad hoc autem, ut quæ ſui muneris ſunt, idonee peragere poſſit Procurator, mandatur in *pragm.* 28. *eod. tit.* ut cæteri Officiales Regii ſtatim conficiant, & ei tradant ſcripturas requiſitas, quæ fortaſſis neceſſariæ erunt pro rationibus ſpectantibus ad Fiſcum.

XIII. Ut jura fiſcalia in tuto eſſent placuit olim Friderico II. in *conſt. inter multas, & arduas*, in unaquaque Regni Provincia, ſive *Præſidatu*, ut ipſe ait, peculiarem ſtatuere Procuratorem Fiſcalem, cujus munus eſſet inquirere diligenter *de Demaniis Regiis*, *Granateriis* (intellige locis pro frumenti conſervatione) *Piſcariis*, *Herbis*, *Aluminibus* (hoc eſt locis, ubi alumen colligitur); & generaliter de omnibus, quæ per *Regiam Curiam procurantur* (ſcilicet quæ tam communi, quam municipali jure ſpectant ad Curiam, ſive Patrimonium Principis). Imo & notionem talibus Procuratoribus dedit adverſus poſſeſſores rerum fiſcalium. Veriſimile eſt hæc perduraſſe uſque ad ætatem Ferdinandi I. Aragonenſis, ſiquidem in *pragm.* 1. §. 6. *de ſalar. eor. qui mit. &c.*, prohibetur Procuratoribus Fiſci, aliquem privare, & ejicere de poſſeſſione, in qua reperitur, niſi legitime conventus fuerit in judicio. Fortaſſis tunc temporis qui curabant negotia Fiſci, ſub pretextu jurium illius, de facto, & abſque ulla cognitione judiciali, veteres poſſeſſores ſpoliabant; quod merito vetare Rex voluit, & ad uſum revocare conſtitutionem Caroli II. Andegavenſis, quæ eſt in *cap. item ſtatuimus, quod ſi Procuratores &c.*, ubi eadem prohibitio, imo eadem verba, quæ extant in pragmatica, leguntur. Noſtris temporibus Procuratores

Digitized by Google

ratores Fiſcales ejus generis nulli amplius ſunt in Provinciis; nam qui in Tribunalibus Audientiarum creantur, cauſis tantum criminalibus incumbunt; & omnia, quæ ad jura fiſcalia pertinent, negotia, in Regia Camera tractantur; quam tenentur omnes Regii Officiales, ubi opus fuerit, certiorem facere de iis, quæ Publici Ærarii propria ſunt.

XIV. De munere Rationalium Regiæ Cameræ, omittimus in præſenti diſſerere, ſiquidem opportunius ea de re dicetur infra, ubi agemus de adminiſtratione, exactione, atque computis publicæ pecuniæ, ſecundum ea, quæ in noviſſimis Legibus ſtatuta ſunt.

C A P. IX.

De inſtitutione Tribunalis, quod olim dicebatur Conſilium Collaterale, ejuſque authoritate; poſtmodum transfuſa in Cameram Regalem.

NOVORUM Tribunalium inſtitutio apud nos, non tantum ex ipſa negotiorum expediendorum neceſſitate ortum habuit, verum etiam ex diverſa forma publici Regiminis. Poſtquam proprios Reges hoc Regnum deſiit habere, & in ditionem pervenit Regum Hiſpanorum, qui per ſuos Vicarios, vulgo Vicereges, illud adminiſtrarunt, neceſſarium omnino fuit, ut nova Magiſtratuum officia crearentur. Et quemadmodum Carolus I. Andegavenſis, dum peregre proficiſceretur, filium Vicarium creavit, eique prudentes Viros adjunxit, ut publicis rebus conſuleretur, unde nova Curia originem habuit, quæ Vicarii fuit adpellata; eadem ratione a Ferdinando Aragonenſi, qui *Catholicus* cognominatus eſt, novum Magiſtratuum Collegium inſtitutum fuit, vulgo Conſilium Collaterale adpellatum. Hic equidem Rex, dum ad Regnum noviter adquiſitum, unde & veteres Principes de familia Alphonſi Aragonenſis, & Gallos ejecerat, inviſendum veniſſet, ſecum duxit ab Hiſpania quoſdam prudentes viros, qui in ſupremo Regni

gni Aragoniæ Tribunali adſcripti erant, & Regentes dicebantur (vid. *Top. de orig. Trib. part. 3. pag. 144.*), adhoc ut illorum conſilio uteretur. Cum autem in Hiſpaniam reverti vellet, ſuum Vicarium creavit, eique ſelectos viros addidit duos, in juris ſcientia verſatos; & ad exemplum Senatus Aragonenſis adpellari voluit Regentes, ut eorum ope, & conſilio, quæ publice expedirent, rectius, & maturius perficerentur per Vicarium jam deſignatum. Ex his patet, ſi prima inſtitutio inquiratur, horum Regentium munus non aliud fuiſſe, quam aſſidere Regni Præfecto, ejuſque lateri adeſse (unde & Collaterales poſtmodum dicti ſunt, & eorum Collegium, Conſilium Collaterale), ne quid Regnum, ejuſque univerſale commodum, atque utilitas detrimenti caperet; idque confirmatur ex eo, quod Carolo V. imperante (vid. *vol. 1. privil. pag. 165.*), & tertius additus fuit Regens, qui penes ipſum Regem continuo adeſſet, ut, eo ſuggerente, quæ ad Regni gubernationem pertinerent, decernerentur. Duo autem, qui apud nos degebant, cum ſoli non ſufficerent, præſertim in rerum magni momenti deliberatione, creatus fuit & quartus; qui erat illorum ordinarius numerus; etſi aliquando extra ordinem, & alii crearentur, vid. *Tapiam in rubr. de offic. Magn. Cancel. num. 5.*

II. Igitur initio hi Regentes publicis magis negotiis incumbebant, quàm privatis; & propterea in Cancellarii munus ſucceſſerunt. Apud Scriptores ſequioris ævi, Cancellarii nomine intelligebatur is, qui Principis litteras, & mandata excipiebat, conſervabat, & in publicum proferebat. Originem vocabuli ſic tradit Joannes de Janua apud Cangium *in gloſ. v. Cancellarius*: *Cancellus dicitur interſtitiam muralium. Et fuit hoc tractum a Palæſtina Regione, ubi tecta deſuper cacuminata non erant, ſed jacebant in planum proſtrata. Elevabantur vero parietes circumquaque ad modum muralium; illa vero interſtitia, quæ ſunt inter propugnacula, dicuntur proprie Cancelli. Qui vero epiſtolas miſſas recitare volebant Populo in Regione Palæſtina antiquitus, aſcendebant ſuper tectum, & de Cancellis*

tellis recitabant. Et inde inolevit *uſus*, *ut qui litteras Principibus miſſas habent exponere*, *Cancellarii*, *uſitato nomine*, *dicantur*. A Normannis Principibus, inter ſeptem, quæ dicuntur Regni Officia apud nos ſtatuta, fuit & Magnus Cancellarius, ad cujus munus pertinebat Regia Edicta, & Privilegia, Officiorumque conceſſiones edere, vulgo expedire; necnon etiam Officialium, & Magiſtratuum authoritatem, & juriſdictionem ſuis limitibus continere, eorumque diſſidia componere. Veriſimile autem eſt, ſub ſequentibus Regibus, præſertim Andegavenſibus, & Aragonenſibus, Magni Cancellarii munus paulatim defeciſſe; nec probaverim libenter, quod tradit *Author hiſt. civil. lib.* 30. *c.* 2. §. 1., ex inſtitutione Collateralis Conſilii per Ferdinandum Catholicum, munus Cancellarii abolitum, & tantum ex parte permanſiſſe in facultate Doctorum creandorum, illudque tranſlatum in novum Tribunal Regentium Cancellariæ; nam cum præ cæteris Reges Aragonenſes ſuos habuiſſent Secretarios, qui & publicorum negotiorum expeditioni vacabant, multa quæ olim officii erant Cancellarii, per eos perficiebant, & promulgabant; ut videre eſt in eorum Edictis, & Pragmaticis Sanctionibus, quæ non ſemel, præter Regis ſubſcriptionem, continent poſtremo loco nomen ejus, qui erat a ſecretis; ut denotaretur, adhibito antea ſapientum conſilio, eam legem editam fuiſſe per *Secretariam*, quæ vulgo dicitur, Regis. Quod & temporibus noſtris uſitatur. Et propterea erant Regentes Conſiliarii Proregis; quandoquidem ea, in quibus Magni Cancellarii munus verſabatur, jam inductum erat, ut alia forma peragerentur. Sed quoniam petitiones, propoſitæ per ſupplices libellos coram Prorege, examinandæ, & diſcutiendæ erant per Regentes, ideo factum eſt, ut novum Tribunal per ipſos componeretur, qui & ſuos Notarios habebat, vulgo dictos *Scribas Mandamentorum*, ſive Mandatorum Conſilii Collateralis; qui ne nimium ſubditos vexarent, novis, & immoderatis exactionibus, quæ ſporatularum nomine eis debebantur; juſte; & prudenter cavit idemmet Ferdinandus Catholicus ſua conſtitutione, quæ

extat

Digitized by Google

ente Fiſci Advocato, libertas data reſcinditur *l.* 3. §. *Divus Adrianus*, & *l.* 7. *D. de jur. Fiſc.*; ubi notat Cujacius, id merito connumerari inter præcipua jura, & privilegia Fiſci; nam privatorum cauſæ, propter abſentiam Advocatorum, non retractantur, quæ ſemel judicatæ ſunt, *l.* 4. *C. de poſtul.* At cauſæ fiſcales retractantur, propter abſenſentiam Patroni Fiſci; quia nihil actum eſſe intelligitur, ideſt res integra eſſe, necdum judicata: Et ubi nihil actum eſſe intelligitur, ibi ſententia eſt ipſo jure nulla, ex integro agi oportet, *l.* 4. *C. quomod.*, & *quand. Judex*, *l.* 1. *C. de ſent.*, & *interloqu.* Quid ſi ſententia ſit pro Fiſco, an adhuc erit nulla, dum fuit pronunciata eo abſente? Negandum eſt, quandoquidem ſuperiores leges cavere voluerunt, ne quid Fiſcus detrimenti caperet; quod utique in propoſita ſpecie non evenit. Cenſetur autem in legibus noſtris uſque adeo conveniens, cauſas fiſcales, Fiſco inaudito, tractandas non eſſe, ut certi dies deſignati ſint ad eam rem perficiendam; nam in *prag.* 62. §. 3. *eod. tit.* mandatur Locumtenenti, ut qualibet die Lunæ non alia proponantur negotia in Camera, quam ea, in quibus actoris partibus fungitur Regius Fiſcus.

VII. Quoniam ſæpius in diſceptationem venit, quænam proprie fiſcales cauſæ adpellandæ ſint, in quibus ſcilicet Advocatus Fiſci audiri debeat; ideo generalis obſervanda eſt regula, quæ habetur in *cit.* §. 3., nempe privatas, non fiſcales cauſas dicendas eſſe, quoties Fiſcus neque principalis Actor eſt, neque Reus conventus, neque Author laudatus; hoc eſt in judicio evictionis; nam ſi quis rem fiſcalem emerit, de qua controverſia moveatur, quoniam Fiſco denunciandum eſt, utique ejus intereſt, & propterea nihil quidquam decerni poteſt, eo inaudito. Quæ eſt ratio, cur in *eadem prag.* ſtatuatur, ſuperiores cauſas non alibi, quam in Regia Camera tractandas eſſe, ubi Advocatus Fiſcalis reſidet. Superior generalis definitio, cum perſpicua admodum ſit, ſufficiet utique ad omnes difficultates amovendas, ut certò ſciri poſſit, quænam proprie ſint cauſæ fiſcales; niſi conſuetæ forenſes cavillationes, & Doctorum mi-

Digitized by Google

minus aptæ interpretationes eam perturbaſſent. Et primo errare videtur mihi Capyciuslatro, qui *deciſ.* 186. *num.* 3. inter controverſias tractandas in Regia Camera ; & per conſequens, interveniente Advocato Fiſcali, ponit etiam, quoties privatus privatum convenit ex cauſa quæ a Fiſco pendet ; nam hoc falſum eſt, niſi Fiſci interſit, prout apparet in propoſita jam ſpecie circa evictionem. Et male utitur Capyciuslatro *l. cum vendente* 4. *C. ubi cauſæ fiſcales &c.* & *l. ſi minori* 3. *C. de jur. fiſc. lib.* 10., etenim in *l.* 4., ut recte gloſſa animadvertit, proponitur, privatos ex conſenſu, *audientiam*, hoc eſt forum Procuratoris Cæſaris elegiſſe ; quod utique ad rem non facit ; ſiquidem in conſentientem cujuſvis Judicis juriſdictio eſt *l.* 1. *C. de juriſd. omn. jud.* Quod vero attinet ad *l.* 3. non agitur ſimpliciter de cauſa inter privatos ; nam ſpecies ibi proponitur de re obligata Fiſco, & quæ a Procuratore Cæſaris minore pretio per fraudem vendita erat ; & recte ajunt Imperatores, ſucceſſorem Procuratoris reſcindere debere venditionem, & rem reſtituere debitori, qui obtulit quantitatem debitam. Sed omiſſis iis, quæ ex jure Romano ſunt, *cit. prag.* 62. §. 3. prudenter omnem apud nos dubitandi occaſionem tollit ; nam ſtatuit præterea, ab Advocato Fiſcali Principem conſulendum eſſe, quoties in cauſis privatorum, aliquid præciſe adpareat, ad Fiſci commodum, vel incommodum pertinens, ad hoc ut decerni poſſit, utrum in Regia Camera, an in Sacro Conſilio, aliove Tribunali, propoſita quæſtio tractari debeat. Et videtur amplius non eſſe locum iis, quæ proponit de Franchis *deciſ.* 117. *num.* 2., ſcilicet ſolitum eſſe Sacrum Conſilium, *quando lis eſt inter privatos, & Regius Fiſcus in cauſa non habet intereſſe formatum, & dubitatur ex lite inter partes, aliquod intereſſe poſſe oriri Fiſco, providere ; quod Advocatus patrimonii poſſit aſſiſtere in cauſa in Sacro Conſilio* ; nam poſt eam pragmaticam, dum in dubio conſulendus eſt Princeps, hic utique decernet, ubi cauſa tractanda ſit. At quando manifeſta res eſt, non tantum, petente Fiſco, agitanda eſt cauſa in Regia Camera, ſed tenentur ipſimet Judices ex officio

cio, negotium, quod in diſceptationem venit, ad eam remittere; ſiquidem quilibet eorum, etſi alieno Tribunali addictus, tenetur quæ Fiſci commoda ſunt, advertere, vid. ejuſd. de Franchis *deciſ.* 132. Quapropter oſcitantia Doctorum nimia hic videtur, dum confundentes tempora, ante, & poſt *cit. pragm.* 62., ab antiquis quæſtionibus non abſtinent; imo nec ſenſum pragmaticæ ſe percepiſse oſtendunt, ut videre eſt in illis verbis *de Luca ad cit. deciſ.* 132. *de Franchis num.* 2..... *Ubi quod licet per prag.* 61. *de offic. Pr. Cæſ. cauſæ decidendæ per Regiam Cameram ſunt, in quibus Fiſcus eſt actor, vel reus, vel author laudatus; & in prag.* 62. *eſt quartus caſus, quando intereſſe Regii Fiſci eſt præſentaneum, & conſiderabile, & adſit ejus inſtantia; nihilominus &c.*; nam in pragmatica non proponitur quartus hic caſus, utpote in quo Regia Camera ſit Judex ordinarius; ſed ſtatuitur, ut eo interveniente, conſulatur Princeps, a quo, ſecundum qualitatem facti, decernetur de Judice competenti. Et fortaſſis hanc cauſam habuit pragmatica, cur ita ſtatueret indefinite, quia ad Principis æquitatem pertinet curare, ne a potentioribus, ſcilicet iis, qui opibus, & gratia valent, & conventu ſunt difficiles, infirmiores ſubditi opprimantur, quo pertinet *tit. in Cod. Ne liceat potentioribus patrocinium litigantibus præſtare, vel actiones in ſe transferre*. Quod præcipue cavendum eſt in Fiſco, quo nemo potentior eſt, aut conventu difficilior. Hinc iiſdem Romanis legibus prohibetur, ne Fiſcus, aut Reſpublica procurationem litis alienæ in perniciem privatorum ſuſcipiant; nec etiam ſub prætextu, quod is, cujus lis eſt, debitor ſit Fiſci, vel Reipublicæ, nec quod partem litis eis donaverit; quæ donatio non admittitur; quemadmodum & nullius momenti ſit mandatum, ſi debitor Fiſci, ei mandet actionem adverſus debitorem ſuum, vid. *l.* 2., & 3., & *tot. tit. Cod. Ne Fiſcus, vel Reſpublica procurationem alicui, patrocinii cauſa, in lite præſtet*. Hæc omnia cavere voluit *d. pragmatica*, & propterea decrevit, exceptis tribus cauſis, de quibus ſupra, in omnibus reliquis Principem adeundum eſſe, ſi quando apparere poſſit commodum, vel incom-

Digitized by Google

commodum Fiſci; quò ſcilicet deliberetur, utrum petitio Fiſci juſta ſit, an injuſta, tum circa negotium ipſum, tum circa judicem competentem.

VIII. Fiſcales cauſæ quæ ſint ut cognoſci poſſit a Principe, & ut illarum curſus non impediatur, ſtatuitur, & mandatur in *prag.* 20. *de offic. Pr. Caſ. librum fieri per Magiſtrum Actorum Regiæ Cameræ, in quo cauſæ omnes pendentes, in quibus Fiſcus actoris vices ſuſtinet, ac pariter futuræ, in quibus Fiſcus aget, annotari debeant, una cum annotatione Commiſſariorum, quibus commiſſæ ſunt, ac Scribarum, ſeu Actuariorum, qui illas agunt. Qui liber per Fiſci Advocatum conſervetur; & tam per eum, quam per Procuratorem, ſolerti, qua decet, ſollicitudine adhibita, percurratur; ut ad earundem cauſarum expeditionem, prout illarum qualitas, ac temporum opportunitas exegerint, pervenire poſſit.* Cavetur denique in *prag.*, eum Librum bis quolibet menſe in Tribunali recognoſcendum; & poſtremo die Saturni relationem faciendam Principi; & unumquemque ex Commiſſariis referre quoque debere *ſtatum cauſarum ſibi commiſſarum*.

IX. Pertinet quoque ad Advocatum Fiſcalem providere, ut diligenter exequantur quæ in *pragm.* 43. *eod. tit.* ſtatuta leguntur circa curam, quæ peculiaris eſſe debet Scribarum Regiæ Cameræ, quibus munus datur regiſtrandi litteras, & proviſiones Curiæ; nempe ut illi ſub pœna privationis officii, alteriuſve ad arbitrium Principis, indicem, ſeu notam conficiant, & conſignent Rationalibus, de omnibus commiſſionibus expeditis, tam pro exactione pœnarum, quam debitorum Regiæ Curiæ, ac pro capienda poſſeſſione bonorum, quæ Fiſcus ad se, tamquam vacantia, vel aliter ſpectare prætendit. Quæ omnia rectiſſime ſtatuta ſunt, ne per incuriam prætermittantur, aut male adminiſtrentur quæ Regii patrimonii interſunt. Eodem pertinet quod mandatur in *prag.* 44., *ut Conſervator Quinternionum Regiæ Cameræ menſe quolibet det notam omnium privilegiorum, conceſſionum, ſeu aſſenſuum feudalium, Rationali, qui Cedularii curam tenet; & pariter eadem nota*

 detur

detur Fiſci Advocato, ut inde feudorum, quæ ob lineam finitam Regiæ Curiæ devolui contigerit, vel releviorum, facilis notitia, & recens memoria habeatur; & indemnitati ejuſdem Curiæ circa hoc conſultum adpareat, ſub pœna, ut ſupra.

X. Cum jura tantum Fiſci, ut dictum eſt, tueatur ejus Advocatus in Regia Camera; ideo tanquam ſuſpectus recuſari non poteſt ab altera parte litigantium; quandoquidem non judicat ipſe, ſed tantum in judicando aſſiſtit. Verum quoniam abuſus jam inolevit, ut ille ſimplicis Advocati munus ſupergreſſus, non leve momentum adferret deciſionibus cauſarum, unde plus ſibi videbatur Fiſcus tribuere, quam univerſum Judicantium Collegium; propterea ante Philippi IV. Hiſpaniarum Regis tempora, paſſim recuſabatur, ſive ſuſpectus allegabatur, etiam ex cauſis leviſſimis; quod grave adferebat adminiſtrationi Regalis Patrimonii incommodum. Et propterea ſic ſtatuit idem Rex in *cit. pragm.* 75. §. 78., ut propoſitæ ſuſpectionis cauſæ adverſus Advocatum Fiſcalem nullo alio tractentur in Tribunali, præterquam in Regia Camera; & ut nulla alia cenſeatur legitima cauſa ejuſmodi ſuſpectionis, niſi capitalis inimicitia, non reconciliata, quæ intercedit inter ipſum Fiſcalem, & litigantem, vel eorum conſanguineos, & affines uſque ad ſecundum gradum. Sed hæc conſtitutio videtur mihi exceptione temperanda ex *pragm.* 12., & 14. *de ſuſpic. offic.*, ubi prohibetur ſuſpectum allegari, non minus Locumtenentem, quam Fiſci Patronum, quoties agitur de redditione, & recognitione computorum; fortaſſis quia in ejuſmodi cauſis propoſitæ ſuſpectiones videntur potius ad calumniam pertinere, quam ad legitimam defenſionem; vel quia ea de re, quæ naſci ſolent controverſiæ, facti magis ſunt, quam juris. Neque obſtat quod *pragm.* 75. cum generalis ſit, & poſterior, videatur derogaſſe *dd. pragmatica* 12., & 14., nam ex regula *l. in toto* 81. *D. de reg. jur.* generi per ſpeciem derogatur, quoties in ſpecie peculiaris adeſt ratio, ut in caſu noſtro; quæ efficit, ut & lex noviſſimo loco lata, non abroget priorem.

XI.

XI. Quemadmodum in cauſis privatorum Advocato ſolet adjungi Procurator, cujus nempe munus eſt actibus judicialibus incumbere, & ea omnia providere; quæ pertinent ad inſtructionem cauſæ; eodem modo & in Regia Camera Patrono Fiſci Procurator ejuſdem adjunctus eſt. Hic tamen non aſſiſtit in Tribunali, ſed ſeparatam ſedem habet; idque olim commune erat cum Fiſci Advocato; unde ſic ſtatutum legimus a Carolo V. in *pragm.* 1. §. 14. *de offic. Proc. Caſ.*: *Pro cuſtodia juſtitiæ, ne vota pandantur; ſtatuimus, ut nemo, niſi Locumtenens, & Præſidentes in Banca intrent*: Sequitur conſtitutio: *Per Porterios Locumtenenti notificandum, quoties poſt cauſam votatam, Patronus; ac Procurator Fiſci, vel aliquis ex Rationalibus, aut Scribis, quidquam pro ſervitio noſtro proponere voluerint &c.* Verum ex Petri Toletani Proregis declaratione, ſeu potius nova lege, quæ extat in *pragm.* 23. *eod. tit.* ſtatutum fuit, Advocatum Fiſci ſemper in Tribunali intereſſe debere, etiam quando cauſæ *diſcutiantur, votantur, & deciduntur. Procurator autem Fiſci, & Notator, quando cauſæ votantur in Tribunali præſentes eſſe non debeant; ſed poſt cauſam votatam, Tribunal ingrediantur &c.* Neſcio autem, an novum hoc jus inductum, publicæ utilitati fuerit conſentaneum. Illud plane conſtat ex *volum. privileg. tom.* 2. *pag.* 281., quod & alibi monuimus, enixis precibus petitum fuiſſe a Civitate, & Regno, ut Advocatus Fiſci publice, & coram ipſis partibus, quæ ſua ſunt jura, proponat; ut nempe ejus petitionibus, atque objectionibus congrue reſponderi poſſit; ſatis enim grave viſum eſt, dum feruntur ſuffragia a Judicantibus, ſolum Advocatum Fiſci intereſſe, a quo aliquando facile eſt proponi, quæ mentem Judicantium moveant, dum nullus adeſt, qui ei legitime, atque idonee contradicat.

XII. Ad curam Procuratoris Fiſcalis ſpectat, in peculiari libello annotare *informationes captas de ordine Regiæ Cameræ, vel capiendas, ac ad eandem quomodolibet tranſmittendas*, ut loquitur *pragm.* 21. *cit. tit.* Quod ideo ſtatutum cenſeo, ut circa eas informationes promovere poſſit,

ac perficere Procurator, quæ Fiſci interſunt, ne illæ per incuriam, & malitiam aut deſerantur, aut minus recte conficiantur. Officio quoque Procuratoris Fiſcalis accenſetur, quod injungitur in *pragm.* 19. §. 4. *eod. tit.*, ſcilicet, ut ille ſimul *cum Notatore, & Actorum Magiſtro, teneatur ſingulis diebus certiorem facere Locumtenentem, & Præſidentem de computis, quæ fortaſſe in termino ſtatuto, per Miniſtros non fuerint præſentata, ut debite provideatur indemnitati Regiæ Cameræ; nec deſiſtat, donec fuerit proviſum*. Ad hoc autem, ut quæ ſui muneris ſunt, idonee peragere poſſit Procurator, mandatur in *pragm.* 28. *eod. tit.* ut cæteri Officiales Regii ſtatim conficiant, & ei tradant ſcripturas requiſitas, quæ fortaſſis neceſſariæ erunt pro rationibus ſpectantibus ad Fiſcum.

XIII. Ut jura fiſcalia in tuto eſſent placuit olim Friderico II. in *conſt. inter multas, & arduas*, in unaquaque Regni Provincia, ſive *Præſidatu*, ut ipſe ait, peculiarem ſtatuere Procuratorem Fiſcalem, cujus munus eſſet inquirere diligenter *de Demaniis Regiis, Granateriis* (intellige locis pro frumenti conſervatione) *Piſcariis, Herbis, Aluminibus* (hoc eſt locis, ubi alumen colligitur); & generaliter de omnibus, quæ per *Regiam Curiam procurantur* (ſcilicet quæ tam communi, quam municipali jure ſpectant ad Curiam, ſive Patrimonium Principis). Imo & notionem talibus Procuratoribus dedit adverſus poſſeſſores rerum fiſcalium. Veriſimile eſt hæc perduraſſe uſque ad ætatem Ferdinandi I. Aragonenſis, ſiquidem in *pragm.* 1. §. 6. *de ſalar. eor. qui mit. &c.*, prohibetur Procuratoribus Fiſci, aliquem privare, & ejicere de poſſeſſione, in qua reperitur, niſi legitime conventus fuerit in judicio. Fortaſſis tunc temporis qui curabant negotia Fiſci, ſub pretextu jurium illius, de facto, & abſque ulla cognitione judiciali, veteres poſſeſſores ſpoliabant; quod merito vetare Rex voluit, & ad uſum revocare conſtitutionem Caroli II. Andegavenſis, quæ eſt in *cap. item ſtatuimus, quod ſi Procuratores &c.*, ubi eadem prohibitio, imo eadem verba, quæ extant in pragmatica, leguntur. Noſtris temporibus Procu-

ratores

Digitized by Google

ratores Fiſcales ejus generis nulli amplius ſunt in Provinciis; nam qui in Tribunalibus Audientiarum creantur, cauſis tantum criminalibus incumbunt; & omnia, quæ ad jura fiſcalia pertinent, negotia, in Regia Camera tractantur; quam tenentur omnes Regii Officiales, ubi opus fuerit, certiorem facere de iis, quæ Publici Ærarii propria ſunt.

XIV. De munere Rationalium Regiæ Cameræ, omittimus in præſenti diſſerere, ſiquidem opportunius ea de re dicetur infra, ubi agemus de adminiſtratione, exactione, atque computis publicæ pecuniæ, ſecundum ea, quæ in noviſſimis Legibus ſtatuta ſunt.

C A P. IX.

De inſtitutione Tribunalis, quod olim dicebatur Conſilium Collaterale, ejuſque authoritate; poſtmodum transfuſa in Cameram Regalem.

NOVORUM Tribunalium inſtitutio apud nos, non tantum ex ipſa negotiorum expediendorum neceſſitate ortum habuit, verum etiam ex diverſa forma publici Regiminis. Poſtquam proprios Reges hoc Regnum deſiit habere, & in ditionem pervenit Regum Hiſpanorum, qui per ſuos Vicarios, vulgo Vicereges, illud adminiſtrarunt, neceſſarium omnino fuit, ut nova Magiſtratuum officia crearentur. Et quemadmodum Carolus I. Andegavenſis, dum peregre proficiſceretur, filium Vicarium creavit, eique prudentes Viros adjunxit, ut publicis rebus conſuleretur, unde nova Curia originem habuit, quæ Vicarii fuit adpellata; eadem ratione a Ferdinando Aragonenſi, qui *Catholicus* cognominatus eſt, novum Magiſtratuum Collegium inſtitutum fuit, vulgo Conſilium Collaterale adpellatum. Hic equidem Rex, dum ad Regnum noviter adquiſitum, unde & veteres Principes de familia Alphonſi Aragonenſis, & Gallos ejecerat, inviſendum veniſſet, ſecum duxit ab Hiſpania quoſdam prudentes viros, qui in ſupremo Regni

gni Aragoniæ Tribunali adſcripti erant, & Regentes dicebantur (vid. *Top. de orig. Trib. part. 3. pag. 144.*), adhoc ut illorum conſilio uteretur. Cum autem in Hiſpaniam reverti vellet, ſuum Vicarium creavit, eique ſelectos viros addidit duos, in juris ſcientia verſatos; & ad exemplum Senatus Aragonenſis adpellari voluit Regentes; ut eorum ope, & conſilio, quæ publice expedirent, rectius, & maturius perficerentur per Vicarium jam deſignatum. Ex his patet, ſi prima inſtitutio inquiratur, horum Regentium munus non aliud fuiſſe, quam aſſidere Regni Præfecto, ejuſque lateri adeſse (unde & Collaterales poſtmodum dicti ſunt, & eorum Collegium, Conſilium Collaterale), ne quid Regnum, ejuſque univerſale commodum, atque utilitas detrimenti caperet; idque confirmatur ex eo, quod Carolo V. imperante (vid. *vol. 1. privil. pag. 165.*), & tertius additus fuit Regens, qui penes ipſum Regem continuo adeſſet, ut, eo ſuggerente, quæ ad Regni gubernationem pertinerent, decernerentur. Duo autem, qui apud nos degebant, cum ſoli non ſufficerent, præſertim in rerum magni momenti deliberatione, creatus fuit & quartus; qui erat illorum ordinarius numerus; etſi aliquando extra ordinem, & alii crearentur, vid. *Tapiam in rubr. de offic. Magn. Cancel. num. 5.*

II. Igitur initio hi Regentes publicis magis negotiis incumbebant, quàm privatis; & propterea in Cancellarii munus ſucceſſerunt. Apud Scriptores ſequioris ævi, Cancellarii nomine intelligebatur is, qui Principis litteras, & mandata excipiebat, conſervabat, & in publicum proferebat. Originem vocabuli ſic tradit Joannes de Janua apud Cangium *in gloſ. v. Cancellarius: Cancellus dicitur interſtitium muralium. Et fuit hoc tractum a Palæſtina Regione, ubi tecta deſuper cacuminata non erant, ſed jacebant in planum proſtrata. Elevabantur vero parietes circumquaque ad modum muralium; illa vero interſtitia, quæ ſunt inter propugnacula, dicuntur proprie Cancelli. Qui vero epiſtolas miſſas recitare volebant Populo in Regione Palæſtina antiquitus, aſcendebant ſuper tectum, & de Can-*

cellis

Digitized by Google

tellis recitabant. *Et inde inolevit uſus*, *ut qui litteras Principibus miſſas habent exponere*, *Cancellarii*, *uſitato nomine*, *dicantur*. A Normannis Principibus, inter ſeptem, quæ dicuntur Regni Officia apud nos ſtatuta, fuit & Magnus Cancellarius, ad cujus munus pertinebat Regia Edicta, & Privilegia, Officiorumque conceſſiones edere, vulgo expedire; necnon etiam Officialium, & Magiſtratuum authoritatem, & juriſdictionem ſuis limitibus continere, eorumque diſſidia componere. Veriſimile autem eſt, ſub ſequentibus Regibus, præſertim Andegavenſibus, & Aragonenſibus, Magni Cancellarii munus paulatim defeciſſe; nec probaverim libenter, quod tradit *Author hiſt. civil. lib.* 30. *c.* 2. §. 1., ex inſtitutione Collateralis Conſilii per Ferdinandum Catholicum, munus Cancellarii abolitum, & tantum ex parte permanſiſſe in facultate Doctorum creandorum, illudque translatum in novum Tribunal Regentium Cancellariæ; nam cum præ cæteris Reges Aragonenſes ſuos habuiſſent Secretarios, qui & publicorum negotiorum expeditioni vacabant, multa quæ olim officii erant Cancellarii, per eos perficiebant, & promulgabant; ut videre eſt in eorum Edictis, & Pragmaticis Sanctionibus, quæ non ſemel, præter Regis ſubſcriptionem, continent poſtremo loco nomen ejus, qui erat a ſecretis; ut denotaretur, adhibito antea ſapientum conſilio, eam legem editam fuiſſe per *Secretariam*, quæ vulgo dicitur, Regis. Quod & temporibus noſtris uſitatur. Et propterea erant Regentes Conſiliarii Proregis; quandoquidem ea, in quibus Magni Cancellarii munus verſabatur, jam inductum erat, ut alia forma peragerentur. Sed quoniam petitiones, propoſitæ per ſupplices libellos coram Prorege, examinandæ, & diſcutiendæ erant per Regentes, ideo factum eſt, ut novum Tribunal per ipſos componeretur, qui & ſuos Notarios habebat, vulgo dictos *Scribas Mandamentorum*, ſive Mandatorum Conſilii Collateralis; qui ne nimium ſubditos vexarent, novis, & immoderatis exactionibus, quæ ſporatularum nomine eis debebantur; juſte; & prudenter cavit idemmet Ferdinandus Catholicus ſua conſtitutione, quæ

extat

extat in *pragm.* 1. *de offic. ſecret.*, *& his*, *quæ incumbunt in Reg. Cancell.*, in cujus prologo notatu digna ſunt illa verba ſapientiſſimi Regis: *Egregia ſane antiquorum ſententia eſt, ſic Regna, & Imperia recte, & tute gubernari, ſi Leges, Edicta, & Decreta Principum, ad Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti, & ad ipſorum decus, & gloriam, ſubditorumque utilitates omnia referantur: contra enim, ſi neglecta ſubditorum ratione, ad Fiſci tantum utilitatem adplicandam ſpectare videantur, neque Principum Imperia diuturna eſſe, neque ipſi non potius Tyranni, quam Principes dici poſſunt. Quid eſt igitur, quomodo magis ſubditorum fere omnium utilitas verti poſſit, quodque ad Regis dignitatem magis attinet, quam eorum, qui penes Regiam Curiam negotiaturi ſunt, rationibus ſic conſulere, ut adjungentes ſumtus, quibus, dum peregre ſunt, quotidie premuntur, etiam immoderatas ſcripturarum mercedes, Secretariis, & Scribis ſolvere non cogantur. Sicut enim fraudari quemquam juſti laboris ſui mercede injurium eſt; ſic omnino majori, quam decet, ſolutione negotiantes gravari, tum iniquum, tum nobis minime perferendum duximus.* Cavit etiam idem Ferdinandus in *pragm.* 1. *de fid.*, *& auth. memor.*, ut deinceps ſupplices libelli, ſive memorialia, in quibus continentur privilegia, diſpenſationes, conceſſiones officiorum, aut ejuſdem generis ſimilia, per Secretarium Principis expedita, nullam vim obtineant, nec probationes in Judicio, aut extra facere poſſint, niſi in formam conſuetam Cancellariæ redigantur, & Regio Sigillo firmentur. Qua in conſtitutione adparet, quodnam fuerit munus Regentium, nam in calce ſic ait Rex: *Nec minus providemus, quod per Conſilium noſtrum, aut Auditores noſtros* (intellige Conſilium Collaterale, & Regentes, qui ea ætate & Auditores adpellabantur *vid. vol.* 1. *privileg. pag.* 103. *c.* 9.) *in Conſilio noſtri Viceregis, & Locumtenentis Generalis, Litteræ, aut Proviſiones decernendæ, nomine Auditorum noſtrorum non expediantur; ſed nomine dicti Locumtenentis Generalis per Secretarium noſtrum, ſigilloque noſtro ſigillentur, remotis quibuſcumque abuſibus hactenus factis.* Quibus ex verbis

Digitized by Google

verbis colligitur, Regentium munus fuiſſe, conſilium præbere Viceregi, antequam decerneretur aliquid; cæterum decreta ipſa, & proviſiones nomine Principis prodibant.

III. Hinc facile eſt in conſuetos Pragmaticorum errores animadvertere, qui dum volunt magnificare Collaterale Conſilium, eodemque tempore eruditionis auram captare, ad Romanorum antiquos Magiſtratus mentis aciem convertunt. Cæterorum figmenta, opinioneſque varias dum in unum componit *Author Juriſprudentiæ Forenſis*, ſic ſcribit *tom.8. c.25. num.4..... Et majores alias prærogativas, & authoritates olim Collateralis Conſili collegit Reg. Lanar. conſ. 88., ubi dixit, Regentes Collaterales ſuſtinere vices Senatus Romanorum, Conſulum, Quæſtoris, Præfecti Urbis, Comitis ſacrarum largitionum, & ſimilium officiorum Romanæ Reipublicæ*. Pape! quis unquam fando audivit in uno Collegio tantam authoritatem? Sed hoc idem eſt, ac nihil intelligendo, verba verbis ſuperaddere, & ſcripturas, libroſque puerilibus commentis refertos in lucem mittere. Quid plura? Non deſunt, quibus placet & ſuperioribus aliquid amplius addere. *Taſſonus de anteſ. verſ. 7. obſ. 3. num. 21. Habet enim hoc Collaterale Conſilium adminiſtrationem, Freccia in lib. 2. de ſubſ. &c. ac authoritatem maximam, & ſupremam, & pluſquam Romani Conſules habebant*. Contra Topius *de orig. Trib. lib.3. c.1.* dum infelici conatu ſtudet Regni Neapolitani Magiſtratus cum Romanis comparare, Regentes Cancellariæ adpellat Præfectos Libellorum. Quod vocabulum novum eſt inter Magiſtratus Romanos; nam dicere debuiſſet, Magiſtros libellorum, quorum cura erat libellos Principi oblatos recipere, conſervare, & quod in Conſilio Imperiali decretum erat, petentibus edere. Quod munus creditur, Papinianum, antequam ad ſummos Magiſtratus proveheretur, obiiſſe penes Imperatorem Severum, ex illis verbis *l. reſcriptum 12. D. de diſtract. pign. Reſcriptum eſt ab Imperatore; libellos agente Papiniano &c.* Sed hæc comparatio longe diſtat a ſuperioribus: illæ in immenſum protrahunt *Collateralis* authoritatem; hæc vero deprimit; nam Regentes &

ipſi in conſilium vocabantur, & ſuffragium dabant in iis, quæ decernenda erant: cum contra libellorum Magiſtri excipiebant juſſa Principis, & in publicum proferebant. Quod munus erat potius Secretarii Collateralis, de quo agitur in *cit. tit. Pragmaticarum de officio Secretarii, ſeu a libellis*, & vulgo dicebatur *Secretarius Regni*. Quamvis confuſa eſſent officia; ſiquidem Proreges, & ſuos habebant Secretarios, qui & recipiebant ſupplices libellos, & ex iis, quid Principi placuiſſet decernere, Mandata, ſive Diplomata conficiebant. Unde, quod ſæpe monuimus, ineptiſſimum eſt, in explicandis legibus, & iis quæ apud nos recepta ſunt, ad Romanos mores, atque inſtituta recurrere; cum in quolibet Principatu propria adſit, & peculiaris rerum tractandarum ratio. Circa Secretarios Collateralis multæ extant pragmaticæ ſanctiones, tum quod attinet ad eorum curam, atque officium, tum ne illi nimium ſua authoritate abutentes, illicita, & aliena a ſuo munere peragant, vid. *prag. 2. 6. 7. 9. 10., & ſeq. cit. tit.*

IV. Procedente tempore immutata aliquo modo fuit inſtitutio, & per conſequens authoritas Collateralis Conſilii; nam primitus ſua origine erat tantum illud Conſilium ejus, qui Principis vices obibat, unde ſummæ rerum præerat, & publicis magis, ut diximus, quam privatis negotiis, quæ propriis, & competentibus Judicibus amandabantur; nam Rex Ferdinandus non ea mente Regentes adjunxit Proregi, ut ordinaria Tribunalium juriſdictio inverteretur, aut ut novum Tribunal Juſtitiæ erigeretur; ſed ut regimen, atque adminiſtratio Regni, eorum conſilio rectius, atque melius procederet. Verum (quod ſæpe accidit, ut Magiſtratus vel ambitionis fovendæ, vel authoritatis ampliandæ gratia, alienis curis, & negotiis se immiſceant) cæperunt Regentes in libellis oblatis non tantum ea decernere, quæ propria erant ſummi imperii, juriſque Principis; ſed & quæ pertinebant ad officium juris dicendi, ſive ad judicandum de controverſiis privatorum; unde paulatim Collaterale, de Collegio Aſſeſſorum, & Conſiliariorum Proregis, factum fuit Tribunal Juſtitiæ, ubi & judiciales

ciales

ciales controverſiæ, & forenſes ſolemnitates obſervabantur, non minus ac in cæteris ordinariæ juriſdictionis Tribunalibus. Hoc equidem ſi advertiſſet *de Ponte in tract. de pot. Proreg. tit.* 12. *de delegat. cauſ.* quæſtionem non propoſuiſſet, utrum Regentes Collaterales ſint Aſſeſſores Proregis, an *Miniſtri de ſupremo Conſilio, ut cæteri omnes aliorum Tribunalium.* Et licet ipſe poſteriorem hanc ſententiam, non ſine magno verborum apparatu, tueatur; tamen dum verum aſſerit, diſcrimine non adhibito inter primævam inſtitutionem, & rationem poſtea introductam rerum agendarum, ſatis accurate non diſputat. Facti ſunt Regentes Miniſtri, ut ipſe ait, de Supremo Conſilio, habebantque *vota deciſiva*, non *conſultiva tantum*, poſtquam ex abuſu magis, quam jure ordinario cæperunt ipſimet Proreges in cauſis judiciariis, vulgo meræ juſtitiæ, ſeſe immiſcere; & propterea ut ea de re melius conſuleretur ſubditorum petitionibus, mandatum fuit a Carolo V. (vid. *vol.* 1. *privileg. pag.* 235. *c.* 7.) *ut remiſſiones ad juſtitiam, & proviſiones circa ea* perficerentur a Regentibus, neque iis poſſent Proreges impedimentum adferre. Et recte; nam videbatur iniquum, ut quæ de jure erant, ab aliis decernerentur, quam a Juriſconſultis. Idem ſtatuitur circas *aſſenſus*, qui in alienationibus, vel obligationibus rerum dotalium, vel feudalium præſtantur; nam etſi in iis contineantur quodammodo juris ſcripti diſpenſationes, quæ ſolius Principis ſunt; tamen cum non ſoleant concedi, niſi cauſa cognita, juſtiſſimum eſt, ut id committatur viris in juris ſcientia peritis, vid. *pragm.* 4. *de feudis*. Hinc paulatim factum eſt, ut duplex quodammodo eſſet munus Regentium Collateralium; quorum ex uno opem, conſiliumque præſtabant Proregi in ſumma rerum agendarum adminiſtratione, non minus circa belli, quam pacis jura; ex altero vero, tanquam ordinarii Magiſtratus, in certis, utplurimum magni alicujus momenti negotiis, jus reddebant. Vulgo noſtri dicunt: *habebant vota partim conſultiva, partim deciſiva.* Et propterea variæ deinceps ab Hiſpanis Regibus rogatæ fuerunt ſanctiones, ad officium Regentium Collateralium

Digitized by Google

ſpectantes, ſcilicet, ut certo cognoſceretur, quidnam ab iis jure ſuo, quidnam e diverſo tanquam Aſſeſſoribus Viceregum peragi poſſet. Ex iis autem, ſi diligenter perpendantur, manifeſte colligitur, dum agebatur de publica adminiſtratione, impoſitum fuiſſe Proregibus, ut in conſilium adhiberent Regentes: ſed id non erat præcipuæ neceſſitatis, adeout, ſi contra factum eſſet, geſta pro nullis haberentur. Sit exempli loco, quod ex gratiis conceſſis ab eodem Carolo V. (vid. *vol.priv.loc.cit.c.9.*) ſtatutum legimus, nempe, ut Judicium M.C., Auditorum Provincialium, Aſſeſſorum in Civitatibus, atque Oppidis Regiis electio *fieret cum interventu, & communicatione Regentium Cancellariam*. Sed hoc cenſebatur injunctum, ut vulgo dicimus, *pro meliori bono*; cæterum ſæpiſſime hujuſcemodi electiones ad privatam, peculiaremque curam revocabant Proreges. Id ipſum in Edictis obſervabatur, quæ utplurimum cum voto, & Conſilio Collateralis fiebant, & promulgabantur, ut in eorum præfationibus paſſim legitur; ſed aliquando ea prodibant ſolius Proregis nutu, *per Secretariam*, quæ dicebatur, *Status, & belli*. At e diverſo, quæ jus privatorum ſpectabant, non poterant legitime peragi, niſi ex ſuffragiis Regentium; ut in hac ſpecie relata in *eod. volum. privileg. pag.* 198. *c.* 11.: ſolebant aliquando Proreges in certis caſibus propria authoritate mandare torturam inferendam *ex ſolo proceſſu informativo*; quod vetuit idem Carolus V., juſſitque id fieri amplius non debere, niſi *cum conſilio, & voto, ſaltem unius ex Regentibus*; ea ſcilicet ratione, ut reus torquendus antea ad legitimas defenſiones admittatur; quod utique fieri non poteſt, niſi coram peritis in jure.

V. Ex his facile eſt intelligere, cur defecerit ex parte Collateralium Tribunal, poſtquam placuit Regi noſtro in hac Civitate Regiam Sedem collocare, & apud nos domicilium habere; unde res pervenit in eundem ſtatum, qui fuerat ante Ferdinandum Catholicum, & per conſequens ante inſtitutionem ejus Tribunalis; nam publicarum rerum

cura

Digitized by Google

cura, peculiaris, & immediata ipſius Regis facta eſt, a quo prudentia, & integritate morum inſignes deliguntur viri in conſilium, iique adpellantur *Conſiliarii Status*. At in iis, quæ ſpectant ad jus privatum, privatorumque controverſias componendas, quæque ſive ex legibus ipſis, ſive ex conſuetudine jam inductum erat, ut perficerentur in eo Tribunali, permanſit illius authoritas; unde hac in parte non dici poteſt abolitum fuiſſe, ſed potius in aliam formam translatum. Quod & prudentiſſime cautum eſt a Rege in pragmatica edita *die 7. Junii* 1735. Panormi, & *die 8. ejuſdem menſis* italico ſermone clarius expreſſa; in qua Collateralis Conſilii, & Cancellariæ antiquo jure abrogato, confirmatur tantum in iis, quæ antea in eo Tribunali pro quibuſdam negotiis, de quibus mox, peragebantur; ne ſcilicet eadem negotia deſtituerentur opportunis proviſionibus, prout jam conſuetum erat. Primum omnium voluit Rex reſtituere ſupremam, & antiquam Sacri Conſilii authoritatem; & propterea, quæ privatum jus reſpiciebant, & tractabantur in Collaterali, tranſtulit in Sacrum Conſilium. Verum ex Conſiliariis quatuor ſelegit, & eorum unumquemque in ſingulis Aulis priorem fecit cæterorum, vulgo *Caput Aulæ*; ſtatuitque, ut ii tribus diebus, nempe Lunæ, Mercurii, & Saturni, in qualibet hebdomada poſt prandium in unum convenire debeant in domo Præſidentis Sacri Conſili, qui conſtituitur veluti eorum Præfectus. Et ut videantur omnes neque novum, neque diverſum a Sacro Conſilio Tribunal componere, ſed potius peculiarem, & præcipuam ejus partem, placuit adpellari *Cameram Sanctæ Claræ*, & vulgo nunc dicimus *Cameram Regalem*. Verum ut omnes hi Conſiliarii maturius, commodiuſque vacare poſſint negotiis propriis ejus Cameræ, datur iis facultas pro arbitrio ſeſe conferendi, vel ſecus in Sacrum Conſilium ſtatutis diebus. Additur etiam iiſdem Secretarius; quibus omnibus congruum aſſignatur ſalarium, prout exprimitur in *ead. pragm.* §. 2. Igitur in hanc Cameram authoritas translata eſt earum rerum perficiendarum, quæ circa privatas cauſas tractabantur in Collaterali, ut di-

ximus,

Digitized by Google

ximus. Quod ut manifeſtius adpareat, ſingula quæque expreſſa in *eadem pragmatica* percurramus.

VI. Certis in cauſis Tribunalia, Judiceſque ordinarii, ſive ex legibus ipſis, ſive ex ſpeciali Principis diplomate, quoniam procedere ſolent ex mandata, ſive delegata juriſdictione; unde jam olim inductum erat, ut provocationes ab eorum ſententiis proponerentur in Collaterali Conſilio (vid. §. 6. *pragm. ult. de offic. S.R.C.*): ideo decernitur primo loco, ut in Camera Regali tractentur cujuſcumque generis remedia, quæ dicuntur, ſive reclamationis, ſive nullitatis, adpellationis, aut recurſus nomine propoſita adverſus ſententias Judicum delegatorum. Quod ſane conſonum eſt regulis juris communis ex vulgari Doctorum interpretatione ad *tit. Pandectarum*: *Quis a quo adpellatur*, nempe a delegato adpellari ad delegantem; & propterea a ſententia delegationis jure pronunciata, ad ipſum Principem delegantem provocandum eſt; a quo, cum agatur de confirmanda, vel reſcindenda ſententia, quod eſt judicialis cognitionis, deliguntur & alii Judices ad eam rem examinandam; qui olim erant Conſiliarii Collateralis, nunc Regalis Cameræ. Illud autem additur *in pragmatica*, relationes ex actibus judiciariis, non, ut antea obſervabatur, a Judicibus aliorum Tribunalium faciendas eſſe, ſed ab eo ex quatuor Conſiliariis, qui poſtremum locum occupat. Secundo ad eandem Cameram, ejuſque Conſiliarios pertinet viſitatio eorum, qui in carceribus detinentur, eadem forma, iiſdemque legibus, ac olim præſcriptum erat in Regentibus Collateralis, omni abuſu ſublato, vid. *tit. pragmaticarum de viſitatione, ſeu recenſione captivorum*. Tertio ejuſdem Cameræ munus eſt *aſſenſus* concedere, ſive expedire, pro alienationibus, aut obligationibus rerum feudalium, dotalium, Univerſitatum. Et propterea quæcumque leges latæ jam fuere pro ejuſmodi negotiis, quæque de Collaterali Conſilio loquuntur, transferendæ modo ſunt ad Regalem Cameram. Quod ipſum ſtatuit quoque pragmatica, dum diſpenſatio concedenda eſt, ratione paupertatis, in depoſitis certæ pecuniæ quantitatis, faciendis

in

in judicio quibuſdam ex cauſis, quas explicabimus ſuo loco. Quarto, juriſdictionis controverſias, ſive ubi diſceptatur de competenti, vel incompetenti Judice, & de uniuſcujuſque propria authoritate, & officio, Regalis Cameræ eſt definire; quemadmodum ubi recipiendæ ſunt, vel rejiciendæ ſcripturæ, quæ ab exteris Regionibus in Regnum tranſmittuntur, iiſque addendum, vel ſecus *Regium placitum*, quod noſtri dicunt *Regium exequatur*. Quinto ſuſpectionum quæſtiones, recurſus, gravaminis ob cauſas fortaſſis minus recte diſtributas, aut Commiſſarios aſſignatos a Præſidente Sacri Conſilii, cognoſcit Regalis Camera; verum in his caſibus Præſidens debebit in ſcriptis referre, nec in Tribunal venire. Denique in aliis negotiis ſive ad publicum, ſive ad privatum ſtatum pertinentibus, facultatem, ut ita dicam, indefinitam tribuit Rex eidem Cameræ, nam ex ſuo juſſu voluit eam procedere, prout ex mandatis Regiis, præſcriptum erit, certa forma, ac methodo. Quod autem antea in uſu erat, ut aliquando Camera Summaria sese conferret in Collaterale Conſilium pro ſuffragiis ferendis, abrogatur in pragmatica, ſtatuiturque, ut donec aliter proviſum fuerit, id fiat in domo Regii Locumtenentis. Denique ſpecialis prærogativa cernitur tributa in eadem pragmatica Præſidi Sacri Conſilii, ut ille tanquam Viceprothonotarius ſubſcribat, ſimul cum Secretario Regalis Cameræ, novas Leges, & Conſtitutiones, quæ deinceps a Rege promulgantur; abrogato uſu, qui jam obtinuerat, ut id fieret a Regentibus Collateralis, qui ſolebant non tantum ſubſcribere, ſed etiam in conſilium vocari, ut diximus, ad novas pragmaticas ferendas. Qua in re placuit Regi aliquo modo reſtituere quod conſuetum erat, dum apud nos rerum potirentur Principes de familia Aragonenſi. Dixi aliquo modo, nam ii utplurimum ſolebant Leges promulgare cum ſubſcriptione, vel ſolius Locumtenentis Magni Camerarii, ſuique Secretarii, vel addito Prothonotario; quod munus non ſemel exercebatur ab eodem Locumtenente; unde & Logotheta dicebatur. Exempla non deſunt in volumine Pragmaticarum.

CA-

C A P. X. & ultimum.

De inſtitutione, atque authoritate Tribunalis Commercii.

INTER Suprema, quæ dicuntur Tribunalia in Regno, noviſſimum eſt illud, quod adpellatur Commercii. Et ſane viſum fuit Regi noſtro publice expedire, ut faciliori methodo lites, & diſceptationes, ad mercaturam, & negotiationem pertinentes, componerentur, unde expeditior redderetur ipſa negotiatio; ne mercatores, omneſque ii, qui commerciis incumbunt, conſuetis judiciorum anfractibus detinerentur, non ſine temporis, & patrimonii jactura. Et propterea dum in Pompejano agebat an.1739. Edictum promulgavit; in quo ejus Tribunalis inſtitutio mandatur, ut deinceps omnes controverſiæ circa commercium inibi pertractarentur, ſive in primo judicio, ſive in judicio adpellationis; unde cæterorum judicum ea de re juriſdictionem abrogavit. Supervacaneum hic eſt monere, quam maxime Reipublicæ conducat, optimis inſtitutis, legibus, atque Officialibus mercaturam promovere; nam ex ea, dum ſubditi locupletantur, majori obſtringuntur nexu erga Patriam, & Principem; homines enim fortunis deſtituti, cupiditate novarum rerum afficiuntur, nec ullibi, aliove in ſtatu deteriorem conditionem metuunt. Hinc prudenter notatum eſt a Gellio *lib.*16. *c.*10. Romanos mortalium cordatiſſimos, non fuiſſe ſolitos eligere milites, niſi qui ſcripti eſſent in cenſu, hoc eſt qui certam patrimonii quantitatem haberent: *quoniam*, inquit, *res, pecuniaque familiaris, obſidis vice, pignoriſque eſſe apud Rempublicam videbatur; amoriſque in Patriam fides quædam in ea, firmamentumque erat: neque proletarii, neque capitecenſi milites, niſi in tumultu maximo ſcribebantur &c.* Quod autem ex mercatura opes Civium augeantur, manifeſtior res eſt, quam ut longis diſputationibus ea probanda ſit; ſiquidem inde & quæ in patrio ſolo naſcuntur fruges, majori cum lucro in alienas Regiones exportantur; & e diverſo, quæ deficiunt, facillime,

cillime, & commodiſſime habentur. Quo fit, ut neceſſitas magis, quam luxus, & affluentiæ cupiditas occaſionem primitus dederit negotiationi; & propterea, ubi hæc deficit, ſquallore, & miſeria incolæ obruuntur, licet uberrimum ſolum a natura ſortiti ſint; quod Hiſtoricorum monumenta nos docent de Populis Americanis, qui majori ex parte miſerrimam vitam agebant, quamvis naturæ divitiis, & terris ad culturam aptiſſimis detinerentur. Ad hæc, mercaturæ ſtudium ignaviam depellit, atque otium, ob artificium variarum rerum, cui Cives libenter incumbunt, dum inde victus quærendi facillime modum inveniunt; ut nihil dicam de publicis exactionibus, quæ maxime augentur, abſque ullo privatorum damno, atque incommodo.

II. Optime igitur, ac conſultiſſime Rex noſter in peculiarem ſuam curam traxit commercii promovendi methodum. Quod præcipue eventurum cenſuit, ſi legibus jam ſtatutis, noviſque Edictis deinceps promulgandis, circa mercaturam, proprii Judices ſapientia, prudentia civili, atque experientia rerum ornati, ſemper præſto eſſent; conſtituerentque proprium, & ſpeciale Tribunal, quo omnia opportunius, atque commodius pro ea re, expedirentur. Omnium ſane Populorum, præſertim qui maritimæ negotiationi diligentius dant operam, optimæ circa commercium extant leges. Et quamvis Romani militiæ, ampliandoque Imperio magis ſtuduiſſent, quam mercaturæ; tamen quæ ſparſim leguntur in libris juris ad eam ſpectantes leges, ſatis demonſtrant, eos mercium liberæ, atque expeditæ venditioni, necnon mercatorum ſecuritati diligenter proſpexiſſe, vid. *l. 2. D. de nundinis, & l. 1. C. de commerciis, & mercatoribus*. Et ut erant acerrimi ad bonum publicum judicii, quemadmodum in re bellica ex aliis Nationibus inſtrumenta ipſa, quæque militiæ cenſebant aptiora, libenter in ſuum uſum transferebant; ita in legibus, civilibuſque ſtatutis, utiliora quæque ſeligebant aliunde, & ſuæ adjungebant juriſprudentiæ. Quod, ut reliqua omittamus, perſpicue oſtendunt, quas de jure nautico celeberrima Rhodiorum Reſpublica ſibi olim confecerat

Digitized by Google

rat leges, nam iis, utpote optimis, & juſtiſſimis, componere ſolebant Romani controverſias maritimas, ad eaſque ipſimet Imperatores, ſupplicibus libellis rogati, amandabant litigantes. Cujus rei nobile extat exemplum in *l. ἀξίωσις deprecatio 9. D. ad leg. Rhod. de jactu*, ubi Imp. Antonini Reſcriptum refertur, & in calce additur, Auguſtum quoque judicaſſe, ut ex Lege Rhodia de ejuſmodi controverſiis diſceptaretur. Extant doctiſſimorum Juriſconſultorum ad eam legem commentaria, præſertim Jacobi Gothofredi, & Cornelii Van-Bynkershoek. Hic autem rectiſſime nos monet, exceptis iis, quæ in Jure Romano extant, monumentis, genuinas Rhodiorum leges deſiderari; nam quæ vulgo circumferuntur, quaſque *Author hiſt. civil. lib.* XI. *c.* 6. §. 2. communi errore decæptus, meminit, figmenta ſunt Græculi alicujus medii ævi Scriptoris, qui ut ſuæ farragini venerationem adjungeret, clariſſimi in rebus nauticis Populi nomen ſuperaddidit; in ea etenim collectione nihil eſt, quod non reprehendas, ſeu dicendi modum, ſeu rem ipſam ſpectes. Et præcipue ab omni æquitate eſt remotum, quod ibidem legitur, ſcilicet, Inſulanis, aut maritimis Civitatibus competere, ut nave vel in portu, vel littore earum appulſa, vel in earum finibus naufragio facto, bona naufragorum eis cederent. Et ſane inveriſimile eſt, id probari legibus Romanis, quibus contrarium omnino decernitur, vid. *l.* 1. §. *ult.*, & *l.* 2., 3., & 4. *D. de incend. ruin. naufr.*, ubi ejuſdem Antonini reſcriptum refertur circa pœnas eorum, qui bona de naufragiis rapiunt. Et licet poſtmodum prava conſuetudo ſæpius renovaretur, ſemper tamen Romanis legibus repreſſa fuit; & multo magis, ubi ea obtinebat favore Fiſci ſub iniquis Imperatoribus, ut fuit Domitianus, cujus ætate jactabatur regula: *Res Fiſci eſt ubicumque natat*, vid. Juven. *ſatyr.* 4. Sed hoc vetuit Conſtantinus in *l.* 1. *C. de naufrag. lib.* 11., ubi ſic loquitur eleganter Imperator: *Quod enim jus habet Fiſcus in aliena calamitate, ut de re tam luctuoſa compendium ſectetur?* Quoniam autem vulgo circumferebatur libellus ille legum Rhodiarum, quæ ubique pro æquiſſimis celebratæ

fue-

fuere, credendum eſt, ſæpius renovatam conſuetudinem diripiendi, aut in Fiſcum redigendi bona naufragorum. Quo factum fuit, ut generali lege iterum id vetaretur a Friderico Imperatore; cujus conſtitutio inſerta fuit Codici Juſtinianeo ſub titulo *de furtis auth. navigia*; in qua tantum excipiuntur naves eorum, qui piraticam exercent; aut ſunt Principi, vel nomini Chriſtiano inimici. Idem confirmarunt canonicæ ſanctiones, vid. *cap.3. de rapt.* Hinc intelligimus, cur in *can. ult. diſt.* 2., ubi dicitur, Rhodias Leges navalium commerciorum eſſe, adnotetur, iniquiſſimam eſſe illam legem; nam credidit Gloſſographus, veras Rhodiorum leges eſſe, quæ extant in vulgari libello, de quo dictum eſt.

III. Eadem conſuetudo, ſeu potius peſſima corruptela naufragos ſpoliandi, & in Regno noſtro obrepſerat, cui ut occurreretur, ſtatuit Fridericus II. *in conſtit. rapinas eorum* pœnam capitalem adverſus raptores rerum in naufragio, incendio, aut ruina abjectarum. Quin etiam voluit, unius auguſtalis pœna eos mulctandos, qui in iis neceſſitatibus, dummodo legitima non adſit cauſa excuſationis, periclitantibus non ſuccurrerint. At quando ejus generis bona, privatorum dominio deſiituuntur, tunc tanquam vacantia pertinebunt ad Fiſcum Principis, vid. *conſtit. Dohanæ de ſecretis*. Quæ conſtitutio cum perſpicua admodum ſit, non videtur apud nos in diſceptationem venire poſſe, utrum ea bona pertinere debeant ad magnum Admiratum Regni. Pertinent tantum cum placuerit Regi, aut in conceſſione ejus officii, aut alio modo ſecus decernere. Ex quo adparet cur in decreto Regiæ Cameræ, relato a *de Marinis arreſt.*400. bona vacantia ex naufragiis, deque iis cognitionem ſtatuatur pertinere ad Magnum Admiratum; nempe quia in conceſſione ejus officii ſic cautum erat. Quod ſecus se habet in bonis provenientibus ex naufragio eorum, cum quibus publice bellum geritur; ea enim, quoniam non ſolent in conceſſione comprehendi, vindicantur Fiſco, cujus jura tueri olim ſpectabat ad Officiales, qui dicebantur Secreti; poſtmodum ad Portulanos, ſic adpellatos,

Digitized by Google

quia eorum peculiaris cura eſt in Portubus, vid. ***Moles in deciſ. Reg. Cam. tit. de naufrag.*** §. 17.

IV. Sed hæc omnia, & ſi quæ ſunt ejuſdem generis controverſiæ, tunc recte ad diligens examen revocabuntur, cum in jus gentium, & in diverſorum Populorum mores exacte inquiritur, adhibitis regulis juris Romani, quod univerſalis juſtitiæ, æquitatiſque uberrimum fontem adpellare poſſis; nam qui in ſolis verſantur ſuæ Regionis ſtatutis, & ſcriptis legibus, impares admodum ſunt iis litibus terminandis, in quibus non ſemel magis de publico, quam de privato jure diſceptatur; & in quibus ſolet ſive Princeps, ſive Reſpublica commodum aliquando, vel incommodum ſentire. Et quamvis circa res maritimas in Regno legibus utamur comprehenſis in libello ſub titulo *Conſulatus Maris*; nihilominus & ut eæ recte intelligantur, & ne exterorum jura lædantur, quod utique commerciis adprime noceret, ſumma requiritur & ſcientia, & peritia. Quod multo magis verum eſt in generali negotiatione, ſive terra, ſive mari ea peragatur; prout videre eſt in variis, quæ ea de re prodierunt, clariſſimorum virorum diſſertationibus; ut mittamus de jure publico tractatus, in quibus non ſemel ex præceptis, & regulis generalibus juris gentium diſceptationes negotiationis, & commercii componuntur, quæ aliquando agitantur inter diverſarum Nationum publicos Negotiatores.

V. Recte igitur publicis conſuluit rebus Rex noſter, dum in eo Edicto novum Tribunal inſtituendum curavit, cujus peculiare eſſet munus & facili ordine, ac methodo negotiales lites dirimere, & ea omnia diligenter curare, ex quibus commercium domi, foriſque promoveretur, atque augeretur. Hinc placuit, ad tale Collegium componendum, ex equeſtri ordine tres, è ſenatorio totidem, & è publicis negotiatoribus duos ſeligendos eſſe viros idoneos; ut ſcilicet partim authoritate, & prudentia, partim doctrina, atque experientia, ipſius negotiationis res optime procederent. Hoc tamen diſcrimine adhibito, ut qui ſunt ſenatorii ordinis, & per conſequens Juriſperiti, debeant

tan-

tantum ſuffragium ferre, ubi de jure quæritur, hoc eſt ubi de legibus, earumque interpretatione agitur, ſecundum ea, quæ proponuntur. Et ut majori dignitate novum hoc Tribunal decoraretur, Magnum Præfectum Commercii creandum ſtatuit, illumque addendum veteribus ſupremorum Officiorum Septemviris in Regno, adeout deinceps non amplius ſeptem, ſed octo eſſent primaria Regni Officia. Hic tamen novus Præfectus nondum eſt deſignatus. Selegit etiam e Senatoribus unum, Præſidis nomine, eumque ſtatuit veluti ordinarium Præfectum Tribunalis, qui, tanquam omnium Caput, dirigeret, atque ordinaret quæ ad rem facere rectius, meliuſque viderentur. Addidit & *Referendarium*, quo nomine intelligitur is, qui referre, ac proponere in Tribunali debet omnia, quæ fortaſſis univerſali commercio exiſtimantur profutura. Denique & Secretarium creavit, ut ſcilicet ea perageret, quæ in cæteris Tribunalibus peragere ſolent ii, qui eodem in officio ſunt conſtituti.

VI. Authoritas hujus Tribunalis ampliſſima ſane eſt, nam mandatur in Edicto, non ſolum ut jure ordinario, & in primo judicio ad illud devolvantur cognitiones, & controverſiæ negotiationis cujuſcumque generis; verum etiam ut adpellationes, & provocationes inibi proponantur a ſententiis latis a Judicibus inferioribus, & nominatim ab iis qui jus dicunt inter Artifices, qui certo corpori, ſive collegio ſunt adſcripti, ut qui auri, ſerici, aut lanæ opificio dant operam. Quod intelligitur in cauſis, quæ reſpiciunt idem opificium, & per conſequens mercaturam. Hoc ipſum obtinet in ſententiis prolatis a Judice Magni Admirati, cujus eſt in rebus maritimis ordinaria juriſdictio, eique ſubſunt omnes qui nauticam exercent. Hic Judex eligitur a Magno Admirato Regni quolibet anno, & ſyndicatus judicium ſubire tenetur in hac Civitate, eodem modo, ac Judices Magnæ Curiæ, *vid. vol.* 1. *privil. pag.*26. *c.* 16. Ejus juriſdictio *abdicativa* eſt, ut loquitur de Franchis *deciſ.* 722., hoc eſt in ſupradictis cauſis, & perſonis ceſſat ordinariorum Judicum juriſdictio, a quibus abdicatur, & transfertur in illum, ſive in civilibus, ſive in criminalibus, ut vide-

Digitized by Google

videre eſt in *cit.deciſ.* Ab eo Judice ſolitum jam erat adpellationes propoſitas diſceptari in Sacro Conſilio, ut tradit idem de Franchis *loc. cit. num.* 17. Quod abrogatur in Edicto, & id tribuitur Tribunali Commercii. Verum id accipiendum utique eſt, ubi circa commercium lis fuit coram Judice Admirati, & ab eo provocatur; nam in cæteris permanere debet antiquus uſus adpellandi in Sacro Conſilio; ne ſcilicet plus juris competere videatur novo huic Tribunali in ſecundo judicio, quam in primo; nam ſi in primo judicio incompetens omnino eſt, quoties neque directe, neque indirecte de negotiatione tractatur; quomodo eſſe debet, dum ad illud adpellatur?

VII. Exprimitur quoque in Edicto, ad idem Tribunal adpellari debere a ſententiis prolatis a Conſulatu Maris, & Commercii. Conſulis, & Conſulatus vocabula, quæ tam honorifica fuere & ſtante Romanorum Republica, & ſub Imperatoribus, paulatim graſſante barbarie per Europam, pro denotandis perſonis aut negotiationi, aut artificio alicui præpoſitis, earumque Collegio, accepta ſunt ſequiori ætate, nec deſunt exempla apud Scriptores infimæ latinitatis. Hinc Conſules adpellare ſolemus eos, qui a variis Nationibus ſtatuuntur in Urbibus maritimis pro mercatura, proque negotiis ſuorum popularium. Et Conſules quoque dicuntur qui tanquam primi inter artifices, Judices quodammodo ſunt, unuſquiſque in propriæ artis negotiis, ut Conſules artis ſericæ, lanificii &c. Ut igitur negotiales controverſiæ, præſertim maritimæ, & levioris momenti, quæ frequentes, & quotidianæ ſolent eſſe, faciliori, & breviori via expedirentur, placuit Regi & inferius Tribunal creare, in quo peritiores ex Mercatorum ordine convenirent, ut veluti de plano componerent ejus generis lites; & ut in quæſtionibus de jure non deficeret proviſio legum, Aſſeſſoresi iſdem adjunxit, & Secretarium; illudque nominavit Conſulatum Commercii, de quo mox. Simile quid placuit conſtitui in unaquaque ex majoribus Civitatibus ſingularum Provinciarum Regni, ſcilicet ut peritorum Tribunal erigeretur ad controverſias negotiationis leviores terminandas.

Ab

Digitized by Google

Ab omnibus tamen his Judicibus adpellandum eſt, ut diximus, ad Supremum Commercii Tribunal.

VIII. Statuitur præterea in Edicto, ad idem Tribunal ſpectare, adpellationis jure, cognitiones de iis quæ ratione commercii peraguntur in Portubus, & ab eorum Præfectis, qui Portulani dicuntur. Ipſimet Romani in more habebant, ut quoddam vectigal exigeretur in portu, quod dicebatur portorium; unde Portitor erat ille, qui vectigal conducebat, ideſt jus exigendi fructus pecuniarios a venientibus in portum, vid. Laurentium Vallam *lib.* 1. *elegant. cap.* 6. *in fin.* Ab his portoriis nec milites erant immunes, tantum res eorum non incidebant in commiſſum *l.* 3. *C. de vectigal.*, *& commiſ.* Speciale autem, & notatu dignum eſt, quod Imperat. Gratianus in *l.* 8. *C.T. de metallis*, permittens per Macedoniam, & Illyricum omnibus facultatem exſecandi ex privatis lapidicinis marmora, & nominatim Senatoribus Urbis Romæ, his quoque conceſſit immunitatem a vectigalibus, & portoriis. Portulaticum eodem ſenſu dictum eſt ſequiori ætate, vid. Cangium in *gloſ.* In Regno noſtro credendum eſt, vel a primis temporibus ejus generis vectigal exigi ſolitum ab Officialibus ſpecialiter ad eam rem deſtinatis, qui in noſtris legibus Portulani adpellantur. Quod officium ſub Regno Friderici II. jam extitiſſe palam eſt ex *epiſt.* 36. *lib.* 2. Petri de Vineis, cujus epigraphe ſic se habet: *Magiſtris Portulanis de armatura facienda contra Januenſes, & piratas*. Et videtur longe a vero aberrare Regens Moles, qui in *deciſ. Reg. Camer. tit. de offic. Magiſtr. Portul.* ſcribit, ab initio Portulanos adpellatos fuiſſe Magiſtros Camerarios; ejuſque rei probandæ gratia citat conſtitutionem Regni, quæ incipit *officiorum periculoſa confuſio*, in qua de portubus, eorumque jure nihil quidquam ſtatuitur. Nec veriſimile eſt, quod idem Author pro certo adſtruit, ante Carolum I. Andegavenſem quid proprium & peculiare eſſet illius officii, definitum non fuiſſe; nam quod Rex Carolus in *cap.* 2., *&* 3. *ſuarum conſtit.* ſpeciatim, & diligenter Portulani munia deſcribat, denotat tantum ejus curam, ne deinceps ex abu-

Digitized by Google

abuſu, ignorantia, aut malitia contra Regis, ſubditorumque jura aliquid committeretur. In portubus etiam exigitur vectigal pro rebus, quæ extra Regnum aſportantur. At quonam tempore illud præſcriptum ſit, non ſatis conſtat; nam neſcio, undenam ſibi perſuaſerit idem Moles, ejus authorem fuiſſe Fridericum II., cum deficiant ea de re Hiſtoricorum teſtimonia; & ad rem non facit *conſtit. Magiſtri Camerarii in fin.*, quam ipſe citat, nam ibi tantum generaliter loquitur Imperator de juribus Dohanæ, nihil autem ſtatuit circa jus, quod dicitur *exituræ*; illudque tantum refertur ab Andrea de Iſernia in *not. ad conſt. quanto cæteris* inter nova jura fiſcalia, quæ licet magna ex parte tribuantur Friderico II., tamen non conſtat de omnibus. Cum autem ſequentibus temporibus receptum eſſet, ut vectigalium exactiones a Regia Curia locarentur, in iis ceſſavit officium Portulani; & tantum ejus ſunt certæ exactiones, quæ ab eodem Moles ſigillatim numerantur, certique redditus, qui præſcribi ſolent in conceſſione ejus officii. Sed quoniam non raro evenire ſolet, ut ab his Portulanis aliquid fiat, aut decernatur in præjudicium negotiationis, & commercii; ideo Rex mandat in Edicto, ut ea de re in Supremo Tribunali tractetur, & ſtatuatur; & præſertim quoties agitur de ipſis exactionibus, quæ mandatur etiam eidem Tribunali, ut ad certum, & legitimum modum redigantur, quemadmodum & in omnibus Dohanis Regni, ne mercatores, aut magiſtri, exercitoreſque navium plus juſto graventur, non ſine publico, & privato damno. Quæ omnia maturius, & clarius exprimuntur, & decernuntur in alio Edicto, promulgato *die 7. menſ. April.* 1741., quo inutilia quædam, & potius commercium impedientia abolentur Officia in portubus, & mercium extractionibus; & ad certam formam, & regulam reducuntur, tum quæ peragere debent Portulani, eiſque alii Officiales ſubjecti, tum eorum ſportulæ, atque exactiones; ut fraudes deinceps, & concuſſiones amoverentur.

IX. Quod attinet ad Litteras, quas vulgo dicimus *Cam-*

Cambii, juriſdictio mandatur in Edicto, ut omnino ſit ejus Tribunalis. Et recte, cum nihil magis negotiationis, & commercii interſit, quam ejuſcemodi Litteris promtam, paratamque exequutionem præbere, peculiareſque Judices in id conſtituere. Quod olim munus fuit proprium Collateralis Conſilii, vid. *pragm.5.* §. 7. *de Litteris cambii*, ubi derogatur ordinariæ aliorum Tribunalium juriſdictioni, & ſtatuitur, procedi debere in iis cauſis *ſummarie*, *ſimpliciter*, *& de plano*. Imo & uſus tunc ferebat, ut ex Regentibus unus ſeligeretur, ejuſque propria ea de re cura eſſet; unde adpellabatur *Delegatus Cambiorum*. Quid circa ejus generis ſcripturas leges Regni ſtatuant, opportunior erit quærendi locus, cum de fide, & authoritate omnium inſtrumentorum diſſeremus ſecundum jus noſtrum. Tales Litteræ in *cit. tit. prag.* non male adpellantur *teſſeræ collybiſticæ*, hoc eſt ſcripturæ, unde collybus naſcitur. Collybum explicat Budæus *in annot. prior. ad Pand. l. ult. D. de pign. act.* quaſi detrimentum pecuniæ; idque probat illis verbis Ciceronis *act. 4. in Verrem*: *Ex omni pecunia, quam aratoribus ſolvere debuiſti, certis nominibus deductiones fieri ſolebant, primum pro ſpectatione, & collybo, deinde neſcio pro quo cerario. Hæc omnia, Judices, non rerum certarum, ſed furtorum improbiſſimorum ſunt vocabula; nam collybus eſſe qui poteſt, cum utantur omnes uno genere nummorum?* Hinc patet, Ciceronem pro collybo intellexiſſe intertrimentum pecuniæ, quod naſcebatur ex ejus permutatione; idque præſertim eveniebat, cum ad exteras Nationes exportanda erat pecunia, & propter incommodum itineris, & pericula, apud Nummularios deponebatur, iique aliis nummis permutabant, aliiſque in locis perſolvebant. Nummularii dicebantur, ſive Argentarii (diſcrimen aliquod inter utroſque animadvertit Budæus in *l. ſi hominem* §. *quoties D. depoſit.* Diſtinguuntur tantum Argentarii a Menſariis, quod hi publicam, illi privatam rationem conficiebant, vid. *Sigon. de antiq. jur. Pop. Rom. lib. 2. cap.* 11.) dites quidam, & copioſi homines, qui Romæ quæſtum faciebant, aut permutandis pecuniis, aut fœnerandis. Apud eos aliquando

 ſo,

Digitized by Google

ſolitum erat pecunias deponi cuſtodiæ gratia *l.* 7. §. 2. *D. Depoſiti*. Aliquando debitores, quo majori fide perſolveretur creditoribus pecunia, eam apud Menſarios deponebant. Hinc non ſemel legimus in Veterum Reſponſis formulas pecuniæ numeratæ *de domo*, hoc eſt quæ privatim extabat in domo, aut arca debitoris, vid. *l. lecta* 40. *D. de reb. cred. l. quidam* 26. *D. de conſtit. pec.*; ut diſtingueretur quoties pecunia numerabatur publice a Menſariis, unde dicebatur *ſcriptura menſæ*, & *negotium menſæ l. qui tabulas* 27. §. *inde D. de furtis*, & *l. cum Pater* 77. §. *menſæ D. de legat.* 2. Huc referuntur verba Donati *ad Terent. in Phor. act.* 5. *ſc.* 7.: *Unde hodie additur chyrographis, ex arca ſua, vel ex menſa ſcripturæ*. Argentarii autem & privatorum rationes conficiebant *l.*4 §.1. *D. de edendo*; eorumque ſcriptura, & codicibus probatio pecuniæ numeratæ continebatur, & frequentiſſime ad fidem eorum decurrebatur *l.*9. §. *nummularios eod. tit.* Ex his palam eſt, ſcripturas ſolutionum, quæ apud nos uſitantur ex publicis *Banchis*, ut dicimus, etiam veteribus Romanis fuiſſe cognitas, quemadmodum & Litteras *Cambii*; quarum uſus majora accepit incrementa, poſtquam Romano Imperio in plures partes diviſo, opus fuit, pecuniam unius Nationis commutare cum diverſa alterius. Adhæc, aucto mirum in modum commercio, & prorogato ad extremas terræ regiones, veteribus omnino incognitas, magis, magiſque earum utilis, atque neceſſarius factus eſt uſus; & propterea novæ quæſtiones, & controverſiæ, & veluti nova quædam Juriſprudentiæ forma ad eas componendas orta eſt; quæ partim generalibus præceptis Romani juris, partim moribus gentium jam confirmatis, partim rerum judicatarum exemplis conſtat.

X. Poſt generale hoc Regis Edictum, & alia lata fuere diverſis temporibus, prout occaſio, & rerum opportunitas expoſtulavit. Inter quæ præcipuum eſt illud (*die* 28. *Decemb.* 1739.) quod agit de inſtitutione, ſive creatione Conſulatus Terræ, & Maris in hac Civitate; in quo cauſæ leviores, & quæ ſummatim, & de plano componendæ ſunt, mandatur, ut dijudicentur a quinque Mercatoribus electis,

ſub

Digitized by Google

ſub nomine Conſulum. Iis autem, ubi diſceptatur de jure, duo Aſſeſſores adjuncti ſunt, qui conſilium tantum præſtant, vulgo *habent votum conſultivum, non deciſivum*. Hujus Conſulatus juriſdictio intra fines territorii Neapolitani continetur. Verum ex Edicto lato *die* 29. *Jan.* 1740. prorogatur ad univerſam Campanam Provinciam. Ubi cauſæ ſunt intra ſummam aureorum quinquaginta, ſtatuitur, eas decidendas, atque exequutioni mandandas authoritate Conſulatus, quacunque adpellatione remota. Ultra eam ſummam, infra tamen aureos trecentos, admittitur adpellatio ad Tribunal Supremum Commercii, non quoad effectum ſuſpenſivum, ſed devolutivum tantum; præſtita tamen cautione de reſtituendo, ex parte ejus, cujus favore ſententia lata eſt. Sed ubi trecentorum aureorum ſumma exceditur; adpellatio tribuitur ſecundum jus ordinarium. Ut autem judiciales actus ordine componantur, & conſerventur, Rationalis, ſive Secretarius, quatuor Actorum Magiſtri, & Apparitores duo in eodem Conſulatu conſtituuntur.

XI. In *cit. Edicto* 29. *Jun.* 1740. creantur in celebrioribus quibuſdam Civitatibus Regni, & alii Conſulatus Maris, & Terræ, ut ſcilicet in univerſo Regno facilius quoque commercii controverſiæ dijudicentur; eorumque facultas eadem ferme ratione procedit, ac in Conſulatu hujus Civitatis. In unoquoque ex his Conſulatibus tres ſtatuuntur Judices, ſive Conſules annui, eorumque Aſſeſſor, ut conſilium præſtet in quæſtionibus juris.

XII. Sed quoniam, maturiori conſilio adhibito, manifeſtius quædam exponenda videbantur circa ipſum Tribunal Commercii, Judicumque inferiorum juriſdictionem, authoritatem, ac normam: ideo placuit Regi, *die* 30. *Jun.* 1740. & novum Edictum promulgare, cujus perſpicua ſunt capita, nec ulla indigent interpretatione. Illud tantum notandum eſt, ne exoriantur controverſiæ circa competentiam, vel incompetentiam Judicis, ibi definiri, ad novum illud Tribunal, & Conſulatus pertinere lites quaſcumque,

quæ Commercium reſpiciunt, ſive intra, ſive extra fines Regni. Commercii vocabulum, & generale eſt, & ſpeciale. Generaliter ſub nomine commercii venit quicumque contractus, *l.* 5. *D. de juſt.*, *& jur.* & eo ſenſu accipitur in veteri formula apud Paulum *lib.* 3. *ſentent. tit.* 4. qua prodigis adimebatur bonorum adminiſtratio: *QUANDO TIBI BONA PATERNA, AVITAQUE, NEQUITIA TUA DISPERDIS, LIBEROSQUE TUOS AD EGESTATEM PERDUCIS, OB EAM REM TIBI, EA RE, COMMERCIOQUE INTERDICO*. Eodem ſenſu dicimus, res eſſe, vel non eſſe in commercio, hoc eſt in uſu, dominio, aut obligatione, vid. *l.* 6., *& l. ſi in emtione* 34. §. *omnium D. de contrab. emt.*; & habere commercium alicujus rei intelligitur qui ejus adquirendæ capax eſt, vel ſecus *l. multum* 34. *D. de verb. obligat.* At ſpecialiter commercium denotat permutationem, vel cum merces invicem permutantur, vel cum pro merce datur pretium. Quod ſignificare voluit Ulpianus in *frag. tit.* 19. illis verbis: *Commercium eſt emendi, vendendique invicem jus.* Hinc in uſu latini ſermonis, *mercari*, *& promercium*, *& promercalis res*. Hujus generis commercii duo ſunt genera, ait *Franciſcus Stypmannus in jure maritimo c.* 1., ἐμπορικὴ, quæ ordine naturæ prior eſt, & inter Gentes remote diſſitas intercedit; ejuſque gratia ſub Imperatoribus Orientalibus credendum eſt, creatum fuiſſe Comitem, qui adpellabatur *Commerciorum* in *l. ult. C. de commerciis l. un. C. de annon.*, *& capit.*, ubi Cujacius in *parat.*, Comitem Commerciorum eum dicit, cui erat curæ, ne commercia illicita exercerentur, cuique ſoli a Barbaris comparandi ſerici in uſum Principis jus, poteſtaſque dabatur ex *l.* 2. *C. quæ res vendi non poſ.* Et καπηλικὴ, *tabernaria*, quæ inter cives eſt. Quamvis autem prius illud genus proprie, & ſtricto modo ſpectet ad mercaturam, quam publice intereſt promoveri; tamen generaliter in Edicto definitur, ad Judices Commercii pertinere quaſcumque lites, ubi agitur de emtione, venditione, & negotiatione cujuſcumque generis, ejuſque ſocietate, & de contractibus inter nego-

tia-

tiatores; quemadmodum de exactionibus vectigalium, quæ exiguntur pro negotiatione, & de Officialibus eorum; excepto ſi quando Regii Fiſci interſit; tunc enim ſervatur antiqua Regiæ Cameræ juriſdictio.

XIII. Hactenus de Tribunalibus, & de Majoribus Magiſtratibus Regni diſseruimus: nunc reliquum eſt, ut ad cæteras, quæ jus publicum conſtituunt, leges explicandas accedamus. Quod perficere conabimur in libro ſequenti.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX CAPITUM

PART. I. LIB. I.

Apponitur hìc tantum ſumma cujuſque capitis ; nam index generalis materiarum apponetur in poſtremo volumine.

CAP. I. UNiverſum Jus Regni dividitur in publicum, & privatum ; & de publico inſtituitur primo loco tractatio, pag. 19.
CAP. II. De Jure Sacro, ſive quod pertinet ad Religionem, & ad res ſacras conſervandas 23.
CAP. III. De Sacroſanctis Eccleſiis, earumque juribus, ac privilegiis 31.
CAP. IV. De Decimis 37.
CAP. V. De Immunitatibus Eccleſiarum 42.
CAP. VI. De Immunitate reali Eccleſiarum 50.
CAP. VII. De Immunitate perſonali, ſive de privilegiis ad perſonas eccleſiaſticas pertinentibus 63.
CAP. VIII. Immunitas perſonalis Clericorum, quibus in rebus præcipue conſiſtat, explicatur 76.
CAP. IX. Exponitur, quid in noviſſimo Concordato circa Clericorum perſonas ſtatutum ſit, ubi etiam agitur de Clericis conjugatis 84.
CAP. X. De Religioſis domibus 93.

PART.

Digitized by Google

PART. I. LIB. II.

CAP. I. *De legibus, earumque promulgatione* 101.

CAP. II. *De Magiſtratibus, eorumque origine, officio, ac poteſtate in Regno* 107.

CAP. III. *De authoritate, & Juriſdictione Magnæ Curiæ* 115.

CAP. IV. *De diviſione Juriſdictionis Magnæ Curiæ in Civilem, & Criminalem; & de noviſſimis legibus ad eandem pertinentibus. Ubi nominatim agitur de ejus Præfecto, vulgo Regente* 130.

CAP. V. *De authoritate Magnæ Curiæ in civilibus cauſis* 141.

CAP. VI. *De authoritate Magnæ Curiæ in criminalibus* 157.

CAP. VII. *De Advocato, & Procuratore, tum fiſci, tum pauperum* 165.

CAP. VIII. *Agitur de extraordinariis cognitionibus Magnæ Curiæ in criminibus, ſive, ut dicunt, præminentiis; & præcipue de quæſtionibus inaudito reo, vulgo ex proceſſu informativo* 180.

CAP. IX. *De Juriſdictione, & authoritate Regiarum Audientiarum in Provinciis Regni* 190.

CAP. X. *Exponitur, quid noviſſimis legibus prohibitum; quid permiſſum ſit, tum Præſidibus, tum Auditoribus Provinciarum: & primo de Præſidibus* 200.

CAP. XI. *De Auditoribus* 209.

CAP. XII. *De cognitionibus extraordinariis ad Regias Audientias pertinentibus* 214.

CAP. XIII. *De origine, authoritate, & juriſdictione Gubernatorum in ſingulis locis Provinciarum Regni. Ubi quædam adnotantur circa officium Bajulorum* 223.

CAP. XIV. *De commutatione pœnarum; vulgo de tranſactionibus, & compoſitionibus delictorum* 239.

CAP. XV. *Explicantur, & a vulgari errore vindicantur quædam Regis Roberti conſtitutiones, quas Pragmatici quatuor Litteras Arbitrarias appellant* 251.

CAP. XVI. *Explicantur leges, quæ onus injungunt tem-*

po-

Digitized by Google

porariis Judicibus de ratione reddenda finito tempore adminiſtrationis; vulgo de Syndicatu Officialium 275.

PART. I. LIB. III.

CAP. I. *De origine, atque inſtitutione Sacri Regii Conſilii* 285.

CAP. II. *De authoritate, atque munere Præſidis Sacri Conſilii* 290.

CAP. III. *Examinantur, & alia notatu digna ad munus Præſidis pertinentia* 301.

CAP. IV. *De authoritate, atque munere Conſiliariorum* 313.

CAP. V. *De authoritate, & prærogativis totius Sacri Conſilii* 323.

CAP. VI. *De origine, atque authoritate Regiæ Cameræ* 335.

CAP. VII. *De officio, atque authoritate Præfecti Regiæ Cameræ, vulgo Locumtenentis* 340.

CAP. VIII. *De munere, atque officio Præſidentium, Advocati, & Procuratoris Fiſci in Regia Camera* 351.

CAP. IX. *De inſtitutione Tribunalis, quod olim dicebatur Conſilium Collaterale, ejuſque authoritate; poſtmodum transfuſo in Cameram Realem* 365.

CAP. X. *De inſtitutione, atque authoritate Tribunalis Commercii* 376.

Digitized by Google

EMINENTISSIMO SIGNORE.

Giovanni di Simone pubblico Stampatore ſupplicando eſpone a V. E. come deſidera dare alla ſtampa un libro intitolato: *Franciſci Rapollæ J. C. Commentariorum de Jure Regni Neapolitani in ordinem redacto Pars prima: Vol. primum*. Per tanto la ſupplica a concedergli la ſolita licenza, e l'averà a grazia, ut Deus &c.

Dominus D. Jacobus Martorellius in Regia Academia Græca linguæ Profeſſor revideat, & referat.

Datum Neapoli hac die 12. Auguſti 1745.

CARMINUS CIOFFI Ep. Antinop. V. G.

Julius Nicolaus Epiſcopus Arcadiop. Can. Dep.

Digitized by Google

EMINENTISSIME PRINCEPS.

VIr jureconſultiſſimus , & multorum librorum ἐκδότης dudum exteris clarus , futurus etiam poſteris , Franciſcus Rapolla , comprobandum Tibi eſt , Eminentiſſime Princeps , ut *Jus univerſum Neapolitani Fori* in luce inque omnium oculis ponat : opus quidem certe nulli antehac attentatum , utpote leges noſtrates , & forenſium magiſtratuum hiſtoriam atque originationem, tanquam Sibyllæ folia,ſexcentis membranis exſcriptas in unum cogere , atque ad Juſtiniani μέθοδον conformare antea pæne deſperatum eſt : & nullus ego dubito , quin ea maxima laudum ſit in quovis difficiliori incœpto principem eſſe , aliiſque lampada prætuliſſe : noſtrique Græci veteres (qui laudes συμμέτρως diſpenſabant) cujuſcunque arduæ rei ὁδηγὸς alte extollebant , eorumque nomina , heroum inſtar , adſcribebant faſtis . Miraberis adhæc , Princeps Eminentiſſime,auctorem ſapientiſſimum ἀκριβῶς Sacerdotium atque Imperium compoſuiſſe , & nuſquam , dum uni favet , de altero non egregie mereri , quum ſæpe ante id temporis in hoc genus elucubrationibus in alteram partem (quod turbati ingenii eſt) nimium inclinatum ac deſcitum ſit . Ceterum gratulandum eſt Viro in legalibus diſciplinis laborioſiſſimo , & rogandus ut omnium civium bono reliquas operis partes ocius probet foraſque emittat , atque exſpectationi , quam quotidianam jam concitavit , faciat ſatis . Id. Mart. MDCCXLVI.

Tibi

Obſequentiſſimus
Jac. Martorellius L. Græcæ interpres regius .

Attenta relatione D. Reviſoris . Imprimatur . Datum Neapoli hac die 18. *Martii* 1746.

CARMINUS CIOFFI Ep. Antinop. V. G.

Julius Nicolaus Ep. Archadiop. Can. Dep.
S.R.M.

S. R. M.

SIGNORE

GIovanni di Simone pubblico Stampatore umiliſſimo Vaſſallo di V. M. ſupplicando eſpone, come deſidera ſtampare un opera intitolata, *Franciſci Rapollæ Juriſconſulti Commentariorum de Jure Regni Neapolitani in ordinem redacto Pars prima*; per tanto il Supplicante ricorre a piedi di Voſtra M. affinchè ſi degni commettere la reviſione a chi meglio le parerà, per ottenerne la ſolita licenza, e ſpera ottenerlo a grazia, ut Deus &c.

V. J. D. D. Nicolaus de Martino in hac Regia Studiorum Univerſitate Primarius Profeſſor revideat, & in ſcriptis referat.

Neapoli die 28. Menſis Maii 1746.

C. GALIANUS ARCHIEP. THESSAL.
Cappellanus Major &c.

ILLU-

ILLUSTRISSIME PRÆSUL.

EX mandatu tuo perlegi librum, cui titulus: *Franciſci Rapollæ J. C. Commentariorum de Jure Regni Neapolitani in ordinem redacto Pars prima*; & non ſine animi quodam oblectamento ſingulas ejus partes diligenter rimatus ſum; tum quod non leve accedet ornamentum, & Academiæ noſtræ, & univerſo Regno, ejus generis opera in publicum prodire, unde reliquis Nationibus innoteſcat, ſolidam Juriſprudentiam, & ipſis Romanis Auctoribus dignam, apud nos non langueſcere, ſed majores quotidie vires accipere; tum quod inde ſperandum erit, cupidam legum juventutem, dum foro, & cauſis agendis ſe addicit, non tantum optimam cognitionem Juris Romani arrepturam, verum etiam legum municipalium, quæ confuſæ, ac perturbatæ, & tot in voluminibus diſperſæ, facili ordine, ac methodo traduntur, & explicantur. Accedit, quod rejectis Vulgarium Forenſium erroribus percipitur eodem tempore, quæ propria ſit, & genuina ipſarum legum mens, & ratio, unde poſſint rectius ad uſum revocari. Quum igitur tale ſit inſtitutum Auctoris, nec ejus opus quicquam contineat adverſus Regis, Regnique Jura, dignum profecto cenſeo, ut publicam illud lucem adſpiciat. Datum Neapoli VII. Kalendas Martii 1746.

Tui

Obſequentiſs. Addictiſſimuſque
Nicolaus de Martino Profeſſor Regius.

Die 5. Menſis Martii 1746. Neap.

Viſo reſcripto Suæ Regiæ Majeſtatis ſub 28. *proximi elapſi menſis Februarii, ac relatione facta per manum U.J.D.D. Nicolaum de Martino de commiſſione Reverendi Regii Capellani majoris, prævio ordine præfatæ Regiæ Majeſtatis.*

Regalis Cameræ Sanctæ Claræ providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inſerta forma præſentis ſupplicis libelli, ac approbatione dicti Reviſoris, verum in publicatione ſervetur Regia Pragmatica. Hoc ſuum &c.

MAGGIOCCO. CASTAGNOLA.
FRAGGIANNI. ANDREASSI.

Citus.

A.r 121.23

Digitized by Google

Digitized by Google

Dig[illegible]ogle